R 4919
Fondo Maternidad
R-4730



N.º 9377/1985

HERMANNI BOERHAAVII

APHORISMI

DE COGNOSCENDIS,

ET CURANDIS MORBIS,

ET MATERIES MEDICA EJUSDEM SUIS LOCIS INTERPOSITA.

PARS I.

PROLEGOMENA,

CHIRURGIA, FEBRIS.

EDITIONEM ISTAM CURAVIT, ET AUXIT

JOANNES BAPTISTA SOLDEVILLA

MEDICINÆ DOCTOR : CENSOR : ARCHIATER.



SUPERIORI PERMISSIONE.

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA VILLALPANDEA.

A. M. DCC. XCVIII.



LECTORI EDITOR.

In hoc Volumine tertio continentur Scientiæ Prolegomena, Generalissima morborum, Chirurgia, et Febris; quæ omnia primam Aphorismorum Boerhaavii *De cognoscendis, et curandis morbis* partem efficiunt. Materies medica, et remediorum formulæ hisce Aphorismis deservientes ex eodem Boerhaavio suis locis interponuntur.

Circa prima nihil notandum nisi horum Prolegomenon innuere commendationem maximam. Plenissima certe sunt ista bonæ frugis, et necessario præscienda, ut posteriora aptius percipiantur. In iis enim I. futuro Medico necessaria traduntur, ut verum Medici nomen mereatur. Qui ea omnia, quæ hic notantur à Boerhaavio exacte servaverit absdubio verus erit Medicus. Quamplurima extant Scripta hac super Re verè difficili, sed æque necessaria. Joannes Baptista Silvaticus, Joannes Sporisthius, Henr. Georg. Anriquez, Abrahamus Kauu

Boerhaave, Joan. Gregori..ista ex professo tractavere. Sed præivit omnes in Medico modesto, benè morato, Naturæ observantissimo, theorico prudenti, sagaci practico, circa ægrotantes, egenos præsertim facili, solicito... instruendo *Hippocrates* in septem Libris cedro dignis, qui *Artis Orgia* juxta Zuingerum expediunt, quos hispana paraphrasi declaratos evulgabimus. Isti sunt : *Jusjurandum*: *Lex*: *Prisca Medicina*: *Medicus*: *Decens ornatus* : *Ars* : et *Præceptiones*.

Docetur II. Medicus quomodo in observationibus exarandis, et in consultationibus efficiendis, atque enarrandis se debeat gerere. Præter leges, et documenta, quæ præscribit hic circa istas Cl. Auctor, et exempla in Libro suarum *Consultationum* collocata mihi videtur, istos utilissimos consessus debere haberi ea modestia, ea submissione, eo vere imitabili candore, quibus assidebat illis Antonius Ponce de Santa Cruz Medicus Regius hispanus, qui hæc aurea atque christiana verba nobis in exemplum reliquit : *Aliquando contingit meos audire discipulos... potest enim*

Deus illis dare lucem, quam mihi deneget ob meam superbiam. Lib. III. De Impediment. magn. auxil. cap. XII. Ast ultra moneo, etiam istos consulentium cœtus habendos esse ea animi constantia, atque severitate, quibus alter Medicus Regius etiam hispanus Joannes Gallego de la Serna malachensis usus fuit. Hic enim in Aula Christianissimi Regis Ludovici XIII Reginæ Annæ Austriacæ Philipi III. Filiæ An. 1619. Parisiis ægrotantis Primarius Medicus, toti Medicorum aulicorum parisiensium cohorti coram Rege ipso, Nuntio hispanico, atque Magnatibus illius Regni, Hippocratis, atque Galeni doctrina innutritus, assidua Augustæ ægrotantis assistentia illustratus, et exactissima phœnomenorum omnium observatione fretus, in prognosi, atque curatione se opposuit: illiusque curatio, atque prognosticum felicitèr præiverunt. Vid. Methodus medendi lib. VI. cap. IX. pag. 447. Quo ad observationes medicas instruendas sciendum observandi artem valde esse difficilem, et erroribus obnoxiam. Hinc tanta inter observatores rei ejusdem discrepantia. Optima hic exhibet Boerhaa-

vius documenta, quæ ad amussim debet servare tiro. Præter ista videndi Georgii Zimmermanni *Traitè de l' experience en particulier dans l' art de guerir* : Medici Uratislavienses super eadem ipsa *Experientia*: Joannes Senebrier *l' art de observer* quo Hippocratem tanquam normam observantium proponit.

Edocetur III. Methodus, qua ordinatim morbi pertractandi, et aptissima, ut par erat á Boerhaavio Geometras optimos veritatis methodicæ Magistros sequutus assumitur, atque proponitur. Hodie postliminio revocata est antiquissima methodus ab Hippocrate utcunque proposita, atque in Cnidiis damnata. Hæc dicitur *methodus nosologica.* Non hic de utilitatibus hujus, atque nocumentis disserendum. Dicam tamen: clases, ordines, genera, species, varietates, instar graduum ab ista designari, quibus humana mens juvari, atque regi intenditur. Inter omnes igitur nosologias admodum inter se variantes, si quæ erant adoptandæ Sauvagesii, qui primus eam evulgavit; et Cullenii, qui illius nosologiam contrahere, et corrigere

annisus fuit præferimus. Inter has duas Cullenii nosologiam præponimus, hispanam præsertim auctariis bosquillonianis, et notis amplissimis illustratam, atque ditatam. Et profecto ille Clases X morborum proposuit: iste IV. Ille Ordines XLII iste XIX. Genera ille 310. iste 133. Species illius fere 4000, istius vero ad moderatum numerum reducuntur, ut utramque nosologiam conferenti ad oculum patebit.

Andreas Piquerius Medicus Regius hispanus jam dixerat in erudita præfatione, quam præposuit *Medicinæ* suæ *veteri*, *et novæ* Sauvagesii methodum *minime arridere ipsi*, *quippe ut clases compleat Botanicorum more non ægritudines tantum*; *sed causas*, *phænomena*, *symptomata pro veris*, *et primariis morbis sæpe usurpat. An ea methodus in ægris curandis exoptatum effectum sortitura? Viderint Practici.* Dav. Macbridius Chirurgus obstetricans (cujus studia varia, et honores in Actis Ac. Reg. Med. Paris. T. II. P. 55. videnda) in opere incompleto, quod inscripsit *Introductio methodica in theo-*

riam, *et praxim Medicinæ* in præfatione parti primæ præfixa ait : *nosque per Sauvagesii maxime nosologiam methodicam Librum eximium*, *sed nimis multorum voluminum*, *minutisque*, *et maximæ tironum parti inutilibus distinctionibus luxuriantem profecisse intelliget.* His igitur permotus Cullenium Sauvagesio præponendum judicamus.

Hoc ita lubenter facimus sequentes præter jam dicta celebrem Medicum edimburgensem Joannem Gregori, qui licet huic methodo nosologicæ infensus ; imo ejusdem acerrimus aspernator (*a*), Cullenii tamen nosologiam ob ejus simplicitatem, claritatem, atque definitionum exactitudinem præfert, atque commendat, cui candide atque liberrime assentimur, et quam pariter post Boerhaavianam methodum commendamus. Sed ex diverticulo in viam.

Post istos quatuor canones dictato-

(*a*) Discours sur les devoirs, les qualites, et les conoissances du Medicin. Paris. an. 1788. Discours V. pag. 236. ad 245.

rios Aphorismo XVI propositos, sequitur apparatus sive prospectus morborum, qui juxta illos tractari debent. Morbi partium solidarum simplicium, et compositarum vasa, viscera componentium, quatenus laxitate . . deficiunt, primo, et ante omnes alios proponuntur, et explicantur. Post solidorum morbos offert Boerhaavius morbos humorum simplicissimos claritate maxima in re adeo difficili valde commendanda.

Et quoniam ad ista omnia pertractanda ad Chemiam respicit Auctor de Acido, Alchali, aliisque chemicis verba faciens; licet in ista Scientia chemica erat ætate sua vir iste summus revera princeps, post ipsius ævum maxima isthæc cæpit incrementa. Ob rationem istam, ut aptius intelligantur, et ulterius procedant Viri hujus sapientissima dictata hodierna Chemia consulenda. Ut id aptius perficiatur eodem isto tertio Medicinæ stadio Rei chemicæ incumbendum. Elementa brevissima Chemiæ Ludovici Tessari Medicinæ Doctoris methodo aphoristica Boerhaavianæ simili conscripta pro usu academico deservire possent,

si eadem ipsa methodo ab aliquo viro Medico chimico, quæ posterius inventa fuere ipsis adderentur. Interea, hæc in explicationibus, et ad praxim addi ex *Philosophia chemica* possunt, in qua omnia nova tanquam in synopsim à Med. Doct. et chemico celeber. Fourcroy rediguntur. Libellus iste Typis barcinonensibus hispanicè nuper editus, quidquid Lamarck in sua Chemia pyrotica pneumaticæ æmula ei contradicat, optimus est. Utile etiam erit haurire ea ex Cursu chemico Elaboratorio regio matritensi destinato, et ex Opere chemiæ, et historiæ naturalis Medicinæ Doctoris Chaptal iis nostris diebus hispanicè converso. Vid. Boerhaav. de Usu Chemiæ in medendo. (El. Chem. Tom. 1. p. 45.) etiamque ejusdem Oratio *de Chemia suos errores expurgante.* Lavagnoli de usu Chemiæ in Medicina Patavii. An. 1732.

Circa Chirurgiam dicendum hanc Medicinæ partem à Boerhaavio ita methodicè, eruditè, doctissime, sublimitèr tractari ut nihil supra. Utinam completè id exegisset! Et quoniam hic debent

illi subsistere, et praxi chirurgicæ destinari, tribus Medicinæ curriculis sive in Universitatibus, sive in Collegiis exactis, qui non ad Medicinam propensi, nec vocati, sed ad Chirurgiam, *Latinam* à nostris Legibus exactè nominatam innuere mihi liceat, Chirurgiam generosam, virilem, eminentem . . totam hominis cujusque vitam quantumvis longævam exigere, totam quantumvis indefessam, haud interruptam solertiam exhaurire; totum quantumvis improbum studium impendere, consumare . . . debere; his nostris præsertim temporibus quando immane quantum adaucta, atque ditata est Ars ista. Id inter alia demonstratur ex eo quod aliquæ ipsius partes esentiales quidem ut ocularis Chirurgia, obstetricia, odontica . . divisæ videantur, quas non fastidio, dificultate, neque contemptu . . absdubio Professores istius separaverunt; sed quia tot inventis, et inveniendis chirurgicis obruuntur, ut Chirurgiam adeo late patentem, extensamque his adminiculis circumcisam amplecti unice saniores fortasse judicavere. Scripta revera in chirurgicis innumera: instrumenta ab ipso simpli-

encolpismo ad modiolum ipsum.. valde multa : mala cognita multiplicia ; desiderata in malis , et remediis ... innumerabilia. Quid igitur? Qui istam Medicinæ partem præamare sentiunt , et amplecti decreverunt , post studia præmemorata ad eam unice convertantur, chirurgica tantum tractent , si Chirurgi celebres , eminentes... salutari ambiunt ; aliter dimidiatim tantum eam adeuntes , exercentes mediocritatem vix adipiscentur , magna ipsius Artis , et inhonora retardatione ; et sanitatis hominum infando detrimento. Sed quoniam res ista est maximi momenti liceat mihi aliquantisper terminos præfactoris transgredi , atque infringere.

Tria superba Collegia gaditanum, barcinonicum , matritense munificentia Regia extructa Chirurgiæ edocendæ , pro dignitate exornandæ , atque perficiendæ jussibus Regiis sacrata unice imperium chirurgicum hispanum in exteros producere aptissima censebantur , et revera sunt. Aliqua volumina , quæ ab iisdem hucusque prodierunt id innuunt. Quæ in scriniis absdubio reposta manent , quæ

avidè expectant, desiderant, ambiunt philiatri, et ego Chirurgiæ hujus voti compotis amantissimus optantium ita primus, ut cum Venusino (Art. P. v. 417.) dicam *occupet extremum scabies*.. id inquam ad oculum evincent, demonstrabunt. Si ista inexpectato infortunio haud acciderint nulla alia proprior, atque potentior assignari causa fortasse poterit nisi quoniam plurimi inter eximios horum Collegiorum præsertim, et etiam Universitatum, et Nosocomiorum Discipulos, qui si *Chirurgiæ* tamquam SPONSÆ spectatissimæ tota sua vita addicti essent unice eam super æthera extullissent, Chirurgiæ ejusdem clathros fregerint, eam divortio immerito, atque indecora veluti repudiatione deseruerint, vel dimidiatim tantum pertractaverint; et sive per fas, legibus obedientes, vel nefas, earundem contemptores, et osores *Medicinæ* castra, atque pomœria calcare, pertransire auserint, minime abstinuerint. Chirurgia revera MATRONA est minimè digna ita à suis cultoribus tractari, derelinqui. Sola ipsa valet spectata ut decet eosdem reddere doctos, expertos, probos, locupletes, honoratos..

Placet equidem in hujus rei demonstrationem palmariam, in Cirurgiæ hispanæ decus eximium, et ornamentum, et in Collegiorum potestatem supra dictam demonstrandam, Alumni Collegii chirurgici gaditani Encomium posthumum commemorare. Hic fuit *Franciscus Canibell* Chirurgus Regius honorarius. Iste vir est optimum exemplar excelsitatis ad quam perveniri potest indefesso studio, et usu Chirurgiæ solitariæ. In Encomio isto nulla mentio fit ejus peritiæ chemicæ, neque botanicæ. Physice, Mathesis.. nec nominantur quidem. Medicinæ studium, neque praxis tempus Chirurgiæ sacratum haud impenderunt, retardarunt. Lustrationes in Sena, et in Tamesi defecerunt ei, utpote eas non adfert solers Panegirista. Grammatica, humanæque litteræ tantum (Pag. XIV) speciatim memorantur; sed ita candide, atque sincere, ut binis locis (XXI, XLIII) heroem suum ineloquentem ostendat ingenuus Encomiastes. Post has litteras trans Pyræneos montes excurrens Chirurgiæ se totum, et in perpetuum devovit. (XIV.) Studia in Universitate cervariensi, absdubio

chirurgica, in obscuro relinquuntur ; ea nominatim non exhibentur (Pag. XVI.)

Artis usus , Chirurgiæ institutio, magisterium , chirurgicum studium purum putum per totam istam parentationem merito, luculenter , energice. . enarrantur , laudantur , extolluntur. Utinam alia Encomia similia protrudantur! Chirurgus iste Regius longævo , obstinato, haud interrupto , simplici Artis usu , atque studio : in Collegio gaditano Alumnus, Bibliotecarius , Magister , Director, vice-Præses . . Joan. Alexan. Brambillæ vienensi , parisiensi Germano Pichaut de la Martiniere par (pag. LIX) laudatur, imo superior absdubio prædicari poterat. Neque isti , neque alii similes promeruere (mihi saltem ignotum) de illis asseverari quod de Canibellio ab discipulo ingenuo , exacto , autopta pronuntiatur : in arte nempe tota valuisse plurimum ; in operatione fortasse difficiliori , labiliori . . . *Litotomia* nempe aptiorem methodum perfecisse : in ea dignoscenda , et exequenda nunquam fuisse lapsum , nunquam deceptum. (Pagin. XLIV.) ¡O fortunatum , doctumque

virum! ¡O virum dexterrimum, incomparabilem! merito Chirurgiæ hispanæ heroem pronuntiatum (Pag. LXXVI.) Discipulis illius celeberrimi Collegii gaditani in exemplum propositum, et in omnium Chirurgiæ Alumnorum merito inquam posthàc proponendum!

Antonius Petit Med. Doct. et Chirurgiæ publicus in parisiensi Academia Professor Orationem eloquentissimam anno 1775. pronuntiavit, qua evidentia ineluctabili evicit utillissimam, imo necessariam esse istam de qua nunc loquimur separationem. Benjaminus Bell in Nosocomio Regio edimburgensi Chirurgiæ Professor doctissimus, dexterrimus, celebritate clarissima per Europam notissimus Chirurgiam totam lectu dignissimam nuperrimè vulgavit. Professor iste Chirurgiam solam agit, unicam tractat, ab eis, quæ ad Medicinam spectant sobrius ea Medicis amandat, ista non curat, ab his sejungitur ut plurimum, præscindit. Exempla duo tantum adducam. In tractatu *de Ulceribus* nuper hispanicè edito, quo iste in Boerhaavii Chirurgia desideratus per-

fectissime suppletur, dum de *inflammatione* tractat ad externam unice dirigitur; internam omittens, ad Medicinam pertinere declarans (Sectione 1. pag. 1.) Dum de Hydrocele (suo Cursu chirurgico Tom. 1. Cap. 6. Sect. 2. pag. 196. hispanicè etiam nunc converso) agit, asserens quampluries istam ægritudinem ab interna causa provenire, sive cum ipsa complicari ait: sanationem externam proponam tantum; internam causam ad Medicos deferam, ab eis tractandam, atque corrigendam relinquens. Optimum exemplum! Hac necessaria separatione circunscriptus, innixus, instar Canivellii nostratis Chirurgiam pro dignitate excoluit, ornavit, perfecit.

Quo ad Medicos perfectos efficiendos spectat Boerhaavius hic, et van-Swietenius in Commentario asserunt, et demonstrant studium Chirurgiæ Medicinæ studium præcedere debere. Ita sane res est. Certum est enim partes externas, cutem nempe.. atque internas ex eodem fonte, Corde scilicet, haurire humores, omnesque communem agere vitam. Æque certum est morbos externos, atque

internos valde similes debere esse, natura, signis, symptomatibus, indicationibus, therapæia: differentia tamen, quia illa pauciora: sensibus ut tactui, visui . . . oblata faciliora, apertiora: ista recondita, abstrusa, arcana, difficillima, numerosiora. Inflammationes, tumores, ulcera . . externa luculentum exhibent exemplum ita notum ut cuicumque pateat. Ista igitur interna, obscura, lucem maximam ab externis illis accipient; quin ad ista sufficiant physice, botanice, chemia . . anatomia ipsa, quas omnes immane quantum superat Chirurgia! *Hujus defectu scientiam medicam plus damni pati, quam si omnibus reliquis auxiliatricibus artibus esset mutilata* cum Ill. Gortero confidenter asseveramus. *Chirurg. repurg. Præfat.*

Ad ista omnia firmiter, et inconcusse stabilienda cum tanti sint momenti, ut ex earum exacto ordine sanitas hominum emolumenta spectet, atque ex inexacto et perturbato nocumenta horrescat, præ oculis habendum oraculum illud Hippocratis ore dictatorio asserentis *Artem esse longam* (nostro ævo abs-

dubio longiorem) *vitam brevem, ocasiones præcipites, experimenta periculosa, judicia difficilima.* Audiendus etiam sapientissimus PLATO cognitione perspicacissima limitationis humanæ mentis innixus, quamvis ille amplissimam posidebat, qui ita apposite pronuntiavit: *duas artes aut studia duo diligenter* EXERCERE *Mens humana non potest.* J. Huarte *Examen de Ingenios.* Pag. I.

Ego harum de rerum certo intime persuasus assero: si aliquid in medendi Arte valeo; etsi quam parum in ea me valere licet invitus agnosco; sed sincere, atque verecunde fateor, præ aliis Scientiis auxiliaribus, quas reverenter salutavi, et introspexi qua potui CHIRURGIÆ, cui in Universitate cæsaraugustana pro Medicinæ cursu adimplendo studui; cujus exercitio in valentino Nosocomio adstiti, et quam in Academia jussu regio ibidem stabilita, cui præfui olim, docui, tribuendum mihi reor; atque præsertim quod ab ejus usu Medicinæ addictus totus ambabus exercendis impar, abstinui, ita ut triginta tribus annis, quibus Medicinam in ista

Carpetanorum Mantua exerceo unica tantum occasio sese mihi obtulit, in qua necesitas urgens, absentia Chirurgi, atque periculosa mora me adegerunt ut protinus exercerem eam, et his præcise conditionibus exercui.

Alumni igitur isto tertio Medicinæ curriculo quo Chirurgia boerhaaviana edocetur eam gnaviter, atque studiose addiscant, curationibus chirurgicis intersint; tumores, inflammationes, ulcera... intueantur, observentque, Operationes graviores quæ Artem istam specialiter constituunt, et difficilem reddunt, in ægris quando efficiantur, et in cadaveribus, in quibus ad exemplum instituentur adnotent, atque manu propria in istis conficiant ut se exerceant; et ita si necesitas expostulet non adstante Chirurgiæ Professore, eas efficere poterunt, et efficient. Absit tamen Medicos suæ conscientiæ immemores ultro in Chirurgiæ *usum* progredi, et oberrare. Experientia testatur tale facinus ab istis rarissime, vel non nisi præfatis circunstantiis perpetrari; tuncque licitè, et honeste eam ab istis exerceri.

Medici sciunt extensionem, difficultates, complicationes..Scientiæ suæ ad quas expediendas observationes sagacissimas, meditationes profundas.. tota sua vita, morbis internis extricandis unice destinatas vix sufficere suadentur, convincuntur. Probe etiam noscunt in negotio sanitatis, et vitæ hominum reparandæ, et custodiendæ ignorantiam *à crimine* non excusare; (*Leyes del Proto-Medicato* Pag. 164) eique esse valdè obnoxios Chirurgos æquè ac Medicos suæ Provinciæ transgressores, non hygeiæ, sed mammonæ potius libantes, deservientes. Itaque boni Medici licet chirurgicis ut dictum instructi, ista externa ad interiora facilius percipienda unice conferunt: hujus Artis nobilis, utilis, necessariæ.. exercitium suis Professoribus doctis, dexteritatem adeptis unice, exclusive pertinere credunt, evincuntur. Maxima animi sui alacritate vident, istos versatissimos, atque experientissimos sanitatis hominum etiam custodes laude, honoribus, præmiis.. ab omnibus æquis rerum æstimatoribus juste, atque cummulatè affici, decorari. *Jungenda igitur* rectè, ac religiosè concludendo:

Jungenda Studia Chirurgiæ , atque Medicinæ : earundem Exercitia separanda. Hippocrates , qui adeo facilem, atque tutam Artem istam declarabat (Lib. de Medico) dicens *turpissimum est non contingere à Chirurgia , quod velis* jure jurando nihilominus, in litotomia inexpertus , asseveravit *neque vero calculo laborantes secabo , sed Magistris ejus artis peritis id muneris concedam.* Vid. Meibomii Comment. in Jusjurandum Hippocratis Pag. 161. 2. 3.

Circa Febres , earumque divisiones, atque symptomata aliquid addendum judicavimus. Licet enim aliquæ febres quas omissit Boerhaavius , v. gr. exanthematicæ, nervosæ, malignæ.. ex conjunctione symptomatum de quibus egit possint utcumque describi , in Tironum commoda has adjicimus ex probatissimis Auctoribus depromptas ; his præsertim qui doctrina , methodo , cæterisque dotibus sunt Boerhaavio ipsi aliquomodo similes. Inter hos Franc. Home, Christ. Theoph. Selle , et Maxim. Stoll præferimus scopo eo ut Tractatus iste DE FEBRIBUS completissimus evaderet.

Sed enixè hortamur eos, qui ab isto ferè inextricabili Febrium labyrinto veluti felicioris, et securioris Ariadnæ filo se cupiunt expedire, ut præter alios alibi (p. 506.) memorandos maxima cura, atque reverentia adeant Josephum Amar, et Andream Piquerium Medicos Regios, et ambo Celtiberos; et etiam Lodoicum Pereyra Doctorem Medicum Conimbricensem in suis *de Febribus* Commentariis, quæ hispanicè (mallem herclè latinè ut amplius exteris nobis utplurimum haud æquis, et in sua commoda paterent) hispanicè inquam his nostris temporibus, et in ista nostra beatissima Metropoli Carpetanorum Mantua tantis Viris meritò superba sapientissimus iste, atque celeberrimus Triumviratus evulgarunt.

In istas Febres, et alia omnia, quæ in isto Volumine III. continentur Notas satis amplas, utinam æque utiles addidimus. Eas fere omnes ex gazophilatio commentariorum Gerardi van-Swietenii excripsimus, aliquas inferioris subselii, utpote nostras, adjecimus. Totum illum batavum heroem *Boerhaavium* ad

nostram praxim hispanam accomodare studuimus, et studebimus. Num istud opusculum tamquam hujus van-Swietenii compendium haberi poterit? Fas sit mihi saltèm dicere epitomen ab Scombergio Medic. Doct. An. 1762. Francofurti editum libello in 8. paginularum 240, quo quatuor ex quinque illius tomis grosis in synopsim rediguntur esse prorsus improportionatum. Aliud compendium schombergianum anglicè quatuor tomis in 8. etiam conscriptum in latium converti desideramus. Materia Medica Febribus, Chirurgiæ, Morbis simplicibus respondens locis suis includitur, sine caracteribus arabicis, sine compendiis, imo plane et litteraliter in commodum discentum exhibetur. Sauvagesius, et Cullenius Nosologorum Principes oportune etiam advocantur.

Post ista omnia simpliciora, faciliora Tirones jam aliquatenus instructi in Medicinæ Occeanum, in Medicorum Principem HIPPOCRATEM debent animum dirigere, atque hujus sacris initiari. In Universitatibus summa tiro-

num utilitate edocentur hujus summi Virì Prognosticorum, atque Aphorismorum libri. In Cæsaraugustano Liceo præter ista, Coaca, et Epidemica adjunguntur. (Estatut. R. tit. 36. pag. 86.) In commodum tironum apponitur hoc Volumine Prognosticorum liber, in quarto, et ultimo Aphorismorum coordinatorum liber alius collocandus. Tironibus sufficiet ad horum oraculorum intelligentiam Andreas Pasta, cujus Editio, quæ Edetanorum Valentiæ nitida, ac exacta Typis nuper edita fuit (ann. 1773.) maximè præferenda. Iisdem provectioribus Commentaria, quæ duum-viri hispani Christophorus Vega, et Andreas Piquerius in Prognosticon librum evulgaverunt commendanda. Sed ut cum vero fructu legatur Hippocrates totus prælegenda *Ars Hippocratica*, quam nuper Practicus celtiber celeberrimus D. D. D. Franciscus Puente Cæsaraugustæ An. 1764. Typis evulgavit. Boerhaavii Oratio: *De Commendando Studio hippocratico* utilissime Tirones in tantum Virum excitare poterit: ideo legendam, et memoriæ mandandam apponimus, et commendamus.

Post istam Præfationem meam absdubio vilem, et inconditam fortasse lassatus, et morosus evadet lector. Ad ipsum recreandum, et utilitèr instruendum apponendas judicavi celebris Boerhaavii Præfationes, quas Libello (aptius veræ Medicinæ Thesauro) Aphorismorum de cognoscendis et curandis morbis; et Libello etiam de Materie medica, et remediorum formulis illis inservientibus apposuit, quæ meritò, et magna cura à Tironibus legendæ, atque meditandæ sunt. En illas.

LECTORI AUCTOR.

En libellum, mole parvum, gravem materie, nec sine labore natum. Auctior ille quinto prodit, et locis quibusdam paulo explicatior. Regulas vero promittit, quæ causas morborum expedire, atque eventus secundare possint. Experimenta huic quidem necessaria operæ Græcorum industria, diligentia Arabum, et paucorum inter Recentes accuratio suppeditavit. Anatome vero, et Mechanice, nostris cultior, ratiocinio filum, et fundamenta

dedit. Utraque fida! quidquid ignari clament, aut invidiosi obstrepant. Oderunt quippe, et calumniantur isti, quæ nec attingere valent: non ergo nisi sibimet vocali ignorantia nocent. Ubi autem, dum affectibus indulgent, inania Paradoxorum, et damnosæ novitatis crimina obtentui sumunt, risum mehercle rerum gnaris excitant! Qui antiqua scrutati, nova non ignorant videbunt quid præstitum sit, et hos ego solos idoneos operis judices agnosco. Sciant autem Hi, quos equidem veneror in privatos hæc exarata usus: assequentur ita et ordinis simul, et brevitatis causas. Auctores non citavi, quum nimii, vel nulli nominandi essent. Nec speciosos medicamentorum titulos morbis addidi. Cur? nihil Arti exitiale magis novi, neque vero ipse ullum cognosco, quin solo tempestivo usu tale fiat: hunc vero ubique indicare annisus sum non perfunctorie. Postremo omnia hæc stilo scripta in Arte recepto magis, quam ad puritatem Augustæi seculi expolito; facilius enim ille capitur, huic forte interprete foret opus: saltem plus exegisset, quam quo fruor otii. Vale!

AUDITORIBUS SUIS.

S.

Ego, postquam animum Medicinæ ex Auctoritate Procerum Academicorum docendæ applicui, id in primis credidi mei esse muneris, candide ut Vobis exponerem simpliciterque illa, quæ veris experimentorum succesuumque eventis firma in Arte cognoscuntur.

Sane, eo quidem proposito, prescrutabar relicta nobis hodie ex iis, quæ sapienti industria, explorata sibi satisque spectata tradidere Veteres. Illa vero, ubi composui rebus, quas Medicinam faciendo deprehendebam, inveni observatæ sollicite naturæ vestigia ubique pressa: neque adeo certius quid spectari posse, neque aliunde colligi meliora.

Ferebat interim animus, et illa utcumque perlustrare, quæ dominante per Europam barbarie, Arabes, Priscorum nacti monumenta, eorum inventis addiderunt, quæque in latinum versa sermonem nostræ intelligentiæ patebant. Sed dolui gentem solertissimam, licet

subnixa esset tam utilibus adminiculis ejus subtilitas, parum boni, mali plurimum Medicæ attullisse disciplinæ!

Neque perfunctorie dein excussi Recentiorum placita, pulcherrima profecto commendata specie, sive Physices excultæ fructus, sive spectaveris artium liberalium Medicinæ promovendæ adhibitarum effectus. Gaudebat utique his intentus animus! Interea tamen licentia fingendi, assumendi audacia, festina nimis, et ambitiosa ad consummandam Medicinam properatione, primorum vero Auctorum contemptu, neglectu, vel ignoratione ipsa quidem Scientia Medica damni plus quam emolumenti omni hoc molimine accepisse videbatur; materiem certe, unde instrui felicius queat illa, liberalissime aggestam à nostris, ut gratulamur Arti, ita deploramus ejus fata, quod tumultuaria opum collectione obruta verius, quam adjuta siet.

Instituto itaque hoc rerum examine, quid, quæso, rationi consentaneum magis, quam ut conjicerentur in adversaria, quæcumque in omnibus hisce adeo sana ut peritus nemo de fide ho-

rum ambigat? Hac itaque perfuncto opera prius dein conandum fuit, ut ex sparsis his conficeretur corpusculum quoddam, ad leges disciplinæ concinatum; in quod et ipse intueri possem sedulo, quoties in Artis exercitatione versarer, simulque eo referre, si quid novi forte, aut insoliti appareret; postremo ut hac agendi ratione, veri quid, et digesti animo impressum meo vestros in usus fideliter effundere liceret.

His demum causis natum vidistis Libellum, quo ausus fui scripta aggravare Medica DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS. Cujus profecto toties me puduit, quoties defectus ejus mihi nimis notos ipsi putare aggredior, Veterumve componere operibus. Hoc scilicet me metiens pede impar deprehendor, qui legitime Auctoris boni titulum ambire sustineam. Neque tamen abesse poteram ab audacia evulgandi hosce Aphorismos, nisi deesse voluissem muneri, quod mihi dederat publica Auctoritas, cui obsequia debeo.

Opus igitur aggressus quum cogitarem semper, sola ut esset cura mederi, atque cavere quam religiosissime,

ne quid irreperet quod periculoso semper hac in Arte errori causam præberet, necessarium duxi in toto opusculo nullum commemorare Medicamentum.

Nec injuria ; namque id in primis arbitrabar nocere , dum audito remedii nomine, et morbi, exercendæ se pares Arti jactant Empirici, impune in hominum perniciem grassantes , donec sero solo tandem cadaverum experimento sapiunt.

Quum interim Discipulis deberem exempla , præscripseram ideo in privatos horum usus pauca de Materie Medica, hujusque ordinandæ legibus , tantum ut servirent his , qui intento me animo audiverant disserentem in Scholis domesticis de occasione , qua sola utilia evaderent.

Estis vero idonei vos testes, quanta circunspectione utar , quam sæpe tœdiose fere ad fastidium usque minutiarum consideratione odiosus sim , priusquam vobis titulo Medicamenti vel minimum quid laudare ausim : pulchre gnarus, nihil dari , quod ubique bonum; contra vero id , quod hac rerum facie salutare fuerat , mutata conditione perniciosum sæpe deprehendi.

Nefas itaque putavi Medicaminum nomine hæc ipsa evulgare, sed cum admonitione severa modo describenda dare his, qui operam mihi sedulo dederant pro tenuitate mea idoneas cautelas inculcare conanti. Sed, quod doleo, longe aliter evenit, me quippe nec consulto, nec volente, in usus publicos extundenda curavit hæc Londini vir eruditus, alte nimis de vili hoc opusculo, ejusque Auctore, sentiens, et scribens, neque tamen ita res gesta, quin errores simul bene multi, et noxii in edendo contigerint.

Coactus ita recensui, correxi, amplificavi nonnulla, unde describendi labore levati iis utamini. Audacter interim, et moneo fideliter, morbi historiam fideliter edocti scrutari MATERIÆ MEDICÆ noxios æquè ac effectus salubres, ita demum auxilii utilis bonitatem affectetis assequi; cæteris nocebit magis quam proderit, quidquid hoc opellæ est.

HERMANNI BOERHAAVE

APHORISMI

DE COGNOSCENDIS, ET CURANDIS MORBIS.

PROLEGOMENA.

1 Omnis humani corporis conditio, quæ Actiones vitales, naturales, vel et animales lædit MORBUS vocatur.

2 Quæ vero Disciplinæ medicæ pars docet Morbum in ipso Ægroto præsentem detegere, et curare, PRAXIS appellatur MEDICA. Sanitatem ægris MEDICINA promittit. Cels. I.

3 Qui ergo Actionum vitalium, naturalium, atque animalium exercendarum Requisita ignorat, adeoque Vitæ causas nescit, et Sanitatis (*a*), ille defectum illa-

(*a*) HIPPOCRATES ad omnia ista sagacitèr attentus, et debitis præparationibus institutus salutarem Artem ad tantam perfectionem evexit. Geometriam enim, et Arithmeticem possidebat, ut ex ejus epistola ad Thessalum filium suum evinci

rum , id est MORBOS , cognoscere (*a*) non poterit.

4 Sanatio porro est morbi (1) in sa-

tur. Physicem coluit, ut Ant. Ponce de Santa Cruz demonstrat in Commentario *de Hippocratica philosophia; sive de his, quæ physicè scribuntur in Hippocrate.* Anatomen exercuit ut à Kurella, et Hallero declaratur. In Chirurgia præsertim eminuit, ut ex ejus Operibus chirurgicis apparet . . Istis igitur Scientiis præcipuis *Medicinæ* auxiliatricibus imbutus, et Observatione constantissima innixus quot, et quanta circa vitam, sanitatem, functiones, morbos, horum causas, eventus . . pronuntiavit! ¿An si Hippocrates Mathesim ulteriorem, physicem exactiorem, anatomen subtiliorem, si hodiernam botanicem, recentem chemiam fuisset assequutus, ulterius profecisset? Major fuisset ut hic asserit van-Swietenius? An si multum temporis in hisce omnibus insumpsisset, VIR iste, atque observationibus laboriosis equidem detraxisset, istisque illa prætulisset minus absdubio prædicaretur? . . Sub Judice lis est.

(*a*) Morbus est : *Functio læsa.* Ad istam dignoscendam considerandæ partes, harum conditiones physicæ, et functiones, quæ ab his pendent. Cognoscenda igitur in Oculo v. gr. vasa, nervi, membranæ, musculi . . humores, illorum natura, et conformatio, etiamque densitas, pelluciditas, nigritudo, tenuitas, opacitas, lucis reflexio, refractio . . ex quorum omnium exacta dignotione distincta *cecitatis* v. gr. in particulari habebitur idæa, et propria applicabitur medela. Doctrina optima! utilissima! necesaria! Hæc omnia *Medicum* efficiunt: horum ignorantia *Empiricum, Andabatam.*

Sedulo igitur incumbendum cognoscendis partibus, quæ functiones producunt, et con-

nitatem (2) mutatio : ponit ergo et hæc eadem cognita (3) : quare cognitio et curatio morborum Scientiam Dogmatum, quæ explicant quid Vita, Sanitasque sit hominis, id est Instituta Physiologica Medica, requirunt.

5 Illa mutatio (4) motum excitat, sopit, vel dirigit per applicationem instrumentorum (*a*), quæ Artifex nosse debet, et regere : hinc ponitur perspecta victus, medicamentorum, et Chirurgiæ, materia, præparatio, usus.

6 Dirigitur illa applicatio (5) à mente præscia futuri effectus : quo exigitur Scientia generalis legum, juxta quas actiones illæ exercentur ; unde itaque doctrina Signorum, et Methodi Medendi necessaria est. Adeoque tradituro Praxin (2) omnes partes Institutionum Medicarum scitu necessariæ prius sunt : Eas ideo ponemus notas, et demonstratas alibi.

7 Morbus (1), quum corpori inhæ-

ditionibus physicis, quibus positis actiones suas exercent. Hæc Boerhaav. in prælect. ad §. 698. Instit. Medic.

(*a*) Turpe penitus videtur Artifici propriæ Artis instrumenta ignorare. Discat igitur Medicus materiam victus, preparationem medicamentorum, et Chirurgiæ usum, ast Chirurgiæ hujus, atque Pharmaciæ exercitia respectivis Professoribus, ut par est relinquens.

reat, erit effectus corporeus singularis determinatæ causæ.

8 Cujus accurata ablatio sanat.

9 Aufertur correcto malo singulari, vel per remedium in illud solummodo agens; vel auxilio in omnia simul æqua vi agente. Hanc universalem, illam propriam Medelam vocabimus (*a*).

10 Utraque (9) reperitur observatione, similitudine, vel ratiocinio ex hisce binis.

11 Observatio (*b*) habetur: 1. ex accurata historia morbi enarrante causas, naturam, effectusque mali. 2. ex enumeratione exquisita eorum, quæ prosunt vel nocent, dum casu, vel arte morbo subministrata sunt. 3. ex introspectis cada-

(*a*) Vid. §. 1152. Inst. Med.

(*b*) Optima hic traditur doctrina. Observandi Ars est admodum difficilis, admodumque necessaria. Canones hic propositi profunde meditati, et in exercitium reducti totam istam paginam adimplebunt. Casus multa Medicis obtulit, quæ postea in Artis regulas transierunt. Galenus sæpè vidit non paucos febre ardente laborantes cum jam mediocriter concocti humores essent statim ex frigida potione liberatos.

Inspectio Cadaverum plurima detexit ut videre est in Boneti sepulchreto Anatomico, et in opere immortali Joan. Bapt. Morgagni de sedibus, et causis morborum per anatomen indagatis.

veribus incisis eorum, quorum morbi observati fuerant prius.

12 Ex similitudine concludit, qui observatis jam (11), adeoque cognitis, casum præsentem, hactenus ignotum, comparans de indole, et curatione mali incogniti argumentatur, à præteritis ad futura arguens.

13 Qui denique omnia, quæ ægro accidunt, observando (*a*) cognita (11), adamussim ponderat seorsum singula, comparat deinde inter se universa, confert iis, quæ in sanitate contingunt, hincque tandem severitate ratiocinii subacti assurgit in intellectum causæ proximæ, et auxiliorum ei tollendæ aptorum, verum Medici nomen meretur.

14 Ordo itaque optimus describendæ historiæ, et curationi morborum erit, qui

(*a*) Simplex Phænomenon observatio nihil valet. Hoc quisque potest efficere, et Empirici nihil aliud faciunt. Ut verum MEDICI nomen mereatur Professor debet omnia ista quæ hic adnumerantur facere, quæ licet minima videantur maximas utilitates parient. Talis consideratio in Quartana v. gr. frigoris, causarum, et effectuum frigoris, æstus sequentis, horum inter se comparatio, ipsorum ab statu sano recessus . . quas cognitiones in Medicorum animis non excitabit? Hoc certe laboriosum est, sed hujus laboris minime pœnitebit medicis conscientiæ, decori, existimationi . . inhiantibus.

1. Uniuscujusque mali phænomena individua, propria, communia, considerate cognita, justo ordine, vera fide proponit.

2. Cuncta, quæ acciderunt ægro ab iis, quæ gessit, ingessit, retinuit, excrevit, vel sibi applicuit, dum morbus adfuit, enarrat.

3. Auxilia victus, manus, medicamentorum, una cum vera methodo applicandi, prout casus, vel ars obtulit, exponit.

4. Ea, quæ ex hisce tribus, ut ex datis juxta (13) dictam legem effectu rationis verissime deduci queunt ita, ut pro regulis Praxios accipi tuto possint, concludendo elicit.

15 Multitudo quidem morborum his ordinandis officit.

16 Sed ordinem dictat: 1. clarior morbi notitia. 2. simplicior ejus natura. 3. facillima sanatio. 4. ejus requisita ad alium intelligendum cognitio.

17 Ex quo fundamento (16) omnes sequenti serie tractabimus.

18 *Morborum itaque simplicissimorum species, et curatio* præmittenda reliquis.

19 *Solidarum ergo partium morbi explicandi, et sanandi* primum locum postulant.

20 *Fibræ simplicissimæ solidæ morbi explicati, sanati* inter hos (19) denique primi sunt.

MORBI FIBRÆ SOLIDÆ SIMPLICIS.

21 Illæ partes, quæ ex fluido vasis contento secretæ, sibi mutuo vi vitæ, et ope glutinis tenuissimi, aquosi, pinguisve applicatæ, Fibram minimam faciunt, sunt minimæ, simplicissimæ, terrestres, vixque mutabiles per eas causas, quæ in nobis viventibus deprehenduntur.

22 Quare in his (21), separatim spectatis, nullus occurrit morbus, qui Medicis observatus, sanatusque describitur.

23 Sed in fibra minima, ex adunatis his (21) concreta, morbi simplicissimi sequentes, (24. ad 38.) considerari merentur: sunt enim frequentes, et fundamenta jaciunt intellectui aliorum, licet prætervisi, vel non bene cogniti.

MORBI FIBRÆ DEBILIS, ET LAXÆ.

24 *Fibræ* (23) *debilitas* vocatur adunatio partium minimarum (21) cum nisu in cohæsionem tam parvo, ut vel illo levi motu solvi queat, qui Sanitatis effectu fit, vel non multum majori.

25 Hanc (24) antecedunt: 1. impedita ingestorum assimilatio in naturam li-

quidi vitalis sani ; quæ debetur jacturæ nimiæ humoris boni , et inertiæ virium solidorum in liquida ; vel alimentis magis tenacibus sua indole , quam virium permutantium in corpore virtus est. 2. debilis nimium applicatio partis unius (21) ad aliam , quæ oritur à nimis debili motu liquorum , isque ut plurimum à defectu motus musculorum. 3. nimia distractio fibræ rupturæ proxima.

26 Producit autem facilem vasculorum ex his (24) conflatorum extensionem, rupturam , in sua liquida contenta inertiam ; unde Tumores ab distendentibus, Putrefactiones ab stagnantibus vel extravasatis liquidis , tum ea , quæ ex binis hisce sequuntur , infinita (*a*).

27 Ex hisce (24. 25. 26.) præsens, futura , præteritave noscitur : effectus prævidetur ; et Curationis (*b*) requisita perspiciuntur.

(*a*) Dum tener nimis pulmo impetum sanguinis corde expulsi ferre nequit , ruptis vasis hæmoptoe , et toties inde immedicabilis phthisis. Dum cerebri vasa debilitata vel distenduntur nimis , vel rupta effundunt suos humores omnes morbi functionum animalium à levissima vertigine ad lethalem Apoplexiam usque oriri possunt. Idem in aliis visceribus verum est , hæc pro exemplo sufficiunt.

(*b*) Primo considerandum an morbus Naturæ soli sit committendus , an vere Ars addere

28 Hæc enim obtinebitur: 1. nutrimento, in quo materies (21) abundet, quodque jam fere ita præparatum sit, ac in corpore sano et forti fit. Lac, Ova, Jura carnium (*a*), decocta panis bene fermentati, vina austera primaria sunt. Quæ parva copia sæpe repetita sumenda. 2. aucto motu solidi et fluidi per frictiones; vectiones in equo, rheda, navi; ambulationes, cursus, exercitia corporis. 3. leni compressione vasorum, liquidorumque repulsu. 4. medicamentis acido-austeris, aut et spirituosis fermentatis prudenter, leniterque usurpatis. 5. omni modo, quo nimia distractio tollitur.

29 *Laxitas* (*b*) *Fibræ* vocatur ea cohæ-

debeat. Æque enim nocet officiositas quando necesaria non est, ac expectatio nimia quando admovenda opera.

(*a*) Hæc tria alimenta omnium viscerum et vasorum actiones passa juxta sani corporis leges ultimæ elaborationis perfectionem adepta in aliis animalibus jam fuerunt, et ideo ad nutriendum facile, et efficaciter humanum corpus aptissima censentur. Lac si ex uberibus hauritur optimum habetur alimentum. Tom. IX. Societatis Regiæ Medicinæ Parisiensis amplissime de variis lactis speciebus humani, asinini, vaccini, caprini . . . phisice, chemice, medice pertractatur à pag. 415. ad 623.

(*b*) Filum sericeum appensum pondus sine ruptura sustinere non potens fibræ nimis debilis exemplum dat; filum autem ex plumbo mo-

sio partium (21) inter se, quæ parva vi potest mutari ita, ut fiat se ipsa longior; unde patet, hanc esse debilitatis (24) speciem, *et flexilitatem* inde pendere; adeoque hæc omnia clare ex dictis (21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.) intelligi, ut et *imminutam Elasticitatem.* Namque vitrum corpus fragilissimum, arte ductum in filamenta subtiliora araneæ filo cohæret, estque flexile quaquaversum minima vi in omnes spiras, absque ruptura. Crescit pro subtilitate flexilitas. Ac. reg. sc. 1713. hist. 11.

30 Quin ex iisdem etiam respondetur ad hæc quæsita: Cur aquosa, et pinguia alimenta dant fibras debiles? Cur frigidis, junioribus, quiescentibus, crescentibusque debiles? Cur terrestria, austeraque dant fibras fortes? Cur calidis, exercitatisque fortes? Cur elasticitas (*a*) robur concomitatur?

lissimo factum eodem pondere statim immaniter elongandum sine ruptura tam facili fibræ nimis laxæ speciem præbet.

(*a*) Elastica dicuntur corpora, quæ distracta redeunt in tot puncta contactus quot ante distensionem habebant: hinc requiritur valida vis, qua partes distractæ se mutuo trahant. An in hac vi consistit fibrarum robur?

APHOR. 28. NUM. 1.

Materies, in qua elementa apta constituendæ fibræ forti continentur.

Lac fæminæ sanæ, ætate integra motu salubri exercitatæ, victu laudabili utentis; si suctu hauritur, aut calidum bibitur illico, non mutatum igne. Hoc reliqua superat, si post coctionem in Nutrice peractam potatur. Proximum est Asininum, dein caprinum, ac Bubulum. Usus definitur iisdem legibus.

Ovi recentis albumen adhuc tepens dilutum in lactis, et aquæ æqua portione sine ullo igne adhibito. Jura carnium optima huic proposito, quæ parantur ex carne à pinguedine accurate repurgata, animalis sani, junioris, exercitati, contusa, minutim scissa, in Machina Papiniana elixa, frigefacta dein in hac ipsa machina, iterum ab omni supernatante pingui, et fœcibus depurata.

Si olla hæc deficit, ahenum substitui quidem potest, sed subtilius exhalando perit; unde patet causa ferociæ animalium, quæ ex raptu aliorum, quæ viva devorant, aluntur.

Ex Gallinaceo genere paratum præfertur cæteris, vitulinum dein, postea Ovillum, Bubulum denique, probantur

quæ ex permistis fiunt, meraciora habentur reliquis.

Decoctum Panis.

℞. Panis tritici cum furfuribus rite fermentati, bis cocti, uncias octo.

Aquæ putealis purissimæ libras tres. Coque in vase figulino clauso per spatium unius horæ, adendo semper, quantum coctione exhalat, aquæ; dein cola per setaceum.

Gelatina Panis fit,

Si decoctum præcedens exhalat ad ignem, donec ejus pauxillum in lapide frigido fusum coeat.

Cremor Panis erit,

Si frigefactum decoctum spissitudinem cremoris induit.

Si hujus Gelatinæ pauxillum lacti, jusculo, vino, cerevisiæ, aut aquæ miscetur, fiunt varia levis nutrimenti genera.

Si sumitur Decocti descripti libra una
Succi citrei uncia semis
Aquæ stillatæ cinamomi dracmæ duæ
Vini Rhenani unciæ quatuor
Sacchari quod suficiat ad gratum saporem,

habetur decoctum panis gratissimum, sa-

luberrimum; cujus dosis uncia una omni hora calide sumenda.

Rursum, si eidem *vitelli ovorum* misceantur, fit aliud, sed viribus idem, edulii genus; cujus parcior, cæterum idem usus.

Vina florentina austera, item Gallica rubra acerba, ut et Græca nigrescentia adstringenti sapore prædita, commendantur; quia et uberrima spirituum copia, et roborante fibras virtute præstant.

APHOR. 28. NUM. 4.

Acido-austera vegetabilia.

Acaciæ fructus, succus, flos, cortex. Dosis succi inspissati à granis quatuor ad drachmam unam.

Acaciæ germanicæ, seu Pruni sylvestris succus inspissatus à granis sex ad drachmam unam et semis.

Acetosæ species, succus.

Anserina.

Belliricæ à drachma una, ad quatuor.

Berberis fructus, succus.

Bistortæ radix.

Capparis fructus, cortex, radix.

Corni fructus immaturi, folia.

Cupressi fructus, folia.

Cynosbatos flores, fructus, spongia.

Cydonia mala, et pyra, et horum mixta.

Filicis radix.
Fragaria.
Fraxini cortex.
Granatorum flos, poma, cortex.
Hypericum totum.
Hypocistidis succus inspissatus, à drachma una ad quinque.
Lapathi folia, flos, semen, radix.
Mespilorum fructus immaturi.
Mirobalani omnes à granis quinque ad drachmas duas.
Myrti folia.
Nymphææ majoris folia, flores.
Omphacium.
Pimpinella.
Portulaca.
Pruna sylvestria.
Pyra austera.
Quercus folia, glandes.
Quinquefolium.
Rhabarbarum à drachma semis ad drachmas duas.
Rhus obsoniorum folia, grana.
Rosarum flores.
Sanguisorba.
Sedum majus.
Sorbi fructus.
Tamarindorum fructus uncia una ad uncias duas, pulpa rite pressa, et purgata uncia semis ad uncias duas.
Tamarisci cortex.
Terra, falso dicta, catechu

Tormentillæ radix.

Ex quibus infusa, decocta, extracta, pilulæ, vina medicata, formæ variæ, facile parantur. v. gr.

Infusum adstringens.

R. Anserinæ manipulum unum.
Pimpinellæ manipulum semis.
Tormentillæ radicis unciam semis.
Conscissa infundantur cum libra una et semisæ aquæ fervidæ spatio unius horæ.
Dosis uncia una omni trihorio interdiu.

Decoctum simile.

R. Foliorum oxylapati manipulum unum
Florum Rosarum rubrarum uncias quatuor
Corticis tamarisci uncias duas
Radicis Acetosæ uncias quatuor.
Seminum contusorum Lapathi drachmas duas.
Coque cum aqua ferrata spatio quartæ partis horæ ad libras duas.
Capiat unciam unam, ter, quater in die.

Vel.

R. Acetosæ manipulos duos.
Radicis Bistortæ unciam semis.
Florum Granatorum drachmas duas.

Cum aqua decoque spatio quartæ partis horæ. Libræ uni admisce

Syrupi Myrtini unciam unam.

Usus idem.

Conditum simile.

R. Mivæ Cydoniorum unciam unam
conservæ rosarum rubrarum unciam semis.

Florum Granatorum drachmam unam

Syrupi Myrtini quod suficiat.

Fiat conditum.

Dosis drachma una ter, vel quater de die.

Extractum simile.

R. Acetosæ manipulos octo

Lapathi hortensis manipulos quatuor

Quinquefolii manipulos septem.

Minutim scissa, bene pura, in aquæ quod suficiat cocta, fortiter pressa per prælum in vase amplo exhalent in spissitatem extracti: à granis decem ad drachmas duas. Vel adde huic extracto

Radicis Bistortæ siccæ quod suficiat ad massam idoneam formandis pilulis

Dosis à granis quatuor, ad quindecim.

Vinum medicatum.

R. Seminis contusi Acetosæ majoris drachmas sex

Florum Granatorum drachmas quinque
Radicis capparis uncias duas
Corticis Fraxini drachmas decem
Foliorum Pimpinellæ manipulos duos
Conscissa et contusa infunde ad vini Rubri Gravish dicti, vel Pontacq libras tres.
Capiat unciam unam, ter, quater in die.

R. Corticis Radicis capparis,
Tamarisci, singulorum unciam unam
Florum hyperici cum stipitibus uncias duas.
Fiat secundum Artem vinum medicatum cum vini austeri rubri libris tribus.

Acido-austera Fossilia.

Acida in terrenis absorta, quæ eo potentiora, quo ponderosius acidum plus terræ absorbuit.

Martis in vino Rhenano soluti drachma una ad drachmas quatuor,
in aceto vini soluti guttæ decem ad triginta,
in oleo vitrioli soluti gutta una ad quatuor
Rubrica fabrilis.
Vitriolum album, nativum à grano uno ad sex
stanni à grano uno ad sex
Aluminis Romani à grano uno ad triginta

Ex his infinitæ fiunt formulæ.

Pulvis.

R. Aluminis grana decem
Rhei grana quinque
Corticis Granatorum grana tria.
Misce. Fiat Pulvis pro una dosi.

Pilulæ.

R. Vitrioli Martis calcinati ad albedinem drachmam semis.
Gallarum Quercinarum grana decem.
Radicis Tormentillæ drachmam unam
Succi Hypocistidos quod suficiat ut fiant pilulæ. Singulæ granorum duorum
Capiat æger unam ter, quater de die.

MORBI FIBRÆ RIGIDÆ, ET ELASTICÆ.

31 *Rigiditas fibræ nimia* est illa adunatio partium minimarum (21), quæ tam valide faciat eas cohærere, ut non cedant illi actioni fluidorum, quæ superare debet hanc resistentiam, ut maneat Sanitas.

32 Hæc (31) sequitur eas causas, quas requirit sanatio fibræ debilis (28), si diu, et nimis perseverant.

33 Nata (31) vero faciat vasa, quæ ex his fiunt, minus flexibilia, angustiora, breviora, liquidorum motui nimis resistentia, et quæ hinc sequuntur; vid. (50. 51. 52. 53).

34 Ex quibus (31. 32. 33.) ipsis internoscitur id malum (31), simulque prævidentur inde secuturi effectus (*a*) (33), neque latet Curatio.

35 Hæc enim efficitur 1. cibo et potu aquosis, lenibusque, sero lactis imprimis, oleribus mollissimis, farinosis (*b*) dilutis, nec fermentatis. 2. quiete in aëre humido frigidiusculo, cum somno pleniore. 3. remediis aquosis externis, internisque, tepide applicatis vel assumtis, insulsis, le-

(*a*) Sunt homines macilenti penitus et simul voracissimi, qui omnia assumpta digerunt velocitèr, et de corpore difflant.

Canales nostri corporis rigescunt sæpe à causis adeo subtilibus ut nulla ratione possint detegi; et hoc vel in totò corpore, vel in parte aliqua, brachio v. gr. pede, &c.

(*b*) In morbis acutis aqua pura ingesta illico per sudores vel urinam dilabitur: aliquo lentore sociata plus hæret, nec tam cito expelitur de corpore. Hippocrates (lib. de victu acutorum morborum) aquæ potum damnat in acutis, dum in eodem libro ptisanæ usum valde laudat. Non ne hinc sequitur aquam vegetabilibus decoctam regulariter præstantiorem esse pro morbis curandis, quam aqua pura?

vissimis et blandissimis oleosis (*a*), similiter adhibitis.

36 Hinc elasticitas nimia intelligitur, curaturque, quippe rigiditatis (31) ut plurimum comes, et effectus.

37 Cur pueris, fœminis, otiosis laxitas? contra vero adultis, viris, exercitatis, fibrarum, adeoque omnium solidarum partium rigiditas? et solutarum valida contractio?

APHOR. 35. NUM. 1.

Decocta panis dilutiora, vid. 28. num. 1.
Succi maturorum fructuum horæorum
crudi, vel cum aqua diluente parum
cocti, et saccharo mitificati
Aurantiorum malorum succus.
Baccarum sambuci succus.
Cerasorum dulcium omnia genera.
Citria poma bene matura, dulcia
Cucumeres mites
Cucurbitæ mites.
Ficus.
Fraga.
Granata Poma matura.
Jujubæ.
Limonia dulcia.
Mala Armeniaca.
Melones.

(*a*) Dum spasmo constrictæ intestinorum fibræ horrendos illos faciunt cruciatus (*colicos*, *et iliacos* dictos) mollissima olea ad libras usque potata, et per clysmata injecta solvunt hoc strictum, laxatis fibris.

Mora
Persica mala
Poma acido-dulcia
Pruna dulcia
Ribesia rubra, alba, nigra
Rubi Idæi fructus.

Ex quibus coctione, assatione, &c. multa edulia præparari possunt e. g.

Decoctum Diæteticum.

R. Pomorum maturorum decorticatorum uncias decem.

Cum aqua decocta spatio unius horæ contere, et per setaceum cola, tunc hujus unciis viginti quatuor adde

Nucis myristicæ contritæ drachmam unam
Panis biscocti contriti unciam unam
Vini Rhennani uncias duas
Sacchari quod sufficiat.

Olera mollissima, vel his similia.

Attriplex
Battatas
Beta
Borrago
Brassica rubra,
Bulbocastana
Chærophyllum
Cichorea omnia
Cinara.
Cucumeres
Dens Leonis
Endiviæ
Lactucæ omnes fere
Pastinacæ
Portulacæ
Rapa
Sisari radix
Scorzoneræ radix
Spinachia
Tragopogoni radix
Valeriana Pratensis.

Farinosa mollia.

Amygdalæ dulces.	Milium.
Avena.	Oriza.
Fagopyrum, vel	Panicum.
Frumentum saracenicum.	Pistachia.
	Triticum.
Hordeum.	Secale.
Mays.	Spelta.

Ex his fiunt decocta, cremor, Puls, ut de Pane Aph. 28. num. 1.

Ex iisdem fiunt crudis, Emulsa.

Emulsio emolliens.

R. Avenæ excorticatæ uncias tres
Amygdalarum dulcium unciam unam
Cum aqua decocta Hordei fiat Emulsio, cujus unciis vigintiquatuor admisce
Syrupi violarum unciam semis
Aquæ stillatæ cinamomi drachmas quatuor.

Capiat unciam unam omni hora diei.

Simile decoctum laxans, et emolliens.

R. Foliorum recentium Borraginis,
Lactucæ
Valerianellæ arvensis
Singulorum manipulum unum et semis.
Radicum recentium contusarum scorzoneræ uncias quatuor

Seminis contusi Hordei uncias duas cum aquæ decoctæ spatio quartæ partis horæ libris quatuor admisce

Syrupi altheæ,

Violarum, singulorum unciam unam

Bibat uncias duas omni hora.

APHOR. 35. NUM. 3.

Aquosa, subfarinosa, suboleosa, mollia, emollientia.

Aqua decocta cum farinosis num. 1. hujus Aphor.

Emollientibus. num. 1. hujus Aph.

Abutilon
Alceæ radices, folia, flores, semen
Alchimilla
Alsine
Altheæ flores, folia, radices.
Bellis
Bonus Henricus
Branca ursina
Consolida major
minor
media
Cynoglosa
Hyoscyami folia
Liliorum alborum bulbi
Linaria
Linum
Lotus hæmorrhoidalis, et Lotus odora.
Malvæ, Bismalvæ folia, flores, radices.
Meliloti flores, folia.
Mercurialis
Parietaria
Populi folia, gemmæ.

Prunella.
Pulmonaria.
Sambuci folia, flores.
Scabiosa.
Sigillum Salomonis.
Solanum.
Telephium.
Tripholium bituminosum.
Verbascum.
Violaria.
Vulneraria rustica.
Butyrum recens, Cremor lactis.
Pinguedo volucrum: Anatum, Anserum, Caponum.
Medulla Bovis.
Olea lenia ex farinosis blandis.
Oleum Amygdalarum amararum dulcium
Lini.
Mucaginum.
Olivarum.
Palmæ.
Papaveris alvi.
Solani.
Trifolii odorati.
Violarum.

Syrupi similes.

Syrupus Altheæ Fernelii.
Borraginis.
Capillorum veneris.
Jujubinus.
Papaveris albi.
Erratici.
Symphyti Fernelii.
Violaceus simplex.
Mel Mercurialis.

Unguenta talia.

Unguentum Altheæ compositum.

Aureum.
Basilicon.
Populeon.

Ex his balnea, vapores, fotus, Litus, Decocta, Potus, Clysmata &c. fiunt. Cynoglosa vero, et Hyoscyamus tantum externo prossunt usu.

MORBI VASORUM MINIMORUM, ET MAJORUM.

38 Vasorum minimorum, ex fibris simplicibus (21. 23.), applicatu, intertextu, vel intortu adunatis, factorum morbi ex iisdem causis eandem indolem, effectum, et curationem habent; ergo ex dictis (ab 21. ad 38.) intelliguntur.

39 Vasa majora, ex minimis (38), applicatu, intertextu, vel intortu unitis, conflata habent duo diversa morborum genera. Horum prius pendet ex morbis minimi canalis (38), majorem hunc componentis, adeoque origo, natura, efficacia, curatio ejus inde (38) petit debet. Posterius vero pendet 1. à vi, qua fluidum per majorem hunc canalem fluens, ejus latera extendendo premit: quæ latera, ex aliis minoribus canalibus constantia, hac pressione orbantur suo liquido, uniuntur quoad latera, concrescunt in fibræ (21. 23.) solidæ, sed crassioris

speciem : potestque idem et vicinis communicari vasculis. 2. à liquido cum vasculo proprio concrescente.

40 Inde vasorum debilitas, laxitas, robur : rigiditas, elasticitas, de quibus multa imperitis memorantur, clare intelligi possunt. Et meretur dignitas horum pertractationem.

MORBI VISCERUM DEBILIUM, ET LAXORUM.

41 Vasorum, et viscerum (*a*) debilitas vocatur illa partium (23. 38. 39.), hæc constituentium cohæsio, quæ tam levi motu tolli potest, ut imparia sint iis efficiundis, quæ Sanitatis, et Vitæ ratio ab his postulat.

42 Quæ alia ætate, atque sexu alia sunt.

43 Hæc debilitas oritur. 1. ab debilitate fibræ (24), ejusque causis. (25) 2. à debilitate canalium minimorum (28), atque causis hujus (38) 3. ab inertia liquidi per vasa majora (39) fluentis, quæ pendet à minuta copia, fluiditate aquosa

(*a*) Viscus est pars organica corporis, quæ humores allatos per suam fabricam plurimum mutat ita, ut hæc mutatio prossit totius corporis vitæ, et sanitati v. gr. cerebum, cor, hepar..

aucta, motu musculari torpescente. 4. A numero magno canalium minimorum, pro ratione ætatis, nimis diu remanentium.

44 Ab hac debilitate (41), per suas causas (43) producta, oriuntur multi morbi, qui falso Temperiei, vel Congeniti habentur; primarii sunt 1. facilis vasorum dilatatio, tumor; facilis horum compressio, inanitas; liquidi stagnatio; Cordi aucta resistentia; liquidorum cruditas; spontanea corruptio; ad actiones vitales, animales, naturales exercendas ineptitudo; et illa omnia, quæ ex his sequi solent, quæ ut infinita numero, ita difficillima curatu, et fœcundissima novis morbis producendis sunt; maxime *cachexia*, *et cacochymia*. 2. Facilis vasorum dissolutio ab internis, externisve causis, acribus vel motis; effusio, stagnatio, corruptio, evacuatio liquidi ad vitam, sanitatemque necessarii; interceptio motus fluidi per vasa rupta; corruptio eorum, quæ hoc motu vigebant; qui rursum varii sunt, maxime *phthisis*, *empyema*, *hydrops*, *atrophia*.

45 Quæ (41. 42. 43. 44.) si quis accurate observat, ille, non hujus modo (41), sed infinitorum et obscurissimorum morborum originem, præsentiam, eventum internoscet, et solus auxilia impetrandæ sanationi valida, et tuta inveniet.

46 In applicatione vero horum, præ-

sens debilitas tarditatem jubet; nec enim alibi perniciosior mutatio subita.

47 Ergo remedia (28) lente, caute, à primo in ultimum gradum adhibenda sunt. Quorum usu roboratis vasis, motus validus musculorum adhibeatur, donec omni effectu constet, satis compacta, solidata, et callosa evasisse Vasa, et Viscera.

48 Hinc patet, omnia, quæ de facultate nutrimentorum traduntur, alias vera, alias falsa esse; Exercitia (*a*) musculorum roborare fibras; Exercitia vectionis resolvere coacta, roborare laxa, nec dispergere vires; ipsum sanguinem et cruorem in robustissimis esse maxime densum, lentum, blandum; in tenerrimis dissolutum, levem, acrem; infinitos morbos, facie diversissimos, una sæpe radice (*b*) hærere posse, eaque succisa tolli.

(*a*) Hæc triplici ratione prosunt. 1. quia pendula viscera illis concusionibus agitata roborantur, et concreta partim his motibus, partim auctis vasorum, et viscerum viribus resolvuntur. 2. quia fæces omnes facile secernuntur, et evacuantur. 3. quatenus impetus, et efficacia aeris in pulmonum vasa sic augetur, ut ambiens atmosphæra calore corporis statim tepescens renovetur assiduo, quod imprimis equitando obtinetur.

(*b*) Utinam omnes Morbi ad unam Radicem revocari possent: hac enim sublata etiam tollerentur! Inst. Med. §. 1180. num. 8. 9. 10.

49 Ex iisdem cognitio, et curatio laxitatis Vasorum, et Viscerum habetur.

MORBI VISCERUM FORTIUM, ET RIGIDORUM.

50 Rigiditas nimia Vasorum, et Viscerum nominatur illa partium (23. 38. 39.) hæc componentium cohæsio, quæ non cedat illi motui, qui illa mutare, et movere debebat, ut fierent ea, quæ Sanitatis, et Vitæ tempore ab hac mutabilitate fluebant.

51 Oritur. 1. ab omni causa fibræ nimis rigidæ (32) 2. maxime à fibris valida vi propulsi liquidi vitalis admodum compactis ad se mutuo. 3. ab adunatione canalium minorum orbatorum suo liquido per violentam pressionem, qua vitale liquidum arteriosum canalium majorum latera premit, cujus maxima effectrix causa est valde exercitatus muscularis motus. 4. ab concreto vase in unum solidum cum proprio liquido stagnante, exsiccato, coagulato.

52 Ubi obtinet in vasis, producit effectus: 1. similes, vel eosdem iis, qui à fibra nimis rigida (33). 2. facit in vasis validum nixum, quo fibræ conantur se appli-

care ad axin (*a*) sui canalis ; arctare cava sua ; premere , comprimere , repellere , expellere sua liquida ; hinc eorum motui à corde , adeoque et cordi resistere ; vix dilatari , hinc interrumpere æquabilem sanguinis motum , adeoque omnium secretionum ; minuere copiam sanguinis aliter uno ictu ex corde expellendi ; impedire cordis evacuationem perfectam ; polypos (*b*) sanguinis producere ; fluidum comprimendo , et à fluidissimis spoliando , id condensare , suffocationes , mortem creare. 3. vulneratis vasis magnos hiatus creat per vim magnam , qua trahuntur in sua sustentacula partes vasorum ; discissis integre cavitates minuit extremas , vel claudit.

53 Ex his (31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 50. 51. 52.) accurate perspectis clara habetur doctrina , qua noscitur præterita, præsens , futura , agens , et actura vasorum rigiditas , elasticitas , vis , curatio.

54 Eam enim efficiunt 1. remedia

(*a*) In canali conico linea ducta ab apice ad centrum vasis dicitur *Axis*.

(*b*) Malpigius optime de polypo cordis tractavit. Horum causa est sanguinis lentor. Illi qui syncope frequenter laborant his sunt expositi. Ab his anomala , et tetra simpthomata oriuntur. Sanatio consistit in sanguinis dilutione , et à concretionum præservatione.

curandæ rigiditati fibræ propria (35) 2. illa maxime, quæ liquidi vitalis copiam (*a*), densitatem, pressionem minuunt. 3. quæ motum muscularem suspendunt. 4. ea, quæ humectant, leniunt, emolliunt, diluunt, resolvunt, abstergunt.

55 Ex hisce omnibus (ab 21. ad 55.) morbi Partium solidarum proprii intelliguntur, curantur; et ex iisdem clarescit, quid respondendum his quæstionibus (*b*):

(*a*) Inedia ad id inepta est, ea enim diflantur subtilissima, ruber crassus sanguis, et crassisimi humores in vasis maximis eo plus condensantur, et simul omnia novi chyli deffectu in putridam acrimoniam disponuntur. Venæ sectio præstat.

(*b*) Bene intellectis his omnibus quæ dicta sunt, fæcillime istis respondebitur. Nihilominus.

Pueri laxiores sunt, et humidiores, et per ætates sicantur, et rigescunt ad mortem naturalem usque, quæ consistit in concretione successiva vasorum minorum, et postea majorum, donec etiam ista arida, callosa, cartilaginea, et ossea per ætates facta impediant sanguinis expulsionem ex corde, sicque vita fere insensibiliter desinet in placidam illam, atque maximè optabilem *Mortem naturalem* inquam non alio morbo, quam quiete repleti cordis se evacuare jam non potentis sustinendam.

Exercitia, et Medicamenta pro ætatibus varianda. Illa in Pueris irrequietis, et mobilissimis permittenda: ista in iisdem humidissimis humorum minuentia, et aliunde roborantia prossunt.

Quæ diversitas structuræ partium solidarum in ætate diversa? Cur homo crescit, perstat, decrescit? cur in utero materno omnium ocyssime augeatur? Cur laxus, fortis, rigidus fit? Cur humidus, plenus, siccus? Cur morte naturali, vel fato senili moritur? et quo tum morbo? quinam morbi plerumque singulæ ætati proprii? quis victus, quæ vita, quæ medicamenta cuique tempori vitæ commoda? quænam fides, quæ utilitas doctrinæ de stricto, et laxo in solidis? Unde desumenda nota certissima justæ mensuræ laxi, et stricti in homine? &c.

56 Vulnus hinc (16) jam primo pertractandum, post morbos solidi simplicissimos. Sed, quum vitia liquorum spontanea semper trahat secum, de hisce ante vulnera agendum erit, quæ nosci debent ante historiam vulnerum absolvendam.

57 Unde agetur primo de his Humorum morbis, qui in illis nascuntur sponte (*a*); dum vel sibi ipsis permittuntur, nulla habita ratione vasorum, vel vitio incitati, torpentisve nimium vitalis motus.

(*a*) Spontanea mutatio est illa, quæ fit à causis communibus, quæ in omnia corpora agunt.

APHOR. 54. NUM. 2.

Copia minuitur misso sanguine.

Densitas minuitur 1. per aquam tepidam, et serum lactis. 2. per minuentia copiam. 3. per minuentia pressionem.

Pressio minuitur. 1. minuta copia. 2. minuta densitate. 3. minuto motu.

APHOR. 54. NUM. 3.

Quies corporis, et animi huc spectat.

APHOR. 54. NUM. 4.

Humectantia sunt, quæ multa aqua cum saponaceo, vel farinoso admisto constant. e. g.

Aqua decocta cum farinosis emollientibus fructibus horæis. oleribus } Ap. 35. n. 1.

carne recenti insulsa, vel cum ossibus, et cornubus.

Aqua decocta cum piscibus fluviatilibus, vel marinis, cancris, ostreis, astacis, viperis, &c.

Jus carnium humectans, leniens, emolliens, resolvens.

R. Carnis vitulinæ macilentæ bene contusæ libras duas.

Hordei mundati uncias duas
Cum libris octo aquæ decoctis spatio trium horarum, vase rite clauso, sub finem adde
Lactucæ recentissimæ sativæ libram semis.
Agninæ dictæ uncias quatuor
Radicis Scorzoneræ uncias sex
Tum ebulliant rursum spatio quartæ partis horæ, addendo semper tantum aquæ, ut à coctione supersint juris libræ sex.

Jus cancrorum fluviatilium ad humectandum, leniendum, emolliendum.

R. Cancrorum fluviatilium vivorum libras tres

Coque spatio horæ, cum aquæ libris duodecim, tum exemptos contunde una cum testis, atque coque in priori jure proprio adhuc per horas quatuor addendo semper tantum aquæ, ut à coctione libræ octo circiter supersint, tum jus fortiter exprime, atque ei infunde

Florum Borraginis unciam unam, et semis.
Blugossi unciam unam
Radicis Tragopogoni uncias quatuor
Sisari uncias duas

Dein ebulliant simul spatio decimæ sextæ partis horæ.

Sumatur de utrovis horum ad uncias duas, et semis omni bihorio.

Decoctum humectans.

R. Seminis papaveris albi contusi unciam unam.
Avenæ integræ drachmas quatuor
Cicerum rubrorum contusorum drachmas duodecim
Florum Borraginis
Altheæ singulorum drachmas septem
Radicis Scorzoneræ uncias duas.
Glyzyrrhizæ drachmas duas
Foliorum Malvæ,
Parietariæ, singulorum manipulum semis.
Cum aquæ decoctæ spatio quartæ partis horæ pintis duabus admisce
Rob Ribesiorum,
Sambuci, singulorum unciam unam.
Capiat uncias duas omni hora diei.

Lenientia.

Sunt, quæ duritiem, id est rigiditatem tollunt. Vid. Aphor. 35.

Emollientia.

Fere eadem ac lenientia.

Diluentia.

Sunt hæc quidem primaria

1. Aqua pura ad teporem sani corporis calida, balneo, fotu, vapore, clysmate, potu applicata.

2. Serum lactis recens similiter usurpatum.

Resolventia.

Sunt, quæ id, quod prius fluidum, dein concretum fuerat, iterum in fluidum reducunt.

1. Diluentia.

2. Salina ex sale marino, gemmæ, nitro, ammoniaco, borace, alcalicis volatilibus, vel fixis. Acida rite fermentata &c. composita ex his, Sal Polycrestus, Tartarus tartarisatus, tartarus purgans Sennerti, Panacea duplicata Ducis Holsatiæ, Nitrum stibiatum, Sal viperarum saturatus Tachenii, &c.

3. Saponacea, sales volatiles spirituosi, aromatici, oleosi.

4. Sapo Chemicorum ex oleo destillato, et alcali fixo. Domesticus ex oleo expresso, et alcali fixo.

5. Mellita.

6. Succi horæi maturi, et Aloetica.

7. Remedia mechanica, frictiones, &c.

Hæc iterum tot diversis modis applicari possunt v. gr.

Forma misturæ, quæ resolvit.

℞. Aquæ stillatæ rutæ uncias duodecim.

Boracis Veneti drachmas duas.
Salis volatilis oleosi drachmas tres,
Mellis purissimi uncias tres.

Misce. Capiat unciam unam omni hora diei.

In Guttis.

R. Elixirii proprietatis cum sale tartari præparati,
Salis volatilis oleosi,
Salis purgantis Sennerti, singulorum unciam semis.

Capiat guttas viginti quinque, quater de die ex vino.

Pilulæ resolventes, saponaceæ.

R. Saponis veneti,
Boracis,
Aloes puræ, singulorum drachmas duas.

Misce. Fiant pilulæ. Singulæ granorum trium.

Capiat unam quater de die.

Decoctum simile.

R. Herbæ recentis Saponariæ manipulos tres.
Becabungæ manipulos duos.
Fumariæ manipulum unum.

Radicum recentium Graminis.
Cichorei, singularum uncias duas.

Cum aqua decoque vase clauso spatio octavæ partis horæ. Per panum expressi, per quietem depurati decocti pintis tribus admisce.

Rob Sambuci,
Oximellis simplicis singulorum uncias duas.
Capiat uncias duas omni hora calidas.

In Pulvere.

R. Spermatis Ceti,
Boracis, singulorum drachmas duas.
Misce. Fiat Pulvis: divide in doses octo
Capiat unam omni bihorio ex pauxillo vini.

Abstergentia.

Sunt, quæ glutinosa fluida, vel semicorrupta solida depellunt à locis, quibus sua tenacitate adhæserunt, suntque:

1. Diluentia.
2. Resolventia.
3. Maxime saponacea, lixiviosa, fixa, et mellita cum aceto.

DE SIMPLICISSIMIS HUMORUM VITIIS, ET SPONTANEIS.

58 Humores in homine vivo reperiundi, vel crudi (*a*) assumtorum naturam retinent hactenus, vel vi actionum naturalium, et miscela fluidorum humanorum, indolem acquisiverunt nostris liquoribus similem.

59 Priores (58) vel ex plantis, vel ex aliis sunt hausti animalibus (*b*).

MORBI SPONTANEI EX ACIDO HUMORE.

60 Liquida nostra confecta ex plantis farinosis, vel ex horæis fructibus,

(*a*) Cibus, potus, chylus ipse in corde dextro jam existens cruda sunt licet coctionem *primam* in stomacho receperint. Dum per Pulmones pellitur iste incipit coctio *secunda*, quæ ex chylo lac facit. Dum post aliquot horas expertus vim vasorum, et viscerum, *coctus* est. Hæc erit *tertia* coctio, et in sanguinem conversio.

(*b*) Ex Minerali Regno condimentum cruitur, nempe *SAL* marinus. Forte etiam *AQUA*, si inter Fossilia numeranda.

crudis, fermentatisve, si vires vitæ nostræ vincunt, eam in nobis indolem acquirunt, quam suæ naturæ per calorem fotæ debent. Acrimonia acida (*a*), et glutinosum pingue hinc oriuntur maxime. Prior ex fermentatis imprimis, et non fermentatis: posterius ex farinosis cerealibus, vel leguminosis, non fermentatis, neque coctis nascitur; quo spectant etiam illa, quæ austeri adstrictu tenacitatem humorum creant.

61 Acida hæc acrimonia (60) causas habet antecedentes 1. alimenta ex farinosis, succulentis acidis, recentibus, crudis, ferventibus jam, vel fermentatis vegetabilium partibus. 2. Inopiam boni sanguinis in corpore hæc alimenta assumente. 3. debilitatem fibrosæ compagis (24. 29. 41.) vasorum, et viscerum. 4. defectum animalis motus.

62 Sedem habet jam nata maxime primæ digestionis officinas, inde tardius sanguinem, denique omnes humores inficit.

63 Producit ructus acidos, famem, morsum ventriculi, dolores iliacos, flatus, spasmos, inertiam bilis, mutationem ejus variam, chylum acidum, fœces alvi

(*a*) Acidi notæ ex hodierna chemia desumendæ. An acidum in sanguine aut aliis liquidis humanis possit naturaliter existere? sub judice lis est. Inst. Med. §. 1173.

acidum spirantes. Hæc ejus effecta in stomacho, et intestinis.

64 In sanguine pallorem (*a*), serum chylosum acidum; hinc fœminis lac acidum, aut potius nimium acescens, sudorem acidum; salivam acidam producit; inde pruritus, obstructiones, pustulæ, ulcera, lactis prompta nimis, quin et forte ipsius quoque sanguinis coagula, et ad circuitum ineptitudo exsurgunt, tum irritamenta cerebri, nervorumque; unde convulsio, turbata circulatio, mors.

65 Ex his (60. 61. 62. 63. 64. 65.) recitatis præsens, futura, præterita cognoscitur acida temperies; hinc prænoscuntur ejus effecta; hinc curatio scitur.

66 Quæ perficitur: 1. alimentis acido oppositis ex animalibus, vegetabilibusque. 2. succis bono sanguini similibus ex avibus rapacibus. 3. roborantibus. 4. motu valido. 5. medicamentis acidum absorbentibus (*b*), diluentibus, obtundentibus, immutantibus.

(*a*) Maculæ lividæ cadaverum aceti lotione disparent. Hoc fit in Potentatum filiis, ut minus diformes sint mortui, minusque terreant.

(*b*) Absorbentia acidum in liquidis latens ad se trahunt, illud à reliquis liquidi partibus separant, et cum illo quasi concrescunt. Non debent in tenuissimam subtilitatem reduci; tunc enim cum aqua pura coeunt; cum glutinosis humoribus, si non adest sufficiens copia acidi,

67 Quorum electio (*a*), præparatio, dosis, applicatio tempestiva innotescun Medico ex cognito malo, ejus sede, ægrotante, &c.

68 Hinc patet cur pueris, pigris, virginibus, pauperibus, et certis artificibus (*b*) hic morbus familiaris sit.

quod solvere possint, in masas irresolubiles abeunt. Nulla docuit observatio *preciosas margaritas* ad hos usus præferri debere vilibus cancrorum lapidibus. Isti igitur sunt in usum adducendi.

(*a*) Infantibus raro dandi sales alcalini fixi, nec volatiles, acres enim sunt : præferuntur sapones, vel absorbentia innocua. Si una cum acido lentum glutinosum adsit in primis viis, sales alcalini fixi præferendi, qui et omne glutinosum lentum dividunt, et acidum mutant in salem neutrum. Si jam ipsum sanguinem infecerit acidi labes, simulque frigus, et inertia adsint ut fit plerumque, alcalini volatiles sales mobilissimi ad ipsum sanguinem penetrantes prosunt, qui simul eficaci stimulo languentem vitam excitant. Si simul roborandum est corpus limatura ferri præfertur reliquis. Pro infantibus matris ubera ducentibus huic matri victus ex alcalescentibus prodesse poterit.

(*b*) Illi qui cerevisias, et aceta conficiunt aquas fortes parant . . Huic morbo sunt admodum expositi.

APHOR. 66. NUM. 1.

Jura ex avibus, piscibus, et quadrupedibus. Ipsæ horum carnes imprimis assæ. Gelatinæ ex jure inspissato. Vinum cum sale pauco alcalino.

R. Salis absinthii drachmas duas.
Vini Gallici albi uncias viginti quatuor.
Misce. Bibatur uncia una omni trihorio.

Vegetabilia antacida.

Absinthium.
Alliaria.
Allia.
Anethum.
Anthora.
Angelica
Anisum.
Apium Celeri.
Aristolochia longa, rotunda.
Armoracia.
Arum.
Asclepias.
Asparagus.
Asphodelus albus.
Basilicum.
Brassica.
Calamus Aromatic.
Calamentha.
Carduus benedictus.
Carduus Mariæ.
Carum.
Caryophillata.
Caryophili aromatici.
Cochlearia.
Cepæ.
Centaurum minus.
Dauci.
Eruca.
Eryngium.
Erysimum.
Eupatorium.
Galanga major, minor.
Helenium.

Lepidium.
Majorana.
Marrubium.
Matricaria.
* Mezereon.
Napus.
Nasturtium.
Nepeta.
Origanum.
Piper.
Porrum.
Pyrethrum.
Raphani.
Ruta.
Saponaria.
Satyrion.
Serpillum.
Sabina.
Satureja.
Sedum acre vermiculare.
Sinapi.
Squilla.
Thymus.
Thlaspi.
Victorialis.
Urtica.
Zedoaria.
Zingiber.

APHOR. 66. NUM. 2.

Tales sunt aves, et aviculæ, quæ pascuntur insectis inprimis, et pisciculis, ut Anas, Anser, Passer, Fringilla, Alauda, Turdus, Perdix rostrata, Larus, Coturnix. Harum omnium ova.

APHOR. 66. NUM. 3.

Roborantia.

Sunt, quæ fibris, vasis, membranis, visceribus vim elasticam addunt: 28. n. 1. 4. Item Spirituosa fermentata, cerevisia generosa, vina, hydromel, Spiritus vini.

APHOR. 66. NUM. 5.

Absorbentia Acidi.

Quibus immersa acida vim acrem ammitunt ita, ut nec ut acida, nec ut acria agere porro queant: dum interea nullam ipsa acrimoniam habent, qua corpori noceant; inde aliis sæpe præferri solent. Uno hoc damnosa, si, inerti pituitæ mista, mole nocent, et pondere.

Suntque ossa sicca piscium, mandibulæ Lucii, &c.
Lapis, Chelys, Testa cancrorum, Astacorum.
Ostreodermata, Conchæ Mytulorum, &c.
Corallia, Perlæ, Mater Perlarum, &c.
Creta, Bolus, Osteocolla, Marga.
Lapis hæmatitis grana quindecim.
Limatura stanni grana octo.
Limatura ferri grana duodecim.

Diluentia Acidi.

Aqua, et aquosa. Aphor. 54. num. 4.

Obtundentia Acidi.

Quæ molli suo lentore inviscant acria acida ita, ut acies eorum hebetata amittat noxiam; dum simul defendunt mem-

branas, ne offendantur à spiculis acidis, itaque, et effecta horum jam impressa tollunt. Solum obsunt quandoque iis, quibus laxa nimis corporis compages ultra labefactaretur.

1. Oleosa.

Amygdalæ dulces, et amaræ.
Pistachiæ.
Nuces avellanæ, Juglandes, Cocos.
Semen Papaveris albi.
Olea expressa ex his, tum Olivarum, &c.

2. Gelatinosa, ex jusculis inspissatis carnium, et piscium.

3. Aromata oleosa, leniora, ratione olei.

Vid. num. 1. hujus Aphor.

Tum præparata ex his infinita.

Immutantia Acidi.

Quæ cum acidis mista statim cum hisce effervescunt, itaque motum cient, stimulant, agitantque fibras; postea vero ipsis cum acidis unita constituunt novam salis speciem, in qua vis stimulans, diaphoretica, diuretica, resolvens adhuc superest. Male cædunt tantum his, quibus nimius motus adest infestus.

Sales alcalini fixi ex quocumque combusto vegetante parati, grana sex.

Volatiles ex destillatione animalium, Stirpium putrefactarum, aut plantarum antacidarum recentium pa-

rati. Vid. Aphor. 66. n. 1. grana decem. Saponacei fixi, sapo venetus, &c. drachma una.

Volatiles drachma semis.

Qui triplices imprimis.

1. Spiritus volatiles, oleosi, salini sanguinis, urinæ, cornu cervi, serici, &c.

2. Offa Helmontiana ex Alcohole vini purissimo, et spiritu salis Ammoniaci fortissimo mistis, et destillando unitis.

3. Sales volatiles alcalini fortissimi cum oleis aromatum sæpe sublimati, atque ita uniti, e. g.

R. Salis cornu Cervi purissimi, sicci unciam unam.

Olei stillaticii corticis citri drachmam unam.

Sublima aliquoties ex phiala.

Tum præparata ex hisce.

MORBI A GLUTINOSO SPONTANEO.

69 Glutinosum (*a*) pingue ex vegetabilibus habet causas antecedentes, 1. fa-

(*a*) Glutinosum dicitur omne corpus quod ad fluidi naturam utcunque accedens, tale est, ut ejus partes tanta tenacitate cohæreant, ut in filamenta se duci patiantur. Non solum liquida humana, ut sanguis, serum, bilis.. ali-

rinosa cruda, austera, immatura. 2. inopiam boni sanguinis. 3. debilitatem vasorum, viscerum, bilis. 4. imminutum motum animalem. 5. dissipationem liquidioris per laxata vasa secernentia. 6. retentionem crassioris debilitate instrumentorum excernentium.

70 Nascitur primo in prima officina

quam tenacitatem habent; sed etiam secreta liquida glutinosa dicenda sunt, v. gr. liquor unctuosus articulis lubricandis inserviens, mucus naturalis partes membranaceas corporis plurimas deffendens, et lubricans, ut in ventriculo, œsophago, intestinis . . . arteriarum internæ parietes quoque mucoso tali smegmate obducuntur.. Sed hæc omnia glutinosa naturalia, sana, et utilia sunt. Hic autem de pituita morbosa tantum agitur.

Duplicem pituitam Veteres agnoverunt. Illud quod ustum, et velut supra modum in succis coctum erat vocabant *Phlegma*, quod ustum esse significat, illud autem albi coloris quod omnes *Pituitam* vocant *Mucum* dixit Prodicus in opere de hominis natura. Chart. t. v. p. 50.

Prius illud erat phlegma calidum, et phlegma phlegmonodes dictum: posterius erat frigidus lentus humor, qui simpliciter pituita, vel, et phlegma frigidum dicebatur.

Phlegma illud calidum in sanguine venis educto in morbis inflamatoriis apparet sæpe, ubi insulæ superficies coriacea tenaci alba lamella tegitur: phlegma frigidum in catarrhosis morbis tanta copia secernitur. Hæc omnia vere utilia ex van-Swiet. hic.

digestionis, hinc in sanguine, dein in reliquis, inde derivandis, liquidis.

71 In primis viis facit prostratum appetitum; repletionis sensum; nauseam, vomitum; ingesti cruditatem; bilis inertiam (*a*), ejus inviscationem, et consumtionem; pituitæ stomachicæ, et intestinalis ortum; alvum tardam, et tumentem; impedimenta chyli parandi, perficiendi, secernendi.

72 In sanguine visciditatem, pallorem, immeabilitatem; in vasis obstructiones, concretiones, urinam pallidam vix olentem; salivam lentam; tumorem album; impeditas secretiones; defectum subtiliorum; sic minimorum canalium coalitum facit.

73 Hinc coctiones, circuitus, secretiones, excretiones, motus vitales, naturales, animales omnes perturbantur, unde suffocatio, mors.

74 Ex his (69. 70. 71. 72. 73.) diagnosis, prognosis, anamnesis mali hujus patet, nec vero, sanatio quid indicet, obscurum est.

(*a*) Glutinosa in primis viis hærentia aliquantulum dilutâ possunt intrare hiantia in cavum intestinorum oscula venosa. Hæc autem sunt vel vasa lactea, vel venæ mesentericæ, quæ directe per venam portarum tendunt in hepar, ubi bilem inertem reddunt.

75 Quæ obtinebitur, 1. usu cibi potusque bene fermentati, sale, et aromate conditi. 2. Jusculis volatilium animalium. 3. roboratione vasorum, et viscerum. 4. aucto motu. 5. medicamentis diluentibus, resolventibus, stimulantibus, biliosis, saponaceis. 6. frictu, calore, balneo, vesicatoriis (*a*). Cæterum interiora corporis (*b*)

(*a*) In isto loco vesicatoria lenissima à Boerhaavio proponuntur, quod probe notandum in Medico Batavo Battavis laxissimis Medicinam faciente. Metuebat absdubio sitim, calorem urentem, febrim, stranguriam molestissimam, priapismum, halitum cadaverosum . . quæ *Cantharides* excitare valent Cauti igitur, et prudentes in hac re estote Tirones Medici.

(*b*) Ex lacte producuntur coagula caseosa, quæ in scirrum, et cancrum ultimo degenerare possunt. In membrana schneideriana coagula mucosa : in articulis, ubi glandulæ haversianæ mucilaginem fundunt mucilaginosa : in oculis lemosa concreta fiunt : in hepate loco suppurationis amurca, seu corrupti visceris tabus, ut calculi etiam contingunt. Si materia contenta similis sit melli seu ceræ *melliceras* ; si sevo *steatoma* ; si pulti *ateroma* nominatur. Hæc de pituita præternaturali intelligenda.

Cavendum tamen religiose ne perturbetur glutinosum beneficum naturale. Hoc maximi momenti monitum est, quod neglectum turpibus erroribus toties ansam dedit. Purgantia : vesicatoria, diuretica . . valida, repetita, mucum stomachi, ventriculi, viarum urinæ erodunt, exturbant . . magno ægrorum detrimento . . Gummi arabicum ad eum reponendum juvat.

obsidentur glutinosis, vel spissis, caseosis, mucosis, mucilaginosis, lemosis, ceraceis, pultaceis, amurcosis, calculosis, tartareis, serosis inflammatis, polyposis, meliceratis, steatomatosis, atheromatosis densis, scirrhosis concretis. Cavendum religiose, ne perturbetur glutinosum beneficum, naturale, lubricans, inungens, defendens, quod oculis, palpebris, naso, ori, faucibus, gulæ, ventriculo, intestinis, pelvi, ureteribus, vesicæ, urethræ, vaginis mucilaginosis tendinum, articulorum commissuris, laryngi, arteriæ asperæ, bronchiis datum in usus necesarios, cum glutinoso morboso. Quod fatali idiotarum, et medicastrorum errore nimis crebrum.

APHOR. 75. NUM. 1.

Aromata, quibus cibi potusque condiri commode possunt, primaria sunt.

Cinnamomum.	Piper.
Macis.	Galanga minor.
Nux myristica.	Cortex Citri.
Cortex Aurantior.	Anisum.
Thymus.	Coriandrum.
Origanum.	Serpillum.
Caryophili aromatici	Cardamomum.
Zinziber.	

Hæc pani, vino, cerevisiæ, fermentandis mista prosunt.

APHOR. 75. NUM. 2.
Vid. 66. Num. 1. 2.
APHOR. 75. NUM. 3.
Vid. 28. Num. 4.
APHOR. 75. NUM. 5.

Diluentia, *resolventia*, vid. 54. num. 4.

Stimulantia.

Quæ mole, densitate, figura, mobilitate, fibrillis vasculorum impacta, vim contractilem augent. Primaria sunt.

1. *Acida Salina Nativa.*

Succi citri. Uvarum.
Aurantii. Horæi acidi.
Sales ex succis vegetantibus pressis sola parati mora.

Fermentata.

Vinum Rhenanum. Tartarus.
Mossellanum. Cremor Tartari.
Acetum vini. Lac acescens.
Cerevisiæ. Serum lactis acidum.
Spiritus aceti.

Igne producta.

Spiritus salis Marini. Vitrioli.
Gemmæ. Sulphuris per Campanam.
Nitri.

2. *Alcalina Salina.*
Fixa

Omnia ex cineribus Plantarum, ut,
Sales Absinthi. Tartari.
Cardui benedicti. Cineres Clavellati *ad* grana sex.

Volatilia.

Omnia ex destillatis vel putrefactis animalibus, ut,
Sales, et Spiritus cornu cervi. Ossium.
Humani sanguinis. Salis Ammoniaci.

3. *Salina composita.*

Sales Marini. Nitri.
Gemmæ. Borax.
Ammoniaci Nativi. Tartarus tartarisatus.
Artificialis. regeneratus.

4. *Olea acria Aromatica, vel ambusta.*

Olea stillatitia Absinthii.
Corticis Citri. Caryophylli aromatici.
Aurantiorum.
Cassiæ ligneæ. Hyssopi.
Chamæmeli. Ligni Guajaci.
Cinnamomi. Juniperi.

Sassafras.
Macis.
Majoranæ.
Menthæ.
Nucis Myristicæ.
Origani Cretici.
Pulegii.
Rhodii ligni.
Rorismarini, Rutæ.
Sabinæ, Salviæ, Spicæ.
Seminum Anisi, Anethi, Cari, Fœniculi.
Succini, Tanaceti, Terebinthinæ.

Olea pressa.

Amygdalarum amararum.
Laurinum.
Macis.
Nucis Myristicæ.

Olea nativa.

Balsamus Hiericuntanus (*de Jericó.*)
Tolutanus.
Palmæ.
Peru.
Copaibæ.
Meccæ.
Terebinthinæ.

Olea ambusta acria per retortam destillata.

Olea ambusta
Sanguinis.
Ossium.
Cornuum.
Ovorum.
Urinæ.
Lignorum.
De Lateribus, &c.

5. *Spiritus inflammabiles fermentati.*

Farinæ, et Succorum horæorum.

6. Plantæ acres Aromaticæ dictæ, quæ sale num. 2. oleoque num. 4. abundant.

Folia. Abrotani.
Absinthi.
Agerati.
Anethii.
Anisi.
Aristolochiæ.
Ari.
Betonicæ.
Calaminthæ.
Cardiacæ.
Chamædryos.
Chamæpytios.
Chelidoniæ majoris.
Cochleariæ.
Dictamni.
Hepaticæ nobilis.
Erysimi.
Eupatorii cannabis.
Feniculi.
Hederæ terrestis.
arboreæ.
Hyssopi.
Lauri.
Levistici.
Majoranæ.
Marrubii.
Matricariæ.
Melissæ.
Menthæ.
Nasturtii.
Nepetæ.
Nicotianæ.
Origani.
Piperitidis.
Persicariæ acris.
Porri.
Pullegii.
Rorismarini.
Rutæ.
Sabinæ.
Salviæ.
Saturejæ.
Scordii.
Serpilli.
Soldanellæ.
Thymi.
Tanaceti.
Thlaspi.
Veronicæ.
Urticæ.

Stimulantia Aromatica.

Flores herbarum, quarum folia mox recensita sunt, imprimis.

Flores Agerati.
Aurantiorum.
Calthæ.
Caryophyli Hortensis.
Centauræ minoris.
Chamæmeli.
Citri.
Croci.
Eupatorii.
Liliorum convallium.
Lupuli.
Meliloti.
Mari Syriaci.
Salviæ.
Scabiosæ.
Schænanthi.
Spicæ.
Stœchados arabicæ.
Tanaceti.
Tiliæ.

Stimulantes Aromaticæ Radices.

Radices Acori.
Allii.
Angelicæ.
Anthoræ.
Aristolochiæ.
Armoraciæ.
Carlinæ.
Caryophili Montis.
Ceparum.
Celidoniæ. majoris.
Contrayervæ.
Costi hortensis.
Orientalis,
Curcumæ.
Cyclaminis.
Cyperi.
Doronici.
Fraxinellæ.
Fumariæ bulbosæ.
Galangæ.
Gentianæ.
Helenii.
Imperatoriæ.
Iridis.
Levistici.
Mei.

Ninzing.
Ononidis.
Petasitidis.
Petroselini.
Peucedani.
Pæoniæ.
Porri.
Ptarmicæ.
Pyrethri.
Raphani.
Rubiæ.
Rusci.
Satyrionis.
Scrophulariæ.
Seseli.
Squillæ.
Valerianæ.
Victorialis.
Vincetoxici.
Zedoariæ.
Zingiberis.

Stimulantia Aromatica Semina.

Semina Anacardii.
Anethi.
Anisi.
Apii.
Aquilegiæ.
Bardanæ.
Cardamomi.
Cari.
Celeri.
Chermes.
Coriandri.
Cumini.
Cubebæ.
Dauci.
Erucæ.
Erysimi.
Fœnigræci.
Juniperi.
Lauri.
Levistici.
Napi.
Nasturtii.
Nigellæ.
Pastinacæ.
Petroselini.
Porri.
Raphani.
Santonici.
Seselios.
Sinapi.
Thlaspi.
Nux myristica.
Nuclei Persicorum.

Stimulantes Cortices.

Cortices Guajaci.
Sassafras.
Juniperi.
Aurantiorum.
Citreorum.
Limoniorum.
Cinnamomi.

Stimulantes Aromatici Succi.

Aloes.
Ambra grisea,
liquida.
Assa fœtida.
Ammoniaci Gummi.
Anime.
Bdellium.
Benzoinum.
Elemi.
Galbanum.
Juniperi.
Lacca.
Labdanum.
Mastiche.
Mirrha.
Sagapenum.
Styrax.
Tacamacha.
Thus.

7. *Insecta*, *Asselli*, *Formicæ*, *vermes Majales*, *Cantharides.*

Partes animalium.

Castoreum, Zibethum, Moschus, Urina, Stercora Avium parum bibentium.

8. *Stimulantia composita.*

Sunt Decocta, Extracta, Conservæ,

Condita, Tincturæ, Spiritus, Aquæ, Sales volatiles, oleosi, spirituosi, Pilulæ, Pulveres.

Decoctum contra glutinosa stimulans.

R. Foliorum Aristolochiæ rotundæ
Camædryos
Rutæ singulorum manipupulum unum.
Florum Calthæ.
Eupatorii singulorum Semunciam.
Radicum Angelicæ.
Imperatoriæ singulorum drachmas quatuor.
Seminum Celeri.
Raphani Hortensis singulorum drachmas quatuor.
Corticum Sassafras unciam unam.
Magellanici drachmas duas.

Cum aqua infundantur fere fervida spatio duarum horarum; dein decoquantur vase clauso, spatio decimæ sextæ partis horæ unciæ quadraginta, et sex.
Capiat unciam unam omni hora calidè.

Extractum contra Glutinosa stimulans, et attenuans.

R. Foliorum recentium Absinthi.
Eupatorii Cannabini.
Marubi albi.

Tanaceti singulorum quod sufficiat. Conscissis minutim, contritis dein, per prælum succum exprime; hunc leni igne depura per secessum fæcis; dein exhala ad spissitudinem mellis crassi, cui adde.

Salis Absinthi Tacheniani unam quadragesimam partem (*a*).

Dosis drachma semis bis de die, vacuo stomacho ex vino Gallico.

Similia extracta fiunt ex Decoctis, inspissatis, et per prælum pressis.

Conserva stimulans contra glutinosa.

R. Summitatum recentium Rutæ,
Tanaceti singulorum unciam unam.
Florum recentium Mari Syriaci,
Rorismarini.
Lavendulæ singulorum drachmas quatuor.
Radicum recentium Helenii.
Vincetoxici singularum unciam unam.
Seminum Raphani,
Nasturtii singulorum drachmas quatuor.

(*a*) Unciis quinque v. gr. exactius XXXIX drachmis hujus Extracti drachma una salis hujus absinthii Tacheniani addenda.

Hinc drachma bipartita, quæ pro quotidiana dosi à Boerhaavio proponitur vix duo salis hujus grana continet.

Contusis admisce secundum artem
Sacchari albi uncias quatuor.
Capiat drachmam unam quater de die, vacuo stomacho, ex vino Gallico albo; vel Hispanico, Malvatico, canariensi, &c.

Conditum calidum, stomachicum, stimulans.

R. Zingiberis conditi,
Radicis Helenii conditi,
Corticis Magellanici singulorum unciam unam.
Syrupi Menthæ quod suficiat,
Ut fiat Conditum.
Capiat drachmam semis sexies de die.

Tintura stimulans calefaciens.

R. Radicum Gentianæ,
Anthoræ singularum unciam unam.
Florum centauræ minoris unc. unam.
Croci drachmam unam.
Baccharum Lauri,
Juniperi.
Seminum Erucæ,
Sinapi singulorum unciam unam, et semis.
Cum spiritus vini in phiala alta vitrea decocta spatio duodecim horarum libris tribus, serva.
Dosis drachma una ter de die, vacuo stomacho, ex unciis duabus Hydromelis.

Spiritus aromaticus stimulans.

R. Florum Lavendulæ.
Tanaceti.
Aurantii.
Roris marini, singulorum unciam unam.
Radicum Angelicæ.
Helenii.
Imperatoriæ.
Levistici singularum unciam unam, et semis.
Foliorum Calaminthæ.
Cochleariæ.
Matricariæ, singulorum manipulm unum.
Seminum Cari.
Celeri.
Erucæ.
Nasturtii singulorum unciam unam.
Corticum Juniperi.
Sassafras.
Cinnamomi singulorum uncia unam, et semis.

Cum spiritu vini destilla ad dimidium, ut habeantur libræ tres, bis cohobando ex vesica.

Capiat drachmas duas ex vino, vel Hidromelle ter de die.

Aqua aromatica.

Si loco spiritus vini aqua sumatur in præcedenti, habetur aqua Aromatica.
Dosis uncia una, et semis ter de die.

Sal Volatile oleosum.

R. Spiritus præcedentis libras duas.
Cineris clavelati uncias tres.
Salis ammoniaci unciam unam, et semis.
Destilla ex retorta ad libram unam, in hoc dissolve.
Olei stillati Corticis Citri guttas sex.
Lavendulæ guttas viginti.
Majoranæ guttas sex.
Dosis guttæ decem ter quater de die, ex Hydromellis vel vini uncia una.

Pilulæ stomachicæ stimulantes.

R. Gummi Ammoniaci.
Opopanacis singulorum drachmam unam.
Bulbi Ari recentis drachmas duas.
Saponis Veneti drachmam unam.
Olei stillati Tanaceti guttas decem.
Misce. Fiant pilulæ, singulæ granorum trium deaurandæ.
Capiat unam omni trihorio de die.

Pulvis calefaciens stimulans.

R. Olei destillati Menthæ.
Majoranæ.
Tanaceti singulorum guttas sex.
Sacchari albi siccissimi unciam unam.
Fiat secundum Artem Elæosaccharum, cui admisce,
Radicis Zingiberis albi,
Corticis Magellanici, singulorum drachmas quatuor.
Capiat drachmam semis ter de die ex vino.

Vinum Medicatum.

Fiat ut *Spiritus* hac sectione descriptus vel ut *Tinctura*, decoquendo *cum vino* loco spiritus vini.
Dosis unciæ duæ, ter, quater de die.

Cerevisia Medicata.

Eadem ingredientia Spiritus eadem copia infundantur in quarta parte tonnæ cerevisiæ adhuc ferventis.
Pro potu assiduo adhibeatur.

Biliosa.

Fel animalium quadrupedum, et fel Piscium,
Lupi inprimis, et Anguillæ, v. gr.

Pilulæ biliosæ, stimulantes.

R. Fellis Tauri, Lupi piscis singulorum drachmas quatuor. Leni igne lente exhalent in mellis spissitudinem. Tum admisce. Farinæ bulbi Ari recentissimi quod suficiat. Fiant pilulæ. Singulæ granorum trium deaurandæ. Capiat unam mane, meridie, vesperi, una ante cibum hora.

Huc Lapis Hystricis, *Pedra del Porco* dictus, referendus, cujus infusio in aqua stillatitia cardui benedicti, vel in vino Rhenano, facta, propinatur ad uncias duas, vel tres.

Item Helmontianum (*Medicamentum*), ex Hepate, et felle Anguillæ leni igne tostis in pulverem, dein datis ad drachmam unam, ex Oblati involucro cum vini Rhenani unciis tribus.

Saponacea.

Vid. Aphor. 54. N. 4. inter *Resolventia.*

APHOR. 75. NUM. 6.

Balneum ad glutinosa.

R. Summitatum Rutæ. Sabinæ.
Absinthii. Tanaceti.
Chamemeli singulorum manipulos tres.

Cum aquæ decoctæ Pintis duodecim admisce. Saponis veneti uncias quatuor.

Salis sarmentorum unciam unam.

Vesicatoria.

R. Raphani Rusticani recentis, et succulenti, contriti unciam semis.

Applica ad cutim per horæ dimidium, aut tandiu, donec inflammationem satis magnam excitatam, dolor fervidus, et rubor partis tumens testetur.

R. Sinapi cum aceto contriti drachmas quatuor.

Applica per horas quatuor.

R. Cantharidum sine alis contritarum in pulverem tenuem drachmas duas.

Accurate misceantur cum drachmis sex fermenti panis, pauxillo cum aceto subacti.

Applica spatio duodecim horarum, vel donec in vesicam manifesto epidermis elata sit (*a*).

(*a*) Optima Cantharides applicandi methodus dosim harum, et Excipientis determinans. Alas rejicit Boerhaavius. Alii dicunt, has fere inertes esse : alii in his, pedibus, et capite Venenum latere. Vid. Geofroy Mat. Med. *De Insectis*.

Camphora addita utcumque cavebit ea, quæ pag. 50. Not. (*a*) timentur. Halitus cadaverosus aceto cantharidum acidum acuente præcavebitur. Vid. Tom. II. pag. 317. 363. et 469.

MORBI EX ALCALINO SPONTANEO.

76 Nonnullæ plantæ scatent materia, quæ sponte corrupta non acescit (*a*), nec coit, sed resolvitur in fœtidum volatile, pingue Alcali : tales omnes fere Aromaticæ valde acres. Has vero raro assumunt tanta copia, ut morbum creent ex suo ingenio. Sin autem id contigerit, pertinebit ad acre alcali oleosum.

77 Ex animalium partibus confecta nostra liquida varia sunt : 1. pro varietate alimenti, quo se sustinent. 2. pro varietate partis (*b*), quæ assumitur.

(*a*) Dubitatur hodie num plantæ istæ principio alcalino, an acido gaudeant. Ex observationibus Doctoris Pringle, Cartheuserii . . et præsertim ex analysi harum plantarum cruciferarum, quæ extat Tom. V. Societatis Regiæ Med. Paris. An. 1782. et 3. apparet in expresso illarum succo aciditatem reperiri manifestam. Sed nihilominus in conclusione asseritur principium istud per analogiam solum, et per effectum fuisse deffinitum nec esse acidum, nec alcalinum, nec sulfur, &c. (pag. 406.) et ulterius id esse indagandum. (p. 412. 3. 4.)

(*b*) Lac bovinum in calore aeris æstivi acescit, carnes putrescunt, medulla in rancidam corruptelam abit.

78 Animalia enim, quæ herbis, et aqua aluntur, chylum acidum, vel facile acescentem, adeoque et tale lac habent; quod in nobis suam sequens indolem vegetabili nutrimento simillima patrat. Vid. (61. ad 76.) et lentam (*a*) materiem caseo presso similem in primis viis creat; quæ singularis hic viscidi species.

79 Quæ aliis nutriuntur animalibus, omnes succos facile alcalescentes habent.

80 Si alimenta, vi nostri corporis, (58) eo sunt redacta, ut jam liquores (*b*) fecerint, quales in corpore sano, et robusto inveniuntur, post abstinentiam à cibo potuque per viginti horas; tum, si sibi relinquuntur in quiete, et calore, vel etiam si moventur valide, naturam adipiscuntur ubique eandem putredinis incipientis.

81 In alimentis vero ex aliis animalibus, jam statim, ante mutationem cor-

(*a*) Liquida humana in concretionem prona sunt. Chylus examinatus vix quid coaguli dat: sed lac, quod tantum est chylus, qui aliquo tempore fluxit cum sanguine per vasa, jam separari potest in tres partes, cremorem nempe, serum, et colostrum subsidens . . serum, et sanguis ulterius in concretionem prona sunt.

(*b*) Si post quatuor, vel quinque horas post pastum largum educitur sanguis, magna chyli lactescentis copia innatat, quod probe notandum.

pori nostro adscribendam, illa in putredinem (*a*) vergens indoles sponte adest.

82 Putredo hæc (80. 81.) significat eam conditionem humorum, cujus præsentia aqua multum exhalat; Salina materies attenuata, acido orbata, vel et mutata, à terra, oleoque suo separata, fit acris volatilis, alcalina; Oleosa pariter, una parte tenuior, terra orba, sali illi acri permista, acris, volatilis, fœtens evadit; altera autem olei pars, terræ aqua, sale, et oleo priori orbæ permista tenacissime abit in atram, densam, immeabilem fæcem.

83 Insecta, pisces, amphibia, animalia volatilia, repentia, gradientia, natantia, homines denique, ex propria sua natura, in hanc putredinem (82) sponte vergunt semper; acescunt nunquam.

84 Hujus putredinis (82) antecedentes causæ sunt: 1. cibi ex aliis animalibus comestis, excepto lacte herbaceo (78), maxime ex insectis, piscibus, avibus rapacibus, ex vegetabilibus alcalescentibus. 2. abundantia boni sanguinis, vel si jam putredini ille proximus. 3. virtus magna vasorum, viscerum, (50. ad 54), bilis. 4. Stagnatio, vel nimia agitatio, torpen-

(*a*) Nutrices non solis carnium ferculis vivant, alias lac subalcalescens exhibebunt: acescentia igitur eis etiam permittenda.

te (*a*), vel incitato animali motu. 5. Calor ingens diu, et multum conciliatus corpori.

85 In primis viis facit sitim, prostratum appetitum, ructus nidorosos, graveolentiam rabidi, corruptique, sordes ori, linguæ, palato, faucibus, amarescentes putridas, nauseam, vomitum putrefactæ biliosæ materiei, horrorem adversus omnia, nisi aquosa, vel acida, cruditatem putridam, diarrhoeam biliosam, dolores Iliacos inflammatorios, caloris (*b*) molesti sensum.

86 In sanguine producit dissolutionem ejus putridam; acrimoniam alcalinam oleosam volatilem; ineptitudinem ad nutriendum; aptitudinem ad consumendum; minimorum vasculorum destructionem; hinc omnes actiones solidarum, et liquidarum partium turbat, depravat, destruit; unde circulatio, secretio, excretio variat; tum febres ardentes, urinæ, et om-

(*a*) Motus imminutio à parvo exercitio corporis, ab otiosa vita, et sedentaria homines disponit in alcalescentiam, de qua hic agit Boerhaavius, non vero de omnimoda putrefactione in cadavere reperienda à motu nullo, ut van-Swietenio placuit in commentario.

(*b*) Fœnum magnis acervis collectum per solam putrefactionem in vivas flammas erumpit. Mordax calor signum est præcipuum febrium putridarum. Peste mortui secundo post obitum die adhuc calent.

nia secreta putrida, inflammationes (*a*), suppurationes, gangrænæ, sphaceli, mors.

87 Ex his (76. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86.) denuo diagnosis, et prognosis æque, ac Curatio morbi liquido conspicitur.

88 Quæ perficitur 1. alimentis, potibusque cito acescentibus, vel jam acidis, quo farinosa in aqua cocta, vel ad initium corruptionis digesta, lac (*b*) ejusque producta herbacea, fructus horæi, horum acidi crudi, vel fermentati vinosi, acetosive, succi. 2. acidis medicamentis ex vegetabilibus crudis, vel fermentatis, aut salibus, et sulphure vi ignis in acida (*c*)

(*a*) Notanda admodum inflammationum productio ab acrimonia putrida. Acre putridum natum in corpore, sua acrimonia inflamationem facere potest. Præterea dissoluti per putredinem humores aliena vasa intrant, et sæpe per illorum angustias ultimas transire non possunt; hinc alia ratio inflamationis à putredine natæ deducitur.

(*b*) Lac ipsum purum huic operi minus aptum. Cremor pinguis seu butyrum rancescit: Caseum in putredinem vergit. Hinc Lac vel multa aqua diluatur, vel serum ex lacte ebutyrato præferendum.

Fructus horæi utilissimi Cerasa, Mora, Ribesia . . sitim extingunt, calorem temperant, urinæ, et alvi vias laxant, summum solamen languenti ventriculo à putrida bile præbent.

(*c*) Acida mineralia, ut muriaticum, sulphuricum . . potentissime putredini adversantur, ut notum est.

conversis. 3. Salinis alcali absorbentibus (*a*), ut est sal gemmæ, marinus, et nitrosus. 4. Aquosis diluentibus 5. lenibus obtundentibus, qualia farinosa vegetabilia emulcta, vel decocta sunt; et laudatissimæ boli (*b*), acidulo balsamico tecto, et demulcentissimo viscido, constantes. 6. Saponaceis abstergentibus acidis suboleosis, oxymelle, sapis acetosis 7. quiete, somno, balneo vaporis, fomentisve.

89 Unde patet ubi, et cur acidus ructus nidorosum sequens bonus? cur, et quibus convalescentibus salis ammoniaci

(*a*) Sales illi animalium carnibus aspersi omnem putredinem arcent. Hoc certum est. Non tamen hoc absorvendo efficiunt; nam Sales neutri, ut isti sunt, inter absorventia minime recensentur.

Putredo Aeris non à calore ingenti, sed ab exhalationibus cadaverosis, maxime debet attendi, et emmendari. Vid. Aph. 605. in Not.

(*b*) Inter istas terras Bolus armena præstat. Ad tactum pinguis apparet, et saponacea, in ore deliquescit fere instar butyri, et saliva integre diluitur, in sapore percipitur levissimum aroma, et simul aliquid exsiccantis adest. In his terris latet acidum miro modo obvolutum, ut docent chemicæ observationes. Hinc istæ omni putredini resistunt, et innocua lenitate demulcent omnia. In dysenteriis putridis magna præsertim dosi prossunt; uncia nempe una emulgendo quasi in libra aquæ diluta, dein cochleatim, seu unciatim sumpta pulcherrimos effectus producunt.

sapor molestus? cur sudor acidum (*a*) spirans acutis salutaris? quæ acrimonia acida, alcalina, biliosa, oleosa sit? Qui morbi propria significatione putridi dici queant? Cur illi fortissimis, plethoricis præcipuè? an unquam in homine vivente ulli humores jam vere alcalini reperti sint? rarissime (*b*): expertus loquor. Urina in vesica diu retenta, aut in calculo rariore absorta, forte, aliquando, eo pervenire queat. Aliter mors ante fit, tabefactis per acria, necdum alcalina, pulposis vitalium extremis.

(*a*) Ructus rancidi, nidorosi à putridis circa ventriculum, et vicinas partes hærentibus oriuntur. Ructus acidus sequens denotat putredinem superatam esse, et oppositum omni putredini prævalere in primis viis acidum. Hipp. (VI. Aph. 1.) id in Lienteriis observavit.

Cur in convalescentibus salis ammoniaci sapor molestus fit? Ad observata releganda responsio. Linguæ nimia tunc sensibiltas, insuficiens. Explicatio chemica van-Swietenii non satisfacit. An sal iste ammoniacus, in stomacho decomponitur; basis seu acidum materiæ putridæ ibi excitatæ sociatur, et alkali volatile avolat? organum gustus exeundo per œsophagum, et os afficit?

(*b*) In urina diù in vesica retenta, et post aeri libero expossita alcali inveniebatur. Num ab aere proveniebat? Aliquando sanguis in febre putrida maligna, in actu ipso per venæ sectionem extractionis jam fœtet. Num ab eadem causa?

90 Hinc tandem scitur, quid mali faciat nimius, vel minor liquorum circulantium motus, et quantum ejus effectus variet pro varietate loci, ubi hærent, et humorum (*a*), in quos agit? quæ à stagnante, vel ab extravasato nocumenta? imo neque obscura hinc ratio ortus viscosi glutinis, quo lentescunt humores nostri; dum spissa decocta ex animalibus diuturna elixatione parata, nimia ingeruntur copia; aut etiam, dum tegumenta animalium, horumque lentæ, tenacesque partes extremæ avidius assumuntur, aut diutius: etenim alia hinc pituitosi indoles, et distincta ab illa, quæ jam exposita in fine (75).

91 Pertractatis morbis Solidi, et Fluidi simplicissimis seorsum, agendum sequitur de iis, qui in Solido, et Fluido conjunctim occurrunt simplices quam maxime.

(*a*) Partes, quæ minus distant à corde caloris fonte, circulatione aucta magis calent: hinc ille intolerabilis ardor circa præcordia in febribus ardentibus. Bilis per febres citissime corrumpitur, urina acris fit..

APHOR. 76.

Herbæ alcalescentes edules, condimentis servientes, venenatæ (a).

Absinthium.
Alliaria.
Allium.
Alysson.
Armoracia.
Arum. *
Atriplex olida.
Asparragus.
Barbarea.
Brassicæ.
Bryonia alba.
nigra.
Bunium.
Camerina.
Capsica.
Cardiaca.
Cardaminè.
Cataputia. *
Centaurium minus.
Chamædrys.
Chelidonium majus.
Chelidonium minus.
Cochlearia.
Cepæ.
Dentillaria.
Digitalis. *
Erucæ.
Erysimum.
Esula. *
Eupatorium Cannabinum.
Gratiola.
Iberis.
Laureola. *
Lepidium.
Napus.
Nasturtium aquaticum, hortense.
Nerium. *
Persicaria acris. *
Porrum.
Raphani.

(a) Herbæ istæ sic * notatæ acerrimæ sunt, non nisi prudentissimè, si unquam administrandæ. Hæ, et alia sic notata videantur suis locis in Sylloge. Tom II. pag. 346.

Ruta.
Sabina.
Satureia.
Sedum acre minus.
Sinapi.
Squilla.
Thlaspi.
Victorialis.

APHOR. 78.

Ruminantia, vel non Ruminantia.

Asina, Bos, Capra, Equa, Ovis, &c. dant lac acescens.

Animalia, quibus victus ex vegetantibus, gramineis, fructibus horæis, vel cerealibus, carnes dant et humores haud ita proclives in putredinem alcalescentem: unde, et cibi inde petiti homini calido tutius concedendi. Sunt autem:

Agnus.
Anas cicur, vel domesticus cerealibus pastus.
Anser cicur, vel domesticus.
Aper.
Aries.
Bos.
Capra.
Capella.
Caprillus.
Capo.
Cervus.
Columba.
Coturnix.
Cuniculus.
Gallinæ domesticæ.
Hædus.
Lepus.
Perdix domi saginata.
Phasianus domesticus.
Porcus.
Sturnus.
Turdus.
Turtur.
Vervex.
Vitulus.

Huic classi adscribere cochleas, et limaces licet.

APHOR. 79.

Omnes fere Pisces, tam marini, quam fluviatiles, sive molles, sive crustacei, sive ossa habentes; vix ullo excepto.

Alauda.	Merula.
Anas fluviatilis.	Pardalus.
Anser marinus.	Passer.
Cygnus.	Phasianus sylvestris.
Gallinago major.	
minor.	Vanellus.

Avium vero multæ ambiguæ animalculis pascuntur, vel vegetantibus.

APHOR. 88. NUM. 1.
Vid. 35. NUM. 1.
APHOR. 88. NUM. 2.
Vid. 75. NUM. 5.

Stimulantia Acida Salina.

APHOR. 88. NUM. 5.

Decoctum Leniens acescens.

R. Avenæ cum cortice uncias duas.
Aquæ puræ libras tres.
Decocto ad residuum librarum duarum transcolato misce

Succi Citri recentis unciam unam.
Aquæ stillatæ cinnamomi drachmas duas,
Syrupi Mororum unciam unam.
Utatur pro cibo, et potu.

Aut.

R. Avenæ excorticatæ uncias duas.
Aquæ puræ libras tres.
Decoctum ad residuum librarum duarum depuratum stet in tepore per horas duodecim, vel donec lenissime acescat, tum adde.
Syrupi Violarum unciam unam et semis.
Vini Rhenani libram semis.
Aquæ stillatitiæ corticis citrei unciam unam et semis.
In usus eosdem.

Emulsio similis anti-alcalica.

R. Avenæ excorticatæ uncias tres.
Fiat cum aquæ quod sufficiat emulsio, cujus libræ uni, et semis admisce
Nitri puri drachmam semis,
Syrupi violarum unciam unam,
Aceti squillitici drachmas duas.
Utatur pro usu familiari.

APHOR. 88. NUM. 6.

Misturæ Saponaceæ, abstergentes, acidæ, suboleosæ.

R. Oxymellis squillitici uncias tres,

Aceti squillitici drachmas duas,
Myrrhæ in aceto solutæ in tinctura, drachmam unam,
Aquæ stillatæ cichorei uncias sex.
Misce. Capiat unciam semis omni hora.

Vel.

R. Aceti in spissitudinem mellis per coctionem redacti unciam semis,
Mellis puri unciam unam,
Syrupi Cichorei unciam unam, et semis.
Aquæ stillatæ fumariæ uncias quinque.
Misce. Usus ut prioris.

Vel.

R. Rob Ribesiorum,
Sambuci singulorum uncias duas.
Oxymellis simplicis unciam unam,
Spiritus salis communis guttas viginti,
Aquæ decoctæ hordei libras quatuor.
Misce. Utatur pro potu assiduo ad libitum.

DE MORBIS ORIUNDIS AB EXCESSU MOTUS CIRCULATORII SOLO.

92 Omnia fluida, quæ in ullo vase, ab Arteria magna orto, continentur, ex

solo sanguine (*a*) sunt secreta, qui paulo ante in corde dextro, et sinistro mistus erat, et referebat speciem unius liquidi.

93 Habet tamen et ibi, et tunc, globos majores determinatæ molis, figuræ mutabilis, coloris rubri; sphæras flavas, rubris sextuplo (*b*) minores, serosas; tum laticem pellucidum in igne concrescentem; et aquam pellucidam, leviorem, tenuiorem, partibus minoribus, sed ob pelluciditatem non cernendis, constantem. Priorum congeries sanguis ruber, posterior Serum appellatur. Microscopia utrumque demonstrant.

94 Rubrum concretum, et à sero seorsum collectum, sola quiete, et laxitate suarum partium cito resolvitur in serum ita, ut in id omnis fere cruor abeat.

95 Serum diu retentum in aëre moderate calido, et humido sola quiete, et laxitate partium resolvitur in tenuius, pellucidius, levius liquidum, quod putrescit sensim, totumque vere avolat volatile. Quæ crescunt pro ratione temporis.

96 Sanguis omnis (92) recens, levi calore, parum superante salubrem, et

(*a*) Antiqui acerrime disputabant, num omnes humores formaliter in sanguine contineantur?

(*b*) Hæc est Leuwenoeckii sententia, quam microscopiis suis demonstrare nitebatur.

cum pauco exhalantis dispendio, coit in massam solidam, scissilem, tenacem, non solubilem per aquam, salem, oleum, spiritus. Atque idem fit calore per humida conciliato, singulari concretionis, et simili prioris genere.

97 Origo rubedinis (93. 94.), seri concrescentis lymphæ concrescentis, (95. 96.) debetur vasorum actioni, circulationis efficaciæ (*a*); ut chyli, lactis, cruoris, et sanguinis mutata indoles docet, atque microscopia confirmant.

98 Auctus sanguinis per vasa motus oritur Corde sæpius, et fortius contracto.

99 Cor sæpius, et fortius contrahitur: 1. Cerebro, et cerebello in nimiam expressionem liquidi nervosi agente, ut in affectibus animi, et dolore: 2. irritato Corde per accelerationem motus sanguinis venosi, frictione, vel musculis agentibus, pulsi; aut per acre sanguini inhærens aromaticum, salinum, acidum, alcalinum, purulentum, ichorosum, putrefactum, et quandoque specie contagii, pestis (*b*), veneni, nondum definiendum mali genus.

(*a*) Forte et Aer, sine quo nulla planta, nullum animal vivit huc facit van-Swiet. hic. Calor corporis, actio vasorum, et cordis, aeris vis in pulmone applicata transfluenti cum sanguine chylo . . Vid. Inst. Med. §. 202.

(*b*) Pestis singulis animalium speciebus pro-

100 Auctus motus sanguinis per vasa efficit majorem vim pulsi sanguinis in vasa excipientia ; majorem renixum vasorum in sanguinem ; sanguinis fortem compressionem ; vasorum , sanguinisque attritum validum ad se mutuo ; partium Sanguinis attritum validum inter se ; calorem majorem totius ; sanguinis exsiccationem diffiato aquoso ; ejusdem viscositatem inflammatoriam (*a*) facile concrescentem ; sanguinis resolutionem in sales, oleaque volatiliora , et acria ; vasorum auctam ad initia amplitudinem ; liquidorum crassiorum in tenuiora vasa impulsum , horum obstructiones , destructionesque , inflammationes, suppurationes , gangrænas , sphacelos, scirrhos ; et quæ ex his infinita sequi possunt.

101 Cognoscitur ergo aucta circulatio notis ejus causis (99), et effectis (100); sed imprimis pulsu celeri , duroque ; respiratione veloce , et laboriosa ; calore ingenti.

pria , et peculiaris raro pluribus animalium speciebus simul accidit. Dum bovina pestis per Europam grasabatur , homines immunes erant ab omni labe , etiam illi , qui infectorum animalium carnibus usi fuerant van-Swiet. hic.

(*a*) Tunc nascitur illud *Phlegma* phlegmonodes Veterum , distinctissimum ab inerti frigida mucosa concretione : vocatur tunc inflammatoria spissitudo ex validiori compressione elementorum sanguinis ad se invicem nata.

102 Remedia ergo nimio motui compescendo valida sunt, quæ frequentiam, et vim contractionis Cordis imminuunt.

103 Quorum illa Mentem, hæc Corpus spectant.

104 Priora sunt, quæ magnos affectus (*a*), ratiocinio, excitamento contrarii affectus, vel divertendo sopiunt.

105 Posteriora agunt quiete musculorum, laxatione venarum (54), mitificatione acris cujuscunque, diluendo, vel obtundendo (66. 67. 88.), doloris causas tollendo.

APHOR. 105.

Dolorem tollentia.

Vid. Aphor. 202. postea, ubi omnino de hac re agitur.

(*a*) Sapientissimi Legislatores probe gnari, humanam Societatem sola Ratione regi non posse proposuerunt præmia, et penas. Quod in Politicis contingit ad Medica transferri poterit. Consideranda in ideis perceptis gratum, et ingratum quæ ineptè, et insulsè delere conantur superbi aliqui Philosophi. Consideranda etiam mirabilis illa mentis nostræ proprietas ideas signis mere arbitrariis alligandi . . Philosophiæ Moralis præcepta, et Retorices etiam lenocinia ad hæc Medicis sunt absolutè necessaria.

DE MORBIS EX DEFECTU CIRCULATIONIS, ET PLETHORA.

106 Defectu motus circulatorii morbi (*a*) fiunt in humoribus illi, qui proxime accedunt ad hos, qui quiescentibus spontanei nascuntur. Modo bene consideretur aër, qui admissus corruptiones spontaneas accelerat, quæ aliter, eo secluso, lentiores. (58. ad 80.) adeoque intellectus, et curatio horum inde peti debet. Atque ex his omnibus plethoræ indoles, causa, ef-

(*a*) Plethora ista vel est ad vasa, vel ad vires. Quando vasa bonis quidem, sed copiosis adeo turgent humoribus ut rupturæ forent proxima, vel et nimia distensione læderentur functiones vocatur simpliciter Plenitudo, sive plethora ad vasa: Quando autem vasa non nimis plena forent bonis humoribus, plus tamen continerent quam debilis vitalis vis movere poterat erat plenitudo, sive plethora ad vires. Hìc plethora ad vasa præsertim intelligenda.

Consuetudo mitendi sanguinis ad plethoram absdubio disponit. Sedecim unciæ sanguinis per venæ sectionem eductæ intra quinque dierum spacium restituuntur in homine non debilitato; in debilitato major sanguinis quantitas certissime producetur.

Rarefactio hic præsertim attendenda, ut in præsenti statuitur.

fectus, signa, remedia intelliguntur, si ad sequentia animus advertitur.

a Plethora est copia boni sanguinis major, quam quæ ferre possit eas mutationes, quæ vitæ inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi.

b Hanc generat omnis causa, quæ multum laudabilis Chyli, et Sanguinis conficit, simulque horum attenuationem, consumptionem, perspirationem, impedit.

c Quo spectat vis contractilis viscerum Chylopœorum magna, ut et in Corde et arteriis; simulque laxior venarum, et cæterorum vasculorum compages; cibi blandi facile in chylum resolvendi; somnus multus, animus sedatus; quies musculosa, consuetudo mittendi sanguinis, naturalis, artificialis.

d Effectus Plethoræ omnes pendent à rarefactione, quæ majori velocitati, atque inde nato calori, aut causis aliis, per solam observationem cognoscendis, adscribenda: hinc arteriarum dilatatio tam Sanguiferarum, quam Lymphaticarum; mutata secretio; compressio generis venosi Sanguiferi, et Lymphatici; suffocatio circulaturi; inflammatio, vasorum ruptura; suppuratio; gangræna; mors.

e Itaque facile cognoscitur præsens; prævidentur futuri effectus.

f Curatio absolvitur missu sanguinis; labore; vigiliis; cibo acriori post evacua-

tiones; omissione evacuationum sensim introducta.

APHOR. 106. Lit. *f.*

Cibi acres.

Vid. Aph. 76.
Condimenta acria Aromatica Aph. 75. N. 1.
Acida aph. 75. Num. 5. Classe prima, sub titulo *Acida Salina.*

MORBI COMPOSITI SIMPLICISSIMI,

OBSTRUCTIO, ET VULNUS.

OBSTRUCTIO.

107 Obstructio est obturatio canalis, transitum tollens liquido, per eum transjiciundo, vitali, sano, vel morboso, orta ex excessu molis transituræ supra capacitatem vasis transmissuri.

108 Quæ oriuntur ex angustia vasis, magnitudine molis fluxuræ vel utrisque concurrentibus.

109 Angustia vasis fit compressu externo, contractione propria, vel augmento crassitiei in ipsis canalium membranis.

110 Molecularum moles augetur viscositate fluidi, vel errore loci.

111 Ex utrisque vero à concursu causarum utriusque. (109. 110.)

112 Vasa externe comprimuntur.

1. A tumore vicino plethorico, inflammato, purulento, scirrhoso, cancroso, œdematoso, ampulloso, steatomatode, atheromatode, meliceride, hydatidico, aneurismatico, varicoso, tophoso, pituitoso, calculoso, calloso.

2. A fractis, luxatis, distortis, distractisve partibus duris comprimentibus vasa flexilia.

3. Ab omni causa, quæ vasa nimis trahit, et elongat sive tumore, sive pressione partis extra debitum locum positæ, sive vi externa trahente.

4. Ab externis comprimentibus, quo vestes arctæ, fasciæ (*a*) pondus (*b*) incumbentis corporis quieti in unam partem, ligaturæ, &c. pertinent, motus, atritus, amplexus partis ad alia corpora.

113 Contractio vasi propria aucta, maxime spiralium fibrarum, tum quoque longarum, cavitatem arctat, oriturque.

(*a*) Sub iis post aliquot horas solet elevari tumor cum dolore magno, tunc si querelæ ægri negligantur, et fasciæ non solvantur gangrena turpi errore sequitur.

(*b*) Hoc maxime notandum; aliter partes in quibus dura ossa paucis integumentis tecta prominent, ut circa scapulas, os sacrum, ossis ilii eminentem marginem . . . gangrena afficiuntur cavetur ista sæpe mutando ægri situm.

1. ab omni causa augente vim elasticam fibræ, canalis, visceris. (31. 36. 40. 50. 51.) 2. ab tumore vasculorum minorum, quorum contextu majorum latera, et cava fiunt, nimis impletorum. 3. ab imminuta causa vasa extendente, sive inanitio, sive inertia fuerit: unde dissecti canales liquida propria coercent brevi.

114 Augetur crassities in ipsa membrana vasis 1. ab omni tumore (112. N. 1.) orto in iis vasis, quæ unita, et contexta membranam efficiunt. 2. ab callis ibidem factis, cartilagineis, membranosis, osseis (51.)

115 Partium fluentium moles augetur, ut immeabilis fiat, vel 1. mutatione figuræ sphæricæ in aliam majori superficie incurrentem in aperturam vasculi; vel 2. adunatis pluribus prius sejunctis in unam massulam.

116 Mutatur figura inprimis desinente æquabili, et undique simul, atque æqualiter premente pressione moleculæ proprio elateri (*a*) jam commissæ, hoc est,

(*a*) Globosa fluidorum elementa per ultimas vasorum angustias in oblongam cylindricam figuram mutantur; superatis vero iis angustiis propria elasticitate pristinam recuperant figuram: unde apparet illas moleculas fluidorum elasticas esse; hinc, ubi à compressione vasorum liberantur expandi in majorem molem.

languente motu, vel laxato vase, vel minuta copia liquidi.

117 Adunantur moleculæ quiete, frigore, gelu, exsiccatione, calore, motu circulari violento, et vase forti comprimente, coagulo acido (*a*), austero, spirituoso, absorbente, viscositate, oleositate.

118 Errore loci (*b*) partes fluidi fiunt non meabiles, si in os dilatatum ab basin canalis conici ruit corpusculum finem longe angustiorem tranare non potens. Plethora, motus auctus, rarefactio liquidi, laxatio vasis, dilatationem hanc præ cæteris creant; maxime si his prægressis, statim contraria (*c*) horum sequuntur.

119 Unde causæ, et natura obstructionis cujuscunque patent.

(*a*) Fosilia acida coagulant: vegetabilia ut vinum, acetum, succi acidorum maturorum fructuum, lac ebutyratum . . potius disolvunt.

(*b*) Agitur hic de notabili Boerhaavii sistemate vasorum decrescentium, quod maximo ingenio promulgavit. Vid. Aphor. 372.

(*c*) Alexander sudore perfussus Cydnum Amnem ingreditur subito riguit, pallidus totus, et vix corpus vitalis calor reliquit, à quo statu Philippi Medici fide, et peritia vix evassit, ita referente Q. Curtio (lib. 2. cap. V.) Incontinentia ista corpora calida frigori exponendi plurima fata producere certum est, quam reliquæ omnes hominum incontinentiæ. Cavenda igitur summopere ista subita, atque mortifera transmutatio. Inst. Med. §. 1027.

120 Quæ nata in corpore vivo impedit transitum fluxuræ materiæ; reliqua impingentia sistit; horum actionem excipit; subtiliora exprimit; adunat crassiora; vas extendit, dilatat, attenuat, solvit; fluidum stagnans condensat; functionem integro fluore oriundam tollit (*a*); vasa inde irriganda deplet, siccat; capacitatem vasorum transmittendis liquidis minuit; copiam liquidi, velocitatemque per libera vasa auget; adeoque omnia, quæ inde pendere possunt, mala producit.

121 Quare pro diversitate vasis obstructi, et materiæ obstruentis, illi effectus (120.) variatis apparent phænomenis.

122 In vasis Sanguiferis arteriosis rubris inflammatio primi generis fit, in arteriosis (*b*) serosis flavis rubra inflammatio errore loci, vel flava propria illi vasi, ca-

(*a*) Sæpe accidit post morbos acutos inflamatorios capitis remanere surditatem, vel amaurosim tota vita incurabiles. An huic opitulabitur Arnicæ montanæ usus adeo Storckio laudatæ? (Ann. Med. Tom. 3. fere toto).

(*b*) Proponuntur hic series miræ vasorum, inflammationes variæ, et alia mala illis respondentia, et prout diversi per vasa feruntur humores, prout diversorum viscerum, vel partium corporis fabrica diversa orientur ab horum obstructione varia mala. In vasis pinguiferis rancor; in osseis caries, exfoliatio, exostosis, tophus: in nerveis acerrimi dolores, in biliosis icterus..

lida flava, in Lymphaticis arteriosis dilatatis inflammatio secundi generis flava, errore loci, vel pellucida, calida, propria illi vasi; in arteriosis vasis Lymphaticis majoribus, oedema calidum; in minoribus dolores sine apparente tumore; in pinguiferis, osseis, medullosis, nervosis, biliosis alia.

123 Qui vero sedem, naturam, materiem, causas, effectus obstructionum, hucusque (107. ad 123.) tradita novit; illi signa, quibus futura, præsensque obstructio, ut et ejus effecta sciuntur, ignota non erunt.

124 Et cognita hac ejus diversitate, difficile non erit, propriam cuique (*a*) curationem tradere.

125 Nam illa, quæ à compressu externo (112), indicat ablationem causæ prementis, quæ, ubi possibilis, petenda ex secutura ejus descriptione.

126 Ea vero, quæ ab aucta fibrarum contractione oritur, cognoscitur per signa, quibus visceris, vasis, fibræ nimia contractio scitur; (34. 36. 40. 50. 53.) tum quoque illa, ubi hæc contractio à secunda causa (113. No. 2.) per suæ causæ signa clara; ut altera, quam inanitioni

(*a*) Obstructio nata à densitate inflammatoria diversimode curatur ac illa, quæ ab inerti frigido muco lentescente humore.

prægressæ adscripsimus. (ibidem. Num. 3).

127 Sanatur hæc obstructio (113. 126.) 1. per remedia contractionem nimiam fibræ, vasis, visceris emendantia (35. 36. 38. 54. 55.) 2. maxime, si ipsi affecto loco applicari possit eorum virtus, quod halitus, fomenta, balnea, litus, efficiunt inprimis. 3. per auxilia, quæ vascula membranas componentia nimis impleta deplent. Quo evacuantia in genere, sed præprimis illis vasculis applicata spectant, quæ sunt laxantia, diluentia, resolventia, attenuantia, detersiva, evacuantia. 4. per illa, quæ callositatem factam resolvunt.

128 Verum illa obstructionis species, quæ ab hac causa, raro, si unquam curari potest. Emollientia, et laxantia præcipua sunt. Unde mortis patet inevitabilis necessitas, et magna vitæ longæ per medicamenta parandæ difficultas.

129 Illa fluidi ineptitudo ad transeundum per vasa, quæ à figura sphærica amissa pendet, cognoscitur perspectis ejus causis (116), quippe sensibiles plerumquè sunt.

130 Sanatur vero remediis, quibus illa figura redditur. Qualia sunt, quæ motum augent per vasa, et viscera, ut stimulantia omnia, et roborantia; tum motus animalis citatior.

131 Liquidi spissior concreta moles,

quum oriatur à tam variis, et diversis causis (117), etiam pro re nata varia remedia, variam sanandi methodum, requirit: quæ diversitas in singulis dein morbis indagata ipsa auxilia, et applicandi modum dabit.

132 At moles concreta in genere tollitur 1. motu vasis reciproco. 2. dilutione. 3. attenuante fluido advecto, permisto, moto. 4. Coagulante causa educta.

133 Reciprocum vasi motum conciliant 1. quæ distendentes causas temperant, ut est venæ sectio. 2. quæ vasa roborant. (28. 29. 45. 46. 47. 49.) 3. frictio, et muscularis motus. 4. stimulantia.

134 Diluit aqua, calida imprimis, si hausta, injecta, exhalans, applicata; atque dein ad loca, ubi solvendum hæret, pulsa sit. Quo derivantia, attrahentia, propellentia spectant.

135 Attenuant 1. aqua 2. sal marinus, gemmæ, ammoniacus (*a*), nitrum, borax, fixus alcalinus, volatilis. 3. Sapones ex alcali, et oleo nativi, compositi, fuliginosi, volatiles, fixi, bilis. 4. præ-

(*a*) Ammoniacus sal prioribus levior, salibus nativis sanguinis magis affinis per vires nostri corporis mutabilis, et penetrabilis maxime prefertur fere, et laudatur merito tanquam summum deobstruens in acutis æque ac cronicis morbis. Nitrum an præstantius?

parata Mercurialia. Quæ ipsa perducuntur ad loca debita per derivantia, attrahentia, propellentia.

136 Causa coagulans educitur attractione alterius fortius trahentis. Sic acida in alcalia, olea in alcalia, &c. trahuntur, quæ experimentis (*a*) Chemicis in primis inveniuntur.

137 Verum quum liquidum in loca aliena pulsum, non penetrabile fit, hinc-

(*b*) Hac in re aliquantum laboravit hodierna Chemia Affinitatum doctrina. Utinam ulterius procedatur. Calculi elementa, v. gr. in limpidissima sani hominis urina fluunt; adunata postea se cohærent ita, ut hactenus per artem resolvi non potuerint. Qui posset vim illam, qualiscunque demum sit, qua uniuntur calculi elementa tollere, solveret calculum. An aqua acido carbonico saturata id poterit efficere prout in Pharmacopœa Hispana (pag. 128.) proponitur?

An è contra vitium rachiticum à deficiente acido fosforico in terra calcarea animali productum emmendabitur lotionibus alcalinis, usuque interno fosfati calcarei, et sodæ ut proponit Bonhome Medicus in Analibus chemicis Laboisicrianis? (Tom. XVIII. pag. 113). Hæ concretorum in corpore humano resolutiones media violenta non exigunt; sed proportionata quantumvis inocua, et lenia, pariter ut blandum oleum solvit ceram, quæ aquæ stygiæ resistit; iners ovi cocti albumen myrrham diffuere facit, quæ Aquæ regiæ inaccesa manet... Pulcherrimus talium remediorum usus exigit, ut investigentur sedulo.

que obstructiones creat, producuntur multi, malignique morbi, unde meretur id malum attente perpendi.

138 Scimus id factum, si novimus 1. causas ejus (118), quæ ut plurimum satis observabiles, prægressas fuisse. 2. His dein successisse contrarias. 3. ubi effectus ejus clare cernimus. (120. 121. 122.)

139 Facile quoque est prævidere, quid fiat ex hoc malo posito per ea, quæ exposita sunt (120. 121. 122. 123.)

140 Curatio fit 1. impactum retropellendo motu retrogrado in vasa majora. 2. id resolvendo. 3. vasa laxando. 4. suppurando.

141 Impactum retrofertur. 1. Evacuando liquorem, qui impactum urget magna, subita Sanguinis Missione unde nixu contracti vasis retro agitur. 2. frictione ab extremis vasis ad basin.

142 Impactum resolvitur remediis (133. 134. 135. 136.) ante positis.

143 Vasa laxantur remediis (35. 36. 54.) propositis.

144 De Suppuratione dicetur in historia Inflammationis.

APHOR. 135. NUM. 3.

Sapones in obstructione attenuantes.

Sapones *nativi* ex oleo, et alcali,

sunt succi recentes, maturi, pressi ex herbis omnibus acrimonia alcalina validis. Aphor. 76. vel admodum aromaticis. Aphor. 75. Num. 5.

Sapones arte compositi ex alcali, et oleo.

Sapo niger. Venetus. } à drachma una ad duas.

Starkeyanus, sive Helmontianus à granis quatuor ad scrupulum unum.

Sapones fulginosi volatiles.

Spiritus oleosi, alcalini, ex Aromatibus alcalescentibus. Aphor. 75. Num. 5. guttæ quindecim.

Ex Fulgine guttæ sesdecim.

Ex omni humore vel solida parte animalium guttæ decem, et octo.

Fuligo ipsa.

APHOR. 135. NUM. 4.

Mercurius dulcis ad grana decem.

Mercurius sublimatus, corrosivus ad octavam grani partem dilutus.

Præcipitatus ruber ad grana duo albus ad grana quatuor.

Turbith ad grana duo.

Niger ad grana sexdecim.

Attrahentia.

Sunt, quæ laxant locum, quo addu-

cendum, arctant unde deducendum. Vid. Aph. 35. 28. n. 4.

Derivantia.

Quæ liquores pellunt in locum datum, talia sunt evacuantia in loco, frictio artificiosa in vicinis.

Propellentia.

Sunt stimulantia. Aph. 75. Num. 5.

DE VULNERE IN GENERE (*a*).

145 Vulnus (*b*) est soluta cohæsio recens, cruenta, partis mollis, à corpore

(*a*) Boerhaavius hic jure, meritoque antequam interiora mala difficillima tractaret, externa, Chirurgica, magis obvia præposuit. Hoc exigebat recta methodus à facilioribus initium præscribens, imperans. Medici, qui ista non curent, non percipiant, non calleant, Aadabatarum more Pharo isto privati progredientur, imo aptius, titubabunt, à sapientioribus, diligentioribus . . . immane quantum excedentur, ridebuntur! In Physicis, Botanicis, Chemicis. . ea quærant, quæ ad Medicinam spectant, faciunt, et quæ non valde multa sunt; in Chirurgicis ad acmen pervenire studeant; sciantque Tirones Medici in hac Medicinæ Parte hic à Boerhaavio nitide, exactè, methodicè, luculenter, scientificè, præ aliis omnibus Auctoribus pertractatæ serio in supremo Medicinæ Magistratu fore pro Examine perscrutandos.

(*b*) Traditur hic optima vulneris definitio,

duro, acuto, moto, presso, vel resistente.

146 Causa ergo sensibilis ejus est durities, acuties, motus, resistentia instrumenti vulnerantis.

147 Subjectum pars mollis, adeoque textura vasorum sanguiferorum, serosorum, lymphaticorum, adiposorum, nervosorum, membranosorum, tendinosorum; tum vesicularum, quæ ex his conflantur.

148 In quo subjecto (147) causa (146) producit cohærentis separationem, liquidi contenti effusionem.

149 Inde lædit actiones, quæ pendent ab integritate partium, et ab determinato fluxu liquorum per vasa.

150 Quæ vulnera proinde occupant eas partes, quarum integritas vitæ inseparabilis, Lethalia (*a*) sunt.

151 Horum (150) autem alia inevitabili necessitate mortem ferunt.

152 Alia, sibi relicta, mortem infe-

et proponuntur ea, quibus vulnera ab ulceribus, fracturis, contusionibus . . distinguntur. Ulcus enim est solutio non recens, sed antiqua. Fractura, fissura . . sunt solutio non partis mollis, sed duræ, ossis nempe. Contusio non à corpore acuto, sed obtuso, et duro producitur.

(*a*) Optima hic traditur doctrina super lethalitate vulnerum necessario à Medicis prænoscenda, et solicitissimè distinguenda pro Renuntiationibus exacte coram Judicibus proferendis.

runt, sed artis (*a*) auxilio ita emendari possunt, ut mortis periculum absit.

153 Tandem ex non lethalibus, neglectus, vel error (*b*) lethalia potest facere.

154 Pro varietate alterius cujusdam actionis, à parte integra prius exercitæ, etiam alia vulnerum effecta, atque inde variæ appellationes oriuntur, vix ignotæ perito actionum Sanitatis.

155 Nec minor nominum, formarum, et effectuum varietas in vulneribus, à diversitate causæ vulnerantis (146) quoad figuram, modum adigendi, pungendo, secando, cædendo, agitando, illatum, vim impingendi, ablationem ex vulnere, relictionem in eo, infectionem venenatam (*c*).

156 Tum etiam omnia eadem (155) variant pro differentia partis vulnus excipientis (147), quoad ejus duritiem, mol-

(*a*) Decursus majorum vasorum, et illa loca ubi comprimi possint commode, ut mors ab hæmorrhagia secutura præcaveatur, exacte cognoscenda.

(*b*) Qui vulneratos ob ingentes hæmorrhagias in animi deliquium lapsos spirituosis conantur refocilare vim vasorum in liquida augent; unde nova reddit sanguinis jactura, et mortis causa augetur.

(*c*) Ubi adsunt anomala simptomata, quæ non possumus suspicari ex vulnere ut causa orta fuisse, tunc de infectione venenata instrumenti lædentis cogitandum est.

litiem, nexum, situm, effectum (*a*), liquida contenta, faciem mutatam.

157 Hujus multiplicitatis originem nosse ut opus, ita nomina subtiliter distinguere non juvat.

158 Si in corpore sano, robustoque factum vulnus in loco visibili, non irrigato magna quadam arteria, nec nimis tendinoso, hæc oriuntur phænomena; si modo à frigore, aëre (*b*), siccatione, vulneris hiatus defenditur:

1. Partes, inter quas causa vulnerans adacta, sensim magis, magisque à se mutuo recedunt, licet causa ablata sit, nisi punctura fuerit parva.

2. Cruor primo cum impetu effluit, dein sensim sponte sistitur.

3. Tum crusta sanguinea cavo vulneris innascitur.

4. Et liquor dilutus, rubellus, tenuis effluit.

5. Tum vero labia vulneris incipunt rubere, calere, dolere (*c*), tumere, retor-

(*a*) Hic frequenter per anatomem, et phisiologiam explicatur; quandoque neque ista sufficiunt, sed observatio sola. Mesenterii vulnera parva licet frequenter necant. Discisio nervi intercostalis, et paris octavi oculum ejusdem lateris obscurat, mole minuit, inflammat, &c.

(*b*) Aer imprimis frigidus admisus miro modo mutat partes vulneratas, et lædit tenerrima vascula, illaque exicat.

(*c*) Observabit jam Hippocrates pleraque

queri, fundo interim tumido assurgente, præcipue assurgente adipe in aperturam vulneris, ibidemque cito degenerascente.

6. Atque eodem tempore febricula cum calore, et siti adest.

7. Hinc tertio, quartove die ferius, vel ocyus, vulneri adest liquor tenax, albus, pinguis, æqualis, pus (*a*).

8. Simul rubor, calor, dolor, tumor, retorsio labiorum, febricula, cessant, vel minuuntur.

9. Et sensim cavum vulneris à fundo sursum, et ab ambitu versus centrum crescente nova, rubra, viva, materie, carne dicta (*b*), impletur, coeunte mar-

vulnera tertio aut quarto die recrudescere, hoc est, dolere, tumere, &c. Dum Sororis stuprum vindicaturi Simeon, et Levi persuaserant incautis ut circunciderentur, tertia die post circuncissionem, acerrimè dolente vulnere, impune occidebant omnes (Genes. cap. 24.)

(*a*) Pus est liquor unctuosus consistentiam fere habens cremoris lactis recentis parum subflavescens, æquabilis omnino, inodorus, saporem blandum chyli ferè instar habens, quod maximum securitatis signum habetur.

(*b*) Hoc vocatur *incarnatio* licet id proprie, et exacte non accidat. Nihilominus demonstrationibus edocti hodie stupemus quomodo elongata vasorum in vulnere hiantium oscula vicinis concurrant, uniantur, concrescant; nec hoc tantum, sed arteriæ arteriis, venæ venis, &c. sic debent uniri ut renascatur similis deper-

gine albo, subcærulescente, molli, æquali.

10. Postremo siccatur vulnus, et obducitur cicatrice.

159 Si arteria non nimis magna, nec Cordi admodum propinqua, omnino transversim dissecatur, retrosiliens, atque inter solida vicina se recondens, sibimet obturaculo est; et cætera ut (158) prius.

160 Si eadem (159). vulneratur transversim non tota dissecta, retrotractis fibris vulnus ampliatur; hinc Hæmorrhagia perpetua; et ea sedata, à tenuitate cicatricis cedente Aneurisma.

161 Si arteria major tota dissecta, oritut perpetua, usque ad defectum animi, vel vitæ, Hæmorrhagia; inferius posita tabescunt, et putri exeduntur, sed lenta gangræna; aut arefacta penitus contrahuntur.

162 Nervi majores, tensique, toti dissecti retrosiliunt, se recondunt, ramulos vulnere paulo superiores trahunt, tendunt, vicinis dolorem, obstructionemque creant, parti vero infra Vulnus positæ stuporem, immobilitatem, marcoremque, aut et gangrænam (*a*).

ditæ in vulnere substantia. Infinitam Creatoris sapientiam adoramus (exclamat hic Van-Swiet.) qui corpus humanum his dotibus instruxit.

(*b*) Nervorum actiones in corpore humano

163 Nervi tensi, tendinosi, puncti, vel dimidiato discissi dolores, aliquando primo obtusos, nonnunquam vivos (*a*) excitant, primo loco vulneris, post per omnes nervos nexos, vicinosque; hinc calores, tumores, rubores late sparsos, febres, deliria, spasmos, inflammationem, inflammati aperturam cum evacuatione acris, tenuis, et copiosissimi sæpe seri; postea insensilitatem, rigiditatem, exsiccationem, immobilitatem producunt, vel gangrænam, et mortem: atque hæc quidem omnia eo violentiora accidunt, quo nervus est fortius tensus supra partes firmas, iisque annexus, aut et involucris magis tenacibus indutus.

observatæ sunt distinctissimæ omnino: quidam enim sensum præbent partibus ad quas tendunt; alii motum muscularem efficiunt; nutritio partium denique, et vita ab aliis videtur pendere. Diversas autem illas actiones per diversos fieri nesvos docemur in morbis evidentissime. Paralysis, Hæmiplegia, Stupor . . id evincunt.

(*a*) Dum Carolo IX Galliæ Regi Medicorum jussu vena secabatur ipso momento, quo vulnusculum infligebatur præ doloris acerbitate Rex alta voce clamavit. Musculi bicipitis tendo, vel lata aponeurosis ab hoc tendine orta absdubio læsa fuit. Applicatur vulnusculo oleum terebinthinæ calidum cum pauculo spiritus vini rectificati, et aliis dein idoneis remediis post trimestre spatium brachii usus integre restitutus fuit (Ambr. Pareus lib. 12. cap. 41.)

164 Quæ eadem (162. 163). parum mutata, etiam in tendinibus (*a*) diversimode læsis obtinent, atque sævissima quidem.

165 Et Membranæ, tendinum, nervorumque sæpe producta quum sint, iisdem afficiuntur morbis (162. 163.)

166 Quid lymphatica, adiposa, venosa (*b*) vasa, et vesiculæ patiantur in vulneribus, quid efficiant, ex lege circulationis, et consideratione vicinorum facile intelligitur.

167 Si vulnus oculo patet, ejus præsentia, et natura scitur 1. Sensu ipso,

(*a*) Tendo, qui Achillis vocatur aliquando fuit integre ruptus sine dolore magno; levis tantum attactus tendinis involucris suis nudati totum genus nervosum turbat. Balsamum Peruvianum nigrum leviter calefactum, et instillatum præcabet, vel mitigat horrenda illa symphomata, quæ à nervorum, vel tendinum puncturis oriri solent.

(*b*) Si notabilis vena per vulnus læsa est, tunc non possunt applicari sine periculo acria illa styptica, quæ hæmorrhagiæ in vulneribus compescendæ causa aliquando adhibentur, vitriolum, v. gr. alumen, alcohol, &c. Metus enim est ne hæc patulo venæ vulnere recepta sanguinem ingrediantur, ejusque coagula faciant, quæ per latiorem continuo factam venam ad cor dextrum delata, dein pulmonalis arteriæ angustiis impulsa funesta maxime possent producere mala.

absterso impedimento conspectus (*a*), et suppresso cruoris fluxu. 2. Scientia anatomica vicinorum.

168 Vulneris autem absconditi præsentia, et natura noscitur. 1. ex Scientia anatomica (*b*), situ vulnerandi, modo et vi inflictus. 2. ex læsa actione sequente vulnus. 3. ab excretis, intra vel extra corpus expulsis. 4. ab effectis supervenientibus, dolore, singultu, spasmo, tumore, &c.

169 Ex cognitis (167. 168.) determinatur prævisus vulnerum eventus.

1. Mors, vel Vita vulnerati.

(*a*) Medici vulnera, et graviores operationes sæpius videant, ut sic sensim asuescant intrepido animo hominum calamitates intueri, atque levare. *Medicus periculosa intuetur* (ait Hippocrates lib. de flatibus Chart. Tom. VI. pag. 213.) *Ingrata contrectat, et ex aliorum calamitatibus proprias lucratur* (agnoscit) *miserias, ægrotantes vero per artem à maximis malis, morbis, doloribus, tristitia, morte, per artem inquam vindicantur.* Humani generis commoda ex arte salutari nata levant hæc tædia.

(*b*) Animadversione dignæ sunt viscerum internorum mirabiles aliquando transpositiones. Cordis basis sinistrum latus respiciebat, apex dextram thoracis partem in Milite defuncto. . . ex Meryo. Pylorus in sinistro latere: Lien dextrum hypochondrium aliquando ocupat, Hepar sinistrum . . Hæc ad Renuntiationes considerandа, ut et idiosincrasia, quæ aliquando parva vulnera lethalia potest reddere.

2. Sanatio possibilis, impossibilis, integra, pro parte.

3. Curatio facilis, difficilis, brevis, longa.

4. Effectus à vulnere, peracta sanatione, superstes futurus; ut tabes, insensilitas, immobilitas, figura læsa, &c.

170 Mors inevitabilis à vulnere ex quinque effectis sequitur, adeoque necessario Lethalia vulnera (151.) Hæc sunt.

1. Quæ influxum nervosi liquidi à Cerebello in Cor intercipiunt.

a Cerebelli vulnera, et Cerebri profunda adeo, ut medullam oblongatam lædant multum.

b Vasa sanguifera intra cranium soluta cum effuso cruore, qui pressione, vel concepta putredine vitam tollit, nec terebra levari potest ob conditionem loci, ut inferiora orbitæ Oculi, et ossis Temporum, ossis Ethmoidis, basios carnii, &c.

c Medullæ Spinalis superioris profunda vulnera.

d Tum ea, quæ nervos cardiacos dissecant.

2. Quæ sanguinem Cordis effundunt ex ejus cavis vulneratis: unde vulnera Cordis profunda, in cava penetrantia, lethalia.

3. Quæ cruorem à corde, et à cerebro, cerebelloque derivant vel in cava corporis, vel extra illud, neque medellam

capere possunt ob situm loci, ut magna vulnera Pulmonis, Hepatis, Lienis, Renum, Pancreatis, Mesenterii (*a*), Stomachi, Intestinorum, Uteri (*b*) in gravidis, Vesicæ circa arterias ejus majores, Aortæ, Carotidum, Vertebralium, et similium arteriarum, venarumque.

4. Quæ respirationem integre tollunt; ut abscissio laryngis cum subductione fistulæ scissæ, vulnera magna bronchiorum, Vulnera lata (*c*), utramque cavitatem thora-

(*a*) Præter arterias, et venas per Mesenterium decurrentes ex quarum vulnere lethalis hæmorrhagia sequitur, considerandi nervi, quorum læsio licèt non magna intra duas, tresve dies necans, postquam acerrimis, et asiduis doloribus abdominis excrutiati lugent vulnerati. Mirabile imperium in ipsas etiam vitales functiones habent nervi per abdominalia dispersi. Herniæ suffocatæ, intestinorum susceptiones. . . id docent.

(*b*) Partus *Cesarei* dicti hac ratione maxime metuendi. Nihilominus à perito Artifice aliquando optatum successum habuere in vivis fæminis : In demortuis enim necessario partus iste faciendus.

(*c*) Vulnera ista lethalia sunt. Aliquando tamen accidit sanata fuisse. *Moritur*, ait Hippocrates (Coac. prenot. num. 505.) *si in arteriam asperam, et pulmonem magnæ admodum plagæ inflictæ sunt, sic ut percusso pulmone minor sit, qui per os prodit spiritus, quam qui per vulnus excidit.*

cis, cum admissu aëris perforantia, vulnera diaphragma ab utraque parte mediastini thoracis penetrantia, vel ejus nervosa (*a*) dissecantia.

5. Quæ motum Chyli in cor tollunt; abscissio œsophagi, magna vulnera ventriculi, intestini tenuioris, superioris integra dissectio, vulnus ductus thoracici, vel alvei chylosi (*b*).

171 Vulnera sua natura lethalia, arte vero curabilia (152) sunt, prædicuntur:

1. Vulnera Enchephali terebra levanda.
2. Vulnera arteriæ, venæve majoris in

(*a*) Medium diaphragmatis locum ejus centrum tendineum dicunt Anathomici. Vocari etiam potest *pars nervosa* diaphragmatis, quia veteres tendinibus etiam nervi nomen impossuerunt. Diaphragmate vulnerato partes etiam abdominis cavo contentæ musculorum abdominalium actione pressæ vulnus diaphragmatis ingrediuntur, illud dilatant, in pectoris cava transeunt, sicque pulmonem comprimendo, et cordis ipsius actionem turbando, post sumas miserias mortem inferunt citius, vel serius.

(*b*) Licet venarum meseraicarum oscula undique hient in intestinorum cavo, et resorbeant partem tenuissimam chyli, rectaque via ad hepar deducant; alium tamen chylosum succum solæ venæ lacteæ dictæ ex intestinis hauriunt, et sic non videtur sustineri vita posse si solæ venæ mesentericæ ebibant tenuissima tantum, chyli autem admisio in sanguinem impediatur. Vulnera igitur ista lethalia sunt.

loco (*a*), ad quem manus Chirurgi pervenire potest.

3. Viscerum, ad quæ manus, et medicamenta cum effectu sanationis pervenire possunt.

4. Quæ mortem inferunt emisso suo liquido in cava illa, unde id educi sine discrimine vitæ potest; ut thoracis, abdominis, ureterum, vesicæ, intestinorum quædam vulnera.

172 Prædicitur lethale fore ex non lethali (153) per has causas.

1. Omissione purgationis effusi puris, unde tabes purulenta; vel effusi sanguinis, hinc putrefacti.

2. Commisso vitio in sex rebus non naturalibus.

3. Neglectu, vel errore (*b*) Chirurgi.

(*a*) Per anatomen noscenda illa loca artuum ubi magnæ arteriæ, et venæ decurrunt adeo nudæ, ut comprimi possint. Talia sunt in artubus superioribus loca sub-axilaria, anterior, et superior ossis humeri pars, ubi arteriæ magnus truncus ad nudum fere os subjacens comprimi potest, sicque facile omnis hæmorrhagia à vulnere locis inferioribus inflicto sisti potest. In artubus inferioribus talia loca sunt in interiori, et anteriori fere media femoris parte, uti et sub poplitibus.

(*b*) Hippocrates ingenue fatetur se deceptum fuisse dum in capitis vulnere non distinxerat ossis læsionem, putans suturam esse, et hinc

4. Temperie naturali, aut morbosa ægri, vel manifesta juxta historiam ejus ægri, vel aliquando adeo singulari, ut non nisi hoc eventu se manifestet; quam intentus observet semper in suo rescripto ad judices consultus Medicus.

173 Hinc renuntiatio de Vulneribus, definitio temporis (*a*), intra quod lethalitas determinatur, peti possunt.

174 Ex historia pariter Vulnerum (ab 145. hucusque); facilis erit prædictio eventuum aliorum, quæ (169) præsagienda habentur.

175 Phænomenon autem (158. 159.)

crediderat ægrum sectione non indigere; qui decimo sexto die periit, sero nimis adhibita sectione. Epid. lib. 5. num. 22. Dum Medicorum Principi, ait hic van-Swiet. tale quid accidere potuit unusquisque nihil humani à se alienum credat, sed omni cura adhibita errores prudenter evitet. Si jam talis error à Chirurgo, vel Medico commissus detegatur æquitas jubet ut Judicibus indicetur, ne alieni erroris pœnam luat ille, qui vulnus inflixit.

(*a*) Aliqui judicant vulnera intra novem dies necantia læthalia fuisse; si post istos non læthalia. Hoc falsum est. Carotis discissa illico mortem inducit; sed si statim ligetur intra breve tempus curatur, hinc tale vulnus læthale absolute non est cum per artem curari potuisset. Calvariæ vulnera; intestini tenuis discisio post multos dies neccant, et talia nihilhominus vulnera læthalia censentur.

causa patet perito actionum vitalium, et animalium. Vid. Morb. Solid. et fluid. in genere præmissos.

176 Tunicæ arteriarum exteriores, illæsa interiori, punctæ, sectæ, tusæ, distractæ (*a*), erosæ, impetu sanguinis dilatantur, saccum formant, qui ad ovi sæpe magnitudinem crescit; callosos parietes accipit; pulsat; colore rubello splendet; compressus evanescit; laxatus redit; suam arteriam ampliat; vicina vasa comprimen- angustat. Aneurisma verum vocatur (160), cujus causa, signa, effectus sponte cernuntur. Atque eo quoque refertur cordis aneurisma, ejus ortus, signa, et effectus.

177 Si ab iisdem causis, similiter vulnerata arteria, curata debilius firmatur, eadem fiunt (176).

178 Ubi ab iisdem causis (176) omnes tunicæ simul ruptæ liquorem effuderint in partes vicinas distentas, nec exeuntem, fit collectio extravasati cruoris, continenter aucta, et sine mensura, mollis, vix pulsans, livida, compressu vix

(*a*) Validi nixus, pondera ultra vires sustentata, sternutatio, tussis valida, &c. arterias distractas in aneurismaticos saccos degenerare faciunt. In corde facile fiunt dilatationes, seu aneurismata, et quod mirum aliquando ab aere cava ipsius immaniter distendente, ut Ruischius observavit.

evanescens, brevi putrescens, hinc gangrænam vicinorum creans. Aneurisma spurium est, (160) cujus causa, signa, effectus ex ipsa hac descriptione cognoscuntur.

179 Alii effectus arteriæ dissectæ majoris (161) ex physiologia sponte intelliguntur, ut et phænomena (162) primo nervi dissecti.

180 Ut vero clara causa habeatur mirabilium effectuum, qui in nervis punctis, vel partim dissectis apparent, juxta dicta (163. 164. 165.) sequentia consideranda ex Anatomicis, et Theoreticis.

181 Nervus omnis visibilis est fasciculus minorum nervorum, membranulis nexorum, arteriolis, venulis, lymphaticis intertextis, una dein communi membrana vestitus.

Per omnia hæc vascula, nervum componentia, perpetuo fluit liquor suis canalibus proprius à corde, cerebro, cerebello, et medulla spinali. His omnibus vis contractilis satis magna semper adest.

182 Ergo partes nervi integre dissecti à loco vulneris versus firmas partes, quibus nectuntur, retrosiliunt, sub solidis ambientibus se recondunt, eorum vi comprimuntur, orificia claudunt sua, et suorum vasculorum, adeoque præter dicta (162) nihil damni.

183 Si sectus, vel punctus ita sit, ut

nonnulli nervulorum dissoluti sint, qui uniti majorem componunt, partes solutæ retrocedentes (182) trahent minimas fibrillas, quæ nectebant nervulos inter se et vascula (181), unde fiet in his perpetua, lenta laceratio; adeoque dolor ingens, acutus, continuus. Partes vero adhuc cohærentes sustinebunt nunc solæ omnem vim, quam ante simul, ergo plus distrahentur, et lacerabuntur, adeoque acutissime dolebunt, et distractæ comprimentur; ut transitus impediatur. Dum una pars soluta, altera cohærens, ita afficiuntur, vascula intermedia comprimuntur; ergo sanguis, lympha, spiritus sistuntur, urgentur, accumulantur, unde circa partes inflammatio cruenta, lymphatica, et spirituosa (*a*).

Inde nervi vicini, tendines, horum, et nervorum vaginæ, musculi, vasa tenduntur, stringuntur, convelluntur, hinc cerebri, cerebelli, medullæ spinalis meninges trahuntur, vellicantur, cerebri actio turbatur.

(*a*) Si in vasculo nervoso liquor, qui ob tenuitatem spiritus dicitur, sistatur ad finem ubi sentiendi organum extat, oritur intolerabilis dolor sine ullo visibili tumore, quia nervorum fines distenduntur, ut in podagra observatur. Ita Boerhaav. in Praxi Med. hic.

Hallerus de contractilitate nervorum dubitavit.

Ex quibus sequitur series omnium phœnomenon (163. 164. 165.) naturali necessitate.

184 Et intelligitur, quæ, et cur punctura, laceratio, vulnus nervi adeo funesta? Item cur membranis, tendinibus, vasisque multis eadem fiant.

185 Ut vulnus sanetur, opus erit:

1. Auferre ex eo illa, quæ, vel à liquidis, et solidis corruptis, vel ab instrumento vulnerante, aut aliunde, ibi relicta, adunationem impedirent.

2. Supplere perdita nova regeneratione ablati.

3. Unire separata, et in adunatione retinere.

4. Cicatricem naturali cuti simillimam obducere.

186 Fragmenta impacta metallorum, lapidum, ligni, vitri, globi tormentorum, thrombi cruenti, caro mortua, vel membranæ, ossa fracta, primo tollenda, si proderit.

187 Considerata natura vulneris, partis vulneratæ, materiæ impactæ, roboris ægrotantis, symptomatum secuturorum, tolli, an relinqui debeant, judicatur.

188 Ex iisdem (187) definitur instrumentum, et modus, quibus tolli queant (186).

189 Depurato sic (186. 187. 188.)

vulnere, si ablatum (*a*) quid fuerit de corpore, id repleri debet, generata iterum materia simili perditæ. Id fit, si 1. vascula arteriosa, lymphatica, nervosa, &c. ita se habent, ut sua liquida bona excipiant, transmittant. 2. si liquidum bonum naturale debita copia, et apto impetu fertur in illa vasa.

190 His enim (189) fiet canalium vulneratorum, retrotractorum, obturatorum, compressorum, fere exsuccorum (158), impletio, humectatio, extensio, elongatio, implicatio cum vicinis, applicatio ad alia, quæ ex reticularibus plexibus propinqua, et ope boni liquidi conglutinatio.

191 Et, dum hæc (190) ab omni puncto fundi præcipue, et laterum, æqua vi simul fiunt, impletur ab omni parte ad centrum cavitas vulneris materie solida, et liquida, amissis simili (*b*).

(*a*) Gasparus Taliacotius Med. et Chirurg. Profesor Bononiensis truncatas partes corporis nasum, aures, labia restituebat singulari artificio ex cute brachii incissa, et adaptata truncis locis. Hanc rem satis fusse tractavit in libro, quem inscripsit *de curtorum Chirurgia per insitionem*. Venetiis Anno 1597. in folio cum iconibus, et tabulis. Pareus, Hildanus . . id non impossibile judicarunt.

(*b*) Renata compages, seu caro licet non ea-

192 Ergo huc (189) requiritur 1. victus debitus, ut chylus, serum sanguinis, et materia nutritia blanda, glutinosa, nec facile putrescens sit, sed facilis digestionis, et assimilationis. Decocta farinosa cruda, fermentata, Emulsiones, lac, Jura, fructus maturi cocti, olera lenissima, primaria sunt sæpè, at pauca copia simul exhibita; repletionem, famem, sitim cavendo.

193 Cognita temperies ægri, tempestatis ratio, consuetudo, et natura comitantis morbi (*a*), docet quale, et quo modo præparatum ex his (192) cuilibet prosit.

194 Acre impetum nimis augens, vitandum. Salsum, Aromaticum, Acidum, olus acre, vinum, ergo vulneri mala.

195 Item quæ facile putrescunt. Jura

dem simillimam saltem esse omnia phænomena docent, et crassissima sanguinea vasa æque ac tenuissima perspirantia sic renasci experimenta evincunt.

Forcipes, pedes . . fracti, et etiam separati integre à Gammaris majoribus, et cancris marinis renascuntur, ut demonstravit perspicacissimus Reaumur. In homine adeo impotens natura abscissam in vulnere carnem minime germinabit, reproducet?

(*a*) Vulnera in homine sano aptius curantur ac in impuro acrimonia aliqua vexato, atque ægrotante. Hoc facile patet.

nimis spissa, herbæ alcalescentes, ergo obsunt; raphani, nasturtia, brassica, et similia.

196 Tum quæ difficulter in chylum, et sanguinem mutantur. Qualia sunt quæ sale, fumo, aëre induruerunt; vel quæ pingui multo scatent, ut lardum, pisces pingues, item anseres, anates; similes aves piscibus pastæ, &c. denique viscida: ut legumina crassa, farinosa, cruda, ova.

197 Ad eundem scopum (189) conducunt medicamenta: quæ tollunt impedimenta nata consolidationi (190. 191.), et plerunque Decocti forma exhibentur. Illa ergo erunt varia pro varietate ejus impedimenti, quod tollendum erit: nec ullum utile omnibus habetur.

198 Hinc pro re nata sumuntur ex attenuantibus, inspissantibus, mitigantibus, excitantibus, virtute singulari contrarium vitium emendantibus, aperientibus, laxantibus, adstringentibus, adeoque sæpe ex oppositis.

199 Quorum quid eligendum, docet cognita natura vitii in ægro, et tituli horum Medicamentorum (197. 198.)

200 Aëris puri semper, ab exhalante putri liberi, sæpe renovati, temperies sicca cum calore temperato optima.

201 Alvus servetur laxa usu emollientium, laxantium, *Eccoproticon.*

202 Somnus (*a*) conciliandus anodynis, victu humido, narcoticis.

203 Animus sit hilaris. Venus vitanda, quies commendanda est.

204 Ut canales in debita conditione (189) maneant, nec liquida in vulnere corrumpantur, sicque lædant actionem (189. 190. 191.) descriptam, aër arcendus, vulnus totum fovendum balsamicis vulnerariis lenibus, implendum carptis ad æquabilem præssionem, nervisque amicis medicamentis.

205 Quibus (204) in vulnere retinendis Emplastra prosunt, vix aliud (*b*) huic scopo præstantia, quam tenacitatem, non lædentem.

206 Liquida ad vulnus allata, in vulnus effusa, fibræ semimortuæ, canales

(*a*) Subtilissimi liquidi deffectum spirituum nempe natura reparat unico tantum modo, per motum vitalem solum, silente omni animali motu, id est, per somnum tranquillum. Dum validis laboribus lasatus, vel meditationibus exhaustus homo optimos cibos sumit nisi simul blando somno corpus refecerit torpere mentem, gravari corpus sentiet. Bonus somnus omnia ista emmendat. Hippocrates Animæ oficia in somno ingeniose declarat dicens quod *vigilans, et in corporis partes subrepens ipsa Anima domum suam gubernat, omnesque corporis actiones ipsa obit.* Lib. de Insomn. cap. 1.

(*b*) Emplastra sanant vulnerat? Ita credunt qui sua ut specifica jactant.

obstructi, tumefactique creant in vulnere pus, ichorem, sordes, carnes spongiosas.

207 Quæ (206) digerente, abstergente, corrodente, exsiccante auxilio tolli solent, sæpe et comprimendo.

208 Illa (207) adhibenda, donec pus album, blandum, viscidum, læve, æquale, inodorum adsit; sub quo sordes abstergentur, contusa et tumida consumuntur, corrupta ab aëre separantur, cava implentur, conglutinantur separata.

209 Tum ea, quæ carnem generare dicuntur, applicanda, quæ sunt digerentiv leniora.

210 Si autem, peractis, quæ primo scopo (185) satisfaciunt (186. 187. 188.), nihil ex substantia corporis ablatum deprehenditur, labia unienda ita sunt, ut partes naturaliter unitæ iterum sibi mutuo applicentur, atque ita retineantur.

211 Horum prius absolvitur 1. situ conciliato parti illo, qui quiescenti aderat: 2. leni, et æquabili partium ad se invicem compressu, ut in omni superficie contiguæ sint, et quiescant.

212 Retinentur in adunatione 1. Emplastris tenacibus, digitatis processibus, ad fines ansatis, utrimque à latere vulneris appositis, et per fila adducendis. Quæ locum habent in longis scissuris transversis cutis, vel partium laxarum.

213 2. Circumductu Fasciarum (*a*), et appositu Spleniorum, ut partes dehiscentes (158. 1.) æquabiliter appressæ maneant, et coeant ; quod determinato pressionis modo facile fit. Convenit vulneribus inflictis juxta longitudinem partis vulneratæ.

214 3. Suturis per acus chalybeas, rectas in minori, curvas in majori profunditate vulneris, acuta acie, cauda cava filum cera obductum abscondente, ad sufficientem à vulnere distantiam infixas, ad fundum usque adactas, sic pariter in altero labio eductas, quarum filo adstricto unita prius labia retineantur, dein levi splenio superductum filum colligetur : id repetitur à medio, vel ab angulo vulneris ad fines ejus, pro necessitate. Hinc balsamo labia linenda, superpositisque levibus spleniis supra nodos, Emplastro tegendum est vulnus.

215 Conveniunt (214) recenti, cruento, à magna tamen hæmorragia libero, simplici, pleno, puro, transverso, obliquo, anguloso vulneri (*b*).

(*a*) In his rite applicandis Chirurgi peritia, et dexteritas imprimis cognoscuntur. In Collegio Chirurgiæ Matritensi sub nomine SANCTI CAROLI Cathedra huic negotio vere utilissimo, atque necesario dicata est.

(*b*) Plurimæ circunstantiæ attendendæ in suturarum exequtione. Damnandæ ergo, conclu-

Nocent (214) copiosum cruorem stillanti, antiquo, sanioso, purulento, sordido, contuso, substantia propria orbato, crustis obducto, vasis magnis læsis periculoso, nimis profundo, valde inflammato, venenis infecto, in parte necessario mobili hærenti vulneri.

216 4. Acu manente vulneri per labia ejus transfixa, filoque ei ita circumducto, ut horum retroitum impediat, sed retineat unita. Convenit magnis, hiulcis, pendularum partium vulneribus.

217 Ultimus scopus (185. 4.) attingitur, curando ut pars parti sic respondeat, quemadmodum olim in sanitate, sicque retineantur, ut nimis nec premantur, nec laxentur; adurentia, stiptica, adstringentia vitando; inprimis vero curando, ut in omni parte æquabiliter prematur vulnus. Quæ omnia obtinentur peractis, quæ

dit hìc van-Swiet. quammaxime quorundam Chirurgorum imperitia, et temeritas, qui quævis fere vulnera, sine ullo discrimine, laceri panni instar consuunt.

In Aphor. Chirurg. Boerh. et van-Swiet. Comment. hispanicè versis Tom. 1. pag. 388. extat Dissertatio Professoris Pibrac Suturas ex foro chirurgico fere penitus eliminantis. Tendinum vulnera, Achillis præsertim ruptio suturas respuunt. Petiti Machina pro sananda ista (de qua pag. 406.) per contiguitatem, seu partium approximationem celebris est, et in usum adhibenda.

descripta (ab 186. ad 206.), et dein imposito leni desiccante medicamento; denique cicatricem spirituosis abluendo.

APHOR. 198.

Agrimonia.
Alchimilla.
Aristolochia.
Baccæ Juniperi.
Betonica.
Buxus.
Beta.
Centaurium minus.
Consolida regia.
Media.
Saracenica.
Cyclamen.
Diapensia.
Dracunculus.
Hypericum.
Limonium.
Lillium convalium.
Ophioglossum.
Pastinaca.
Peryclymenon.
Persicaria.
Polytricon Apuleji.
Sanicula alba.
Sylvestris.
Sophia.
Symphytum.
Valeriana.
Veronica.
Vinca pervinca.

Decocta Vulneraria, et potus.

1. *Attenuans.*

R. Foliorum Daphnoides.
Veronicæ.
Rutæ singulorum manipulum unum et semis.
Radicis Caryophillatæ unciam unam.
Florum centauræ minoris pugilos duos.

Decocti ex aqua libris tribus admisce.
Salis cardui benedicti drachmam unam.
Syrupi quinque Radicum aperitibarum uncias tres.
Bibat uncias quatuor quatèr de die calidas.

2. *Inspissans.*

R. Telephii.
Consolidæ majoris
minoris.
Malvæ.
Parietariæ, singulorum manipulum unum.
Decoti ex aqua libris tribus admisce
Syrupi Altheæ uncias duas.
Usus ut prioris.
Huc etiam referri possunt.
Rheum.
Rhaponticum.
Hypericum.

3. *Mitigans.*

R. Seminum contusorum papaveris albi uncias tres.
Florum verbasci uncias duas.
Foliorum Bugulæ manipulos duos.
Radicis Scorzoneræ uncias duas.
Glycirrhizæ unciam unam.
Cum aqua decoque ad libras tres.
Exhibe in usum eundem.

4. *Excitans.*

R. Radicum Imperatoriæ.

Vincetoxici singularum unciam unam.
Foliorum Rutæ.
Scordii singulorum manipulum unum.
Seminum contusorum Bardanæ drachmas decem.
Seminum contusorum cardamomi drachmas quatuor.
Florum Lavendulæ.
Centauræ minoris singulorum uncias duas.
Cum aqua decoquantur ad libras tres.
Exhibe ut prius.

5. *Singulari virtute emendans.*

1. *Glutinosi* vid. *Attenuans.*
2. *Acidi.*

R. Seminum Sinapi unciam semis.
Radicis Armoraciæ.
Foliorum erysimi.
Nasturtii singulorum uncias duas.
Vase clauso leviter decocti libras duas exhibe.
Sumat uncias duas quater de die.

3. *Alcali.*

R. Radicis Oxylapathi uncias duas.
Foliorum Trifolii acetosi manipulos duos.

Radicis Acetosellæ unciam unam.
Florum Borraginis drachmas duodecim.
Cum aquæ decoctæ leviter libris duabus.
Exhibe in eundem usum.

4. *Oleosi.*

R. Tamarindorum uncias duas.
Chrystalli Tartari drachmas quatuor.
Radicis Graminis uncias quinque.
Cum aquæ decoctæ libris duabus admisce.
Rob Sambuci uncias duas.
Usus idem.

5. Aperiens, vid. *Attenuans.*

6. Laxans, vid. Aphor. 54. Num. 4.
Decoctum humectans.

7. Adstringens, vid. Aph. 28. Num. 4.
Titulo *Decoctum.*

APHOR. 201.

Emollientia alvi.

Jura carnis bubulæ recentia, pinguia.
Olera lenia juri incocta. Aph. 35. N. 1.
Emollientia, et humectantia epota, et injecta. Aph. 35. N. 3. Aph. 54. N. 4.
Olea inprimis pressa, recentia Amygdalarum dulcium, olivarum.
Laxantia alvi fere eadem emollientibus.

ECCOPROTICA.

Fructus maturi horæi, acido-dulces, pulposi, succulenti.
Alkekengi.
Baccæ Ebuli.
Sambuci.
Caricæ.
Cerasa hortensia quæcumque.
Chamæmora.
Chamærubi.
Fraga.
Jujubæ.
Mala Armeniaca, Persica, vulgaria.
Pruna hortensia alba, cærulea.
Damascena, Gallica, Prignolensia, rubra.
Ribesia alba, nigra, rubra.
Rubi vulgares nigri.
Idæi albi, rubri.
Sebesten.
Tamarindi.
Uvæ vitis omnes species.
Gruinæ.
Crispæ.
Horum succi recentes, et musta.
Cassiæ unciæ duæ.
Mannæ unciæ duæ.
Tamarindi unciæ duæ.
Pulpæ Tamarindorum unciæ duæ.
Succi Rosarum palidarum uncia una.

Aloes rosati grana sex.
Passulæ unciæ quatuor.
Galbani scrupulum semis.
Radicis Polypodii Quercini uncia una et semis.
Rhabarbari scrupulum unum et semis.
Rhabarbari in infuso, drachma una.
Syrupi Altheæ Fernelii, unciæ tres.
Cichorei cum Rheo uncia una et semis.
Fumariæ unciæ duæ.
Rosarum solutivi uncia una et semis.
Violarum simplicium unciæ duæ.
Mellis simplicis in aqua diluti, unciæ duæ.
Pilulæ Rufi ad grana quatuor.
Electuarium succi Rosarum.
Diaphænici.
Benedictæ laxativæ.

APHOR. 202.

Anodyna sunt.

Quæ causas doloris tollunt, minuunt.

1. Diluentia. Aph. 54. num. 4.
2. Laxantia. Aph. 35. num. 1.
3. Humectantia. Aph. 35. num. 4.
4. Acre emendantia. Aph. 66. 88.
5. Tumores distendentes resolventia Aphorism. 54. num. 4.

Narcotica sunt.

Quæ acumen sensus obtundunt, et sunt:

1. Paregorica mitissima, ut
   Seminum Papeveris albi contusorum unciæ duæ.
   Syrupi capitum papaveris albi, uncia una, et semis.
   Diacodii uncia una, et semis.
   Syrupi Florum Rœados unciæ tres.

Hinc varia commode parari, et adhiberi tuto queunt, V. G.

Haustus Paregoricus mitissimus.

R. Aquæ Stillatitiæ florum Rhœados uncias tres.
   Fabarum unciam unam.
   Aquæ Stillatitiæ florum Pæoniæ.
   Sambuci singularum unciam unam, et semis.
   Tiliæ unciam unam.
   Syrupi Florum Rhœados unciam unam, et semis. Misce.

Idem Paulo magis hypnoticus.

R. In præcedenti misturæ loco Syrupi Rhœados, tantundem Syrupi Diacodii, vel Syrupi capitum papaveris albi.

Emulsio anodyna mitissima.

R. Amygdalarum dulcium.

Strobilorum Pini.
Seminum Papaveris albi singulorum unciam unam.
Cum aquæ stillatæ florum Rhæados quantitate sufficienti.
Fiat secundum Artem Emulsio, cujus unciis decem admisce.
Syrupi florum Ræados unciam unam.

Eadem paulo plus soporata.

R. Loco Syrupi Florum Rhæados, eandem dosin *Syrupi Diacodii*, vel *capitum Papaveris albi*, in præcedenti emulsione.
2. Fortiora Narcotica.

Pilulæ narcoticæ.

R. Opii purissimi grana duo.
Fiant Pilulæ tres.
Detur una pro dosi, repetendo post horam, si prior nihil efficit, sic et tertio.

Pulvis Similis.

R. Opii purissimi parum siccati grana duo.
Coralliorum rubrorum.
Sacchari perlati singulorum drachmam semis.
Misce. Fiat pulvis. Dividatur in dosibus tribus.
Usus idem, qui in Pilulis modo descriptus.

Conditum Simile.

R. Opii in pulverem redacti præcedentis Dosim unam.
Mivæ Cydoniorum drachmam unam.
Misce. Fat Bolus.

Hic usurpari, geminarique potest eodem modo.

Haustus in Guttulis.

R. Opii parum siccati drachmam unam.
Spiritus vini rectificati unciam unam.
Fiat Tinctura.

Dosis guttæ triginta ex
Aquæ stillatitiæ Melissæ unciis duabus.
Syrupi Florum Rhœados uncia semis.

Vel.

R. Opii parum siccati drachmam unam.
Spitus aceti unciam unam
Fiat tinctura.

Dosis guttæ triginta, ex
Aquæ stillatitiæ florum Rhæados unciis duabus.
Syrupi florum Rhæados uncia semis.

Mistura narcotica calida.

R. Tincturæ opii cum spiritu vini rectificati guttas septuaginta.

Syrupi papaveris albi drachmas sex.
Aquæ stillatæ corticum citri.
Aurantiorum.
Cinamomi singularum uncias duas.
Misce. Sumatur cochlear unum omni dimidia hora, donec sopiatur dolor.

Mistura similis frigida.

R. Tincturæ opii cum spiritu aceti præparatæ guttas octoginta.
Syrupi Mororum drachmas sex.
Aquæ stillatitiæ Borraginis.
Papaveris erratici singularum uncias tres.
Misce in eosdem usus.

Emulsio Narcotica fortior.

R. Seminum papaveris albi contusorum uncias duas.
Cum aqua decocta Hordei fiat emulsio, cujus unciis decem admisce
Syrupi Diacodii unciam unam, et semis.
Tincturæ opii cum spiritu vini rectificati guttas viginti.
Aquæ stillatæ Cinnamomi drachmas duas.
Corticum citri drachmas decem.
Capiat unciam unam et semis omni hora donec incipiat leniri dolor.

Epithema Narcoticum.

R. Tincturæ opii in spiritu aceti drachmas tres.
Aquæ stillatæ florum Sambuci
Rosarum, singularum uncias tres.
Aceti Sambucini
Rosacei singulorum unciam semis.

Misce. Cum pannis applicetur temporibus utrinque.

Juvat hic maxime parti dolenti demulcentia ita apponere, ut tollatur causa, quæ his ægris somnum arcet, qui est dolor in ipsa hac parte. Eo inprimis valent sequentia tepide applicata, atque in eodem tepore bene conservata tandiu, donec dolor levatus erit.

Cataplasma Narcoticum emolliens.

R. Foliorum recentium Papaveris hortensis manipulum unum.
Hyoscyami nigri manipulum semis.
Altheæ manipulos quatuor.
Cum lacte recenti decoctis sub finem admisce
Farinæ seminum lini unciam unam.
Olei recentis pressi seminum lini uncias duas.
Fiat secundum artem cataplasma.

Fomentum Simile.

R. Succum expressum ex decocto priori cataplasmatis dilutius parato libras tres.
Admisce secundum artem
Opii puri drachmam semis.
Fiat fomentum.

R. Aceti Rosacei, diu digesti cum radice Hyoscyami quod sufficiat pro fotu.

APHOR. 204.

Balsami blandi vulnerarii ad vulnera pura.

Colla in vino soluta ilico consolidat.

1. *Balsami nativi.*

Copaybæ.	De Tolu.
De Gilead.	Terebinthina.
Liquidambar.	Resina Abiegna, et
De Mecha.	Laricea.
Opobalsamum.	Butyrum.
Palmæ.	Medulla.
De Peru.	Mel.

2. *Balsami artificiales simplices vulnerarii, blandi.*

Olea rectificata Ceræ.
Terebinthinæ crassum.
Lini, Hyperici, Rosarum.
Oleum solani; trifolii odorati.
Butyrum recens.

3. *Balsami artificiales compositi similes.*

R. Florum sulphuris drachmas quatuor.
Olei lini, vel olivarum uncias quatuor.
Leni igne coque ad dissolutionem sulphuris integram.

R. Gummi Elemi purissimi minutissime conscissi partem unam.
Leni igne lente dissoluto admisce
Terebinthinæ venetæ puræ nativæ partem unam.
Soluta per linteum trajice : tum admisce
Medullæ Bovinæ coctæ, et separatæ à membranis partes duas.
Est Balsamus universalis instar Arcei.

R. Ligni Santali rubri libram unam.
Aquæ communis libras quatuor.
Coque spatio duarum horarum, cola, inspissa in extractum spissum, cui admisce
Sanguinis Draconis minutissimam in farinam redacti drachmas duas.
Hujus aliquantulum misce *Balsamo præscripto*, donec habeat gratum rubrum colorem. Erit Balsamus ruber.

R. Olei olivarum libram unam, et semis.
Ligni santali rubri unciam semis.
Coque leniter, donec oleum saturate rubrum, tum fervidum cola per linteum, in eo solve ad ignem lenem

Ceræ citrinæ libram unam.
Terebinthinæ optimæ libram unam, et semis.

Est instar Balsami *Lucatelli.*

Si ei admisces
Balsami Peruviani unciam unam

Erit eo prestantior.

Usus omnium : calefactum instilla vulneri, superpone plumaceolum balsamo tinctum, deliga semel singulis viginti quatuor horis.

R. Mastiches.
Olibani.
Sarcocollæ singulorum quod placeat.

Misce. Fiat pulvis subtilissimus, inspergendus vulneri.

APHOR. 205.

Emplastrum defensivum rubrum.

R. Olei Rosacei.
Ceræ albæ, singulorum uncias sex.
Boli Armenæ.
Sanguinis Draconis, singulorum unciam unam, et semis.
Rosarum Rubrarum pulveris unciam semis.
Misce. Agita donec refrigefacta.

Emplastrum defensivum cæruleum.
de Minio.

APHOR. 207.

Digestivum.

R. Terebinthinæ nativæ unciam unam.
Vitelli ovorum numero unum.
Exacte mistis adde miscendo
Mellis Rosarum unciam semis.

Abstergens.

R. Aloes.
Myrrhæ.
Foliorum Scordii. } minutissimè pulverisatorum anà drachmas duas.
Saponis veneti tenuissime rasi drachmam unam.
Accurate contritis simul admisce
Digestivi præcedentis drachmas tres.

Corrodentia.

1. *Mitissima.*
Alumen ustum.
Cinis ligni viridis combusti.
Mercurius dulcis.
albus præcipitatus.
Vitriolum album.
2. *Fortiora.*
Mercurius ruber præcipitatus.
Vitrioli colcothar.
Trochisci de minio Vigonis.
3. *Fortissima.*
Butyrum Antimonii.

Lapis infernalis.
Mercurius sublimatus corrosivus.
Oleum Tartari per deliquium.
Oleum vitrioli.

Quo fortiora eo prudentius usurpanda.

Elixir corrodens.

R. Aloes.
Myrrhæ singulorum drachmam unam.
* Salis tartari drachmas duas.
Aquæ communis uncias duas.
Misce. Coque in Elixir.

Unguentum exsiccans.

R. Æruginis uncias quinque.
Aluminis crudi unciam unam.
Aceti fortis uncias septem.
Mellis puri uncias quatuordecim.
Coque in Unguentum. (*Nimium, validissimum, usui nostro ineptum*).

Exsiccantia.

Alumen leviter calcinatum.
Aqua calcis vivæ.
Lapis Hæmatitis.
Mastiche.
Sanguis Draconis.
Sarcocolla.

APHOR. 209.

Carnem generantia Sarcotica dicta.

Balsami vulnerarii, Aphor. 204.

R. Ceræ citrinæ.
Picis nigræ.
Resinæ vulgaris singularum libram semis.
Olei Lini libras duas.
Misce. Est Basilicon, seu Tetrapharmacum.

R. Ceræ citrinæ uncias sex.
Olei Florum Hyperici infusione parati libras duas, et semis.
Lenissimo igne fussis adde
Resinæ Pini siccæ, contritæ,
Colophoniæ vulgaris electæ, singularum unciam unam et semis.
Ubi simul fluut, remota ab igne, per linteum trajectis admisce
Terebinthinæ venetæ puræ uncias duas.
Baculo mota, ubi densari incipiunt insperge
Masticches electæ,
Olibani puri singulorum unciam unam.
Croci tenuissime contriti drachmam unam.
Est Unguentum Aureum.

APHOR. 212.

Emplastra tenacia.

R. Emplastri Diapalmæ quod suficiat.
Olei olvarum parum.
Solve.

R. Picis vulgaris quod suficiat.
Extensa ad linteum applicentur.

APHOR. 217.

Cicatrisans, Epuloticum dictum.

Unguentum desiccativum rubrum.
Diapompholygos.
Calcis.
Nutritum.
Album Rhasis.
Emplastrum album coctum.
de Lapide calaminari, seu griseum.
de Minio rubrum.
Sparadrapum Gualtheri.
Colophonia ex Terebinthina cocta in farinam redata.
Thus, Olibanum, Mastiche.

HÆMORRHAGIA (*a*).

218 Si cruor manat ex vulnere multus per suas (159. 160.) causas, sistitur 1. Causticis ignitis. 2. Corrosivis. 3. Adstringentibus. 4. Circumstricto filo. 5. Dissectione integra. 6. Fasciis, et splenio pyramidali comprimentibus.

219 Revulsio hic (218) nihil juvat, nisi vascula læsa (159) parva, et plethora adsit. Eadem de victu, potu, et internis medicamentis vera sunt: quæ autem de hæmorrhagia dicta, eadem et fluxui ichoris applicari queunt; licet auxilium hic summum in balsamicis crassioribus.

APHOR. 218.

Corrosiva.

Vitriolum album.
Lapis infernalis.
Oleum vitrioli.

(*a*) Præcipua simptomata, quæ in vulneribus occurrunt, et curationem peculiarem expostulant sunt Hæmorragia, Dolor, et Convulsio, de quibus hic sub hoc titulo agit Boerhaavius.

Adstringentia.

1. *Quæ vasa contrahunt.*
Alcohol.
Spiritus Terebinthinæ.
Succus recens Cydoneorum immaturorum.
Sanguis Draconis.
Crepitus Lupi.
Crocus Martis.

2. *Quæ cruorem coagulant.*
Alcohol.
Farina volatilis.
Spiritus Nitri.
Sulphuris.
Vitriolum calcinatum.
Saccharum Saturni.
Granatorum cortex.
Flores.
Lapis Hæmatitis.

APHOR. 219.

Mastiche.
Olibanum.
Sarcocolla.
Terebinthina ad duritiem cocta.

DOLOR.

220 Si fibra nervosa, cerebro orta, ita extenditur, vel alio modo disponitur, ut dissolutionem minitetur, fit Doloris idea.

221 Qui eo acrior, quo fibra rupturæ propior: eo autem mitior, quo naturali est tensioni propior.

222 Unde Dolor summus in eadem parte brevis, mitior diuturnus esse, et intendi potest, et remitti.

223 Causa Doloris ergo omne id est, quod talem extensionem, vel dispositionem, (220) facit.

224 Quo refertur 1. vis naturalis contractionis paucioribus fibris sustentata, dum qnædam solutæ (*a*) sunt (183) 2. quod vas fibris nervosis contextum nimis replendo distendit; eo obstructio, plethora, cacochymia abundans, auctusque motus circularis, spectant. 3. quod vi distrahit, ut luxatio, tumor, vis externa. 4. omne vulnerans, et rodens.

225 Inde Doloris (220) in vulnere (145) causa multiplex (224) cognoscitur.

226 Et effectus, inquies, jactatio, vigilia, febris, calor, sitis, siccitas, convulsio, gangræna, intelliguntur.

(*a*) In Paronychiæ pessima specie in qua tendine flexorum digiti affecto tam immanis dolor oritur, hoc apparet: excidit enim sæpissime ultimæ phalangæ digiti osiculum post enormes toleratos cruciatus. Philotas apud Quintum Curtium (lib. VI. cap. XI.) flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non potuit cum alia vere intoleranda firmiter toleravisset.

227 Tum Anodyni diversitas, pro varietate causæ, scitur.

228 Doloris causa tollitur ergo 1. laxata distenta fibra. 2. resolutione concreti. 3. minuto motu, et materia distendente. 4. ablata tractione inæquali, et violenta. 5. lenito acri. 6. discusso eodem. 7. educto eo, quod solvit fibras.

229 Doloris sensus tollitur, manente ejus causa (224.) 1. nervo inepto ad sensum reddito compressu, dissectione, vel exustione (*a*). 2. Sensorio communi obtuso per vim narcoticam (*b*): atque his tolluntur nonnulli effectus (226) ex Doloris sensu oriundi.

APHOR. 228. et 229.
Vid. 202.

(*a*) Medicamenta ista caustica actualia ab ipso Hippocrate tanquam suprema remedia in quamplurimis morbis contumacibus, et violentissimis prædicantur. In sævissima odontalgia, in qua acerrima olea stillatitia caryophylorum, origani . . denti cavo impossita statim nervum, quem tangunt ignea vi destruunt, suplere possunt; in capitis doloribus; in molestissimo morbo Ischiadico . . Hinc tantus Moxæ usus in doloribus artriticis tollendis, imo et in ipsa podagra ex artemisiæ lanuginе confecta prodest.

(*b*) Videtur Divina misericordia hæc auxilia hominibus concesisse, ut dolores enormes, quorum causæ tolli nequeunt, vel non nisi lon-

CONVULSIO.

230 Violenta, invita, et alterne repetens, contractio musculi Convulsio vocatur.

231 Cujus causa id, quod liquidum nervosum vi alterna in musculos convulsos pellit.

232 Adeoque in ipso vulnere hærere potest, sive sit materies aliena irritans, sive ipsa nervi læsi (163. 164. 165. 183. 184.) conditio, sive evacuatio cruoris nimia (*a*) prægressa.

ga temporis mora enervari possunt, sopiantur pro tempore. Nihilominus imprudens opii quantitas in non asuetis deliria, convulsiones, et lethalem apoplexiam producere potest. Drachma opii inter pocula inscio vini ciato propinata quindecim horis elapsis necavit eum. Tumores lividi infantis quadrimestris caput magnitudine equantes, brachia, et fæmora cadaveris deturpabant cum fœtore intolerabili: centeni feles ex vicinia turmatim accurrebant, et cadaver lingebant cum aviditate tanta ut certissime devorassent nisi cautum fuisset.

(*a*) In mactatis animalibus observatur ista. Dum per abortum, vel post partum patulis uteri vasis omnis fere sanguinis copia exit, toties convelluntur mulieres, et sæpe subito pereunt. Idem observatur dum hypercatharsi per alvum

233 Quin et effectus ejus, perturbatio omnium Actionum cognoscitur.

234 Sanatur. 1. Ablato irritante (186) arte Chirurgi (187. 188.) 2. Acri lenito, vel dissipato. 3. sublata nervi conditione (232) per remedia (228. 229.) descripta. 4. repletione per lene, amicum, liquidum alimentum assiduo pauca copia ingestum. 5. sedata simul hæmorrhagia. (218. 219.)

235 Tumor, et inflammatio levis vulneri bona; si augentur, mala: balnea, fotus, anodyna, antispastica, loco læso, et toti applicata ægro, prosunt: de quibus in historia, et curatione Inflammationis.

236 Sanguis in cava corporis per vulnus delapsus inde ocyus educendus situ corporis, suctu per fistulam, si recens, vel dilutus primo, apertura vulneris dilatata, vel nova.

237 Si vulnus inter firmas partes corporis descendit, via paranda sordibus pressione, lotione, ligatura, apertura vulneris nova, vel dilatata.

nimia copia liquidorum de corpore subducitur. Hoc utroque casu vasa vacua collabuntur, et sanguis corde pulsus non potest propagare motum acceptum per vasa plena; sed libere ruit in vasa vacua; sic deficit requisita præsio *æquabilis* in encephali vasis, unde convulsio, quæ est: violenta, invita, et *alterne repetens* contractio musculi ex Aphor. 230.

238 Dilatatio fit cultro, linteis carptis, spongia (*a*), radice Gentianæ, et similibus siccis immissis, filo alligato, absortu humoris tumentibus, sicque dilatantibus (*b*).

APHOR. 234. NUM. 2.
Vid. 66. 88.
APHOR. 234. NUM. 4.

Tale est jus carnium recentium.

APHOR. 235.

Antispasmodica.

1. Laxantia. 2. Diluentia. 3. Resolventia.
4. Absorbentia.
Lapis cancrorum.
Margarita.
Ebur.
Cornu Cervi.
Sanguis Hirci.
Dens Apri.

(*a*) Resina cum cera, et pauco oleo liquata, et iis spongia pura siccissima immersa, hoc emplastro penetrata, et postea validissima actione preli expressa, et postea refrigerata in quasvis figuras scindi poterit, et ad id operis poterit sic utiliter deservire.

(*b*) Tres isti ultimi Aphorismi ad vulnera in genere, vel ad Abdominis vulnera aptius spectant, ad quæ loca relegandi.

Ungula Alcis, &c. Aph. 66. num. 5.
5. Opiata. Aphor. 202.
6. Nervos sopientia.
Oleum Terebinthinæ, Copaybæ, &c.

APHOR. 236.

Diluitur cruor coagulatus, extravasatus, his vel similibus.

R. Mellis communis uncias duas.
Saponis Veneti drachmas duas.
Salis Marini drachmas quatuor.
Aquæ pluviæ uncias duodecim. Misce.

R. Salis Ammoniaci.
Nitri, singulorum drachmas tres.
Urinæ recentis sani uncias duodecim.
Mellis communis uncias duas. Misce.

R. Aloes in aqua solutæ, à fœcibus resinosis ritè depuratæ, iterum leniter inspissatæ drachmas quatuor.
Ammoniaci salis drachmas duas.
Boracis drachmas duas.
Mellis puri uncias duas.
Vini Gallici albi uncias duas.
Aquæ pluviæ uncias novem. Misce.

Horum tepefactorum prudens injectio, lenis dein in loco cum sanguine ibi stagnante conquassatio, diluit, resolvit, à pu-

tredine præservat, egressum parat: unde summus horum usus ubi cruor extra vasa elapsus, in magnis cavitatibus stagnat, coit.

VULNERA CAPITIS.

239 Vulnera Capitis lædunt vel sola externa communia; vel periosteum; vel cranium; vel duram Matrem; vel piam simul; vel Cerebri vasa, substantiam, corticem, medullam, ventriculos.

240 Sola externa læsa, scitur. 1. ex causa vulnerante, ejus figura lædente. 2. vi ejus parva. 3. loci vulnerati conditione, quoad figuram inprimis. 4. levitate symptomatum. 5. conspectu. 6. specillo.

241 Hæc (240) licet levia videantur, sæpe ex propinquitate musculorum, tendinum, suturarum, periostei, cranii, nervorum, vasorum, cerebri, periculosa fiunt; tum quoque à vi contractili partis læsæ.

242 Maxime, si contusio simul adest.

243 Aut, si sub parva (*a*) apertura lata læsio sordes colligit.

(*a*) Van-Swiet. proponit casum febris in fabro lignario à levi vulnusculo capitis procedentis licet occultaretur; sed sagaciter inventa causa ista ait: jussi, ut iliço discinderentur integumenta loci affecti; et sequenti die febris

244 Collecta enim materies (242. 243.) miros tumores, erysipelas, œdema, dolores, convulsiones, ossis et periostei putredines, febres, mortem creat. Aër cava alluens, incaute appositu emplastrorum ibi coercitus, impressus, mira emphysemata facit.

245 Si sola ergo integumenta læsa sine dictis (241. 242. 243. 244.), facilis sanatio per ligaturam idoneam, et curationem descriptam ab (185. ad 239), licet sæpe appareant maxima : inprimis vero juvat recens esse, dum incipit curari, rite uniri, raro deligari (*a*), et citissime, atque defendi cum cura à nimium humidis, aut laxantibus, et oleosis, ipsoque aëre.

246 Si adsint vero descripta (241), utendum remediis variis (185. ad 239.), pro varietate partis affectæ (241), et mali.

247 Contusa hic (242) rite digerenda his, quæ dissipare possint, vel suppurare, modo eligantur semper ea, quæ bona nervis membranisque (204. 207. 245.), aut exscindenda sunt.

jam remisior, et omnia simptomata longe leviora erant : benigna supuratione depurabatur locus, et feliciter sine ullo graviore malo evasit.

(*a*) Cesar Magatus utillissimum tractatum edidit *De rara medicatione vulnerum* à chirurgis cura magna legendum, et observandum.

248 Si adsit malum (244), dilatare cultro, et depurare opus (238. 207. 208.)

249 Pericranio læso, ut nudet diu os, vel ut putrefiat, os privatur vasis periostei, adeoque et suis, stagnat in his liquor, putrefactus squamam separat, unde os flavum, fuscum, nigrum, tandem foliolum deponit.

250 Cujus causa (149) interrupta vasorum continuitas, frigusve aëris constringens, et exsiccans fines vasculorum in osse; falso accusata ejus malignitate.

251 Effectus vero, augmentum malorum (249).

252 Curatio fit. 1. os leviter parva terebra diversis, vicinisque locis, usque ad medium perforando, unde exfoliatio cavetur, periosteum inde renascitur. (*a*) 2. inde arcendo pus, saniem, pinguia, aquea, aërem, applicatis plumaceolis spi-

(*a*) Scalpra, cauteria . . vitanda, Methodus hic proposita præstantior. Per diploen multa vasa decurrunt, quæ per orificia exeunt elongata, et pericraneum retexunt. Hoc experientia confirmatur. Chirurgo peritissimo Belloste tribuitur istud inventum. Ast apud Hippocratem pulcherrimæ hujus methodi vestigium jam reperitur. *Ubi os carne nudatum fuit . . . Exigua terebra osse perforato sanguis detraendus est non nisi ex diploe subinde adhibita cautione, quod os juniorum tenujus sit.* (de Capitis Vulneribus cap. 30.) Vid. §. 262. Not. (*a*).

ritu vini Mastichino imbutis. 3. raro, et citissime deligando.

253 Qua arte ex punctis fodicatis (252) et undique, emergit nova substantia quasi carnea cito, tumque reliqua (249) sanantur, ut dictum, (245. 246. 247. 248).

254 Si Calvaria læsa est, pro varietate causæ, fissa (*a*), fracta, contusa, intropressa, vel evulso fragmento spoliata erit, atque hæc vel in una, vel in utraque ejus tabula.

255 Sic affecta (254) scitur 1. causa vulneris forti. 2. vulneris magnitudine collata figuræ loci vulnerati. 3. specillo. 4. atramento affuso. 5. strepitu inter mordendum. 6. visu fracti, contusi, vel punctis pallidis colorati cranii. 7. tactu ipso. 8. symptomatibus integumentorum; carne circa septimam diem abscedente, dolore,

(*a*) Fissura dicitur solutio continui in osse, oblonga, ut plurimum, angustissima plerunque, et cum aliqua adhuc partium cohæsione. Ad istas in capite, seu calvaria dignoscendas suturarum habenda est specialis cura; harum enim loca in variis hominibus, et in varia ætate diferunt. Jam id Hippocrates monuerat dicens; *hominum capita neque inter se similiter habent, neque suturæ capitis omnibus in eodem loco sitæ sunt* (libro citato.) Nihilominus errorem suum humiliter fassus est dicens; *deceperunt me suturæ.*

natura puris tenui, et graveolente, vulneris malignitate aliena.

256 Effectus hujus mali (254) 1. partis osseæ separatæ mors. (249. 250. 251.) 2. infectio vicinorum. 3. hinc sæpe totius ossis infecti putrefactio. 4. Caries diploes. 5. Integumentorum cranii, et cerebri corruptio. 6. inde mala affecti cerebri, convulsio, sopor, paralysis, apoplexia, mors.

257 Ex quibus (254. 255. 256.) et cognitio, et prædictio (*a*) hujus morbi noscuntur.

258 Et indicatur ad curationem. 1. loci læsi detectio. 2. mundatio. 3. terebratio (*b*) ossis. 4. Ejus periostei regeneratio. 5. reliqui vulneris sanatio.

(*a*) Prudentia postulat, ut hæc omnia vulnerati amicis proponantur, ne postea sequentia mala medentis incuriæ, non autem vulneris malignitati adscribantur. Ita etiam majori cura observabuntur illa, quæ tam in dietæ regimine, quam in cura vulneris prescribantur, ab adstantibus, et ab ægro ipso, cui mali gravitas indicanda.

(*b*) Operatio ista magnas requirit cautelas. Ruischius annoso artis usu dicit multos casus vidisse veræ cranii fracturæ, in qua symptomata non augentur, venæ sectione, fomentis calidis, cephalicis larga copia applicatis curationem sine ferramentis contigisse. Celsus voluit auxilia ista tentari usque ad diem quintum. An ultra?

259 Locus detegitur. 1. incidendo tegumenta læsa per scalpellum recta, angulosa, perpendiculari, decussata sectione, in os usque impressa, caute in fractis, et vacillantibus fragmentis, varia electa pro varietate loci, et mali. 2. separando secta à cranio exacte per scalprum. 3. infarctu carpti lintei.

260 Cruor, pus, sanies, sordes, spongiolis absorbentur; fragmenta, festucæ, squamæ ossis, si parva, libera ab omni membrana, oculo mox patentia sunt, eximuntur volsella; vel solvuntur forfice; quæ mundatio artificialis.

261 Eadem nimis magna, hærentia (*a*) vivis, abscondita, relinquuntur, nam vel sponte separantur, vel recrescunt ad viva. Hæc mundatio naturalis.

262 Si os contusum, album, fuscum, lividum, fissumve apparet, minutis hinc inde foraminulis perterebrandum (*b*), ut

(*a*) Fracmenta calvariæ recrescere possunt si colorem servant naturali similem, et præsertim si adhuc cohæreant cum pericraneo. Hoc pluribus casibus confirmatur, et Hippocratis auctoritate fulcitur (lib. de Capitis Vulneribus. cap. XXVIII).

(*b*) Hippocrates postquam monuerat ossa fracta non esse educenda cum periculo, nisi sponte sursum cedant, dicit: *sursum autem cedunt, carne subnascente, subnascitur autem ex*

præscriptum (252), ita enim viva exeunt, et mortua expellunt cito.

263 Quo ipso (262) periostei regeneratio cita (252).

264 Sanatio tum reliqui descripta est (245. 246. 247. 248. 253).

265 Inde patet, cur angusta fissura periculosior (*a*) sæpe, quam ingens cranii contusio (256).

266 Et patet, hanc methodum (252. 262.) præferendam ustioni, scalpris, trepanis Veterum in his malis (249. 254. 256. 262.)

267 Cranium in junioribus intropressum, in adultioribus post fracturam intropulsum, Cerebrum premit; pro varietate loci pressi, pro varia magnitudine, profunditate, acutie, punctura prementis, producit hebetudines, sopores, vertigines, tinnitus, caligines, deliria, vomitum bi-

diploe ossis, et ex sano (osse) *si superior tantum ossis pars corrupta fuerit.* Sola observatione sic didicit Hippocrates illud, quod postea Recentiorum industria confirmavit: Carnem enim vocaverunt Antiqui Medici, (et etiam Recentiores eodem vocabulo ussi sunt) vascularem illam compagem, quæ in vulneribus renata jacturam substantiæ restituit. Van-Swieten. hic.

(*a*) Fissura difficile cognoscitur, sæpe non detegitur nisi sero, non potest certo cognosci quousque penetraverit. Hinc periculosior . .

lis (*a*), dolores capitis, convulsiones, paralyses, lotii, fæcumque spontaneum exitum, apoplexias, febres, mortem.

268 Quin et ipsum Cerebrum ita læsum, corruptum hinc inflammatione, suppuratione, gangræna, fungo, hæmorrhagia, similia mala (267) parit.

269 Id vitii (267) cognoscitur tactu, visu, ablatis integumentis (259).

270 Ablatio pungentis, restitutio prementis in statum naturalem, conservatio hujus status sufficiunt curationi.

271 Ergo detectum cranium (259) molle in pueris, emplastro tenaci elevatur; in adultis, si firmum, elevatorio attollitur; si vacillans terebram non sustinet, perforanda juxta fracturam calva-

(*a*) Mirum symptoma quod in capitis vulneribus cerebrum læsum, vel compræsione, aut concusione male affectum semper denotat. Aliæ causæ leviores etiam bilis vomitum producunt. Agitatio navis inasuetis; rotatio in girum . . . cerebrum turbando eum producunt. Vicisim bilis corrupta circa præcordia hærens omnes cerebri actiones turbare potest miris modis vertigines, deliria, convulsiones, &c. excitando. Excussa hac saburra ilico cesant omnia hæc mala. Ex his patet mirum commercium adesse inter caput, et præcordia, sic ut in se mutuo efficacissime agant: nec hactenus hoc ex cognita corporis fabrica explicari facile poterit, licet certissimis experimentis constet rem sic se habere. Van-Sweten. hic.

ria, ut vecti possit attolli impressum vacillans; juvat sternutatio (*a*), et animæ retentio.

272 In situ tenetur cavendo pressionem externam apta deligatione.

273 Fisso, fracto, contusove cranio, si arteriæ, venæ, lymphatica vasa sub cranio rupta effuderint suos humores, hi premendo cerebrum producunt mala (267), tum putrescendo in pus, ichoremve, inficiunt tenerrima vicina cerebri, unde rursum similia. Hæc vasa ex cranio in duram, ex hac in piam, inde in cerebrum, sinus, ventriculos decurrentia variis locis varia periculo, et sanatione damna producunt.

274 Concussus validus capitis, integro sæpe cranio (*b*), eadem (273) facit rumpendo, comprimendo.

275 Cognoscuntur mala hæc (273.

(*a*) Num ista impetu suo hìc nocua?

(*b*) Hoc maxime notandum, ut vitentur capitis contusiones, percusiones . . Hippocrates jam proposuit casum pulchræ virginis annorum viginti, quæ ab amica muliercula ludente, lata manu synciput percusa est . . nona die periit. Epidem. lib. II. textu 32.

Observatione dignum est diversas posse functiones encephali lædi prout variæ partes hujus organi tali concusione læsæ fuerint. Alii enim voce privantur: alii nec vident, nec audiunt; alii gustum, et odoratum amitunt.

274.) ex nota causa ; ejus impetu ; loco excipiente ; vomitu bilioso ; visu , auditu, olfactu , gustu , tactu minutis , depravatis, sublatis; vertigine , caligine , lapsu ; sopore, stertore; resolutione ; convulsione ; delirio; lethargo ; apoplexia ; horripulatione ; febre geminata (*a*) ; cruore per os , nares , aures effluente ; rubore faciei , et oculorum.

276 Quis vero locus intra cranium sit læsus scitur. 1. ex sensibilibus externis (249. 254. 255. 256. 262. 267. 269.), si adsunt. 2. invento loco cranii læso (255) per artem. 3. ex tumore , et rubore cutis capillis orbæ ad applicationem emplastri. 4. ex motu spontaneo manus ad certam capitis partem. 5. ex symptomatibus lateris unius paralytici , alterius convulsi (*b*).

277 Tum 1. cruor effusus ilico tol-

(*a*) In vulnere tertio die febricula oritur. Dum pus fit etiam ista adest ; si tamen ista vel subito augetur , vel postquam cesaverit , nova iterum febris insurgit semper desigat magnum latere malum ex Hippocratis , et aliorum observatorum testimonio.

(*b*) Origo sentiens , et principium illud movens locantur in parte oposita illi loco ubi effectus suos edunt? Subtilissimi Anatomici magno artis emolumento determinabunt. Observata Medica decussatam illam cerebri actionem suadent. Hinc si unum latus paralyticum , alterum convulsum fuerit , tunc mali origo hæret intra cranium in illa parte , quæ lateri paralytico oponitur.

lendus. 2. loca infecta depuranda. 3. ossicula forte infixa cerebro evellenda.

278 Extravasatus sanguis aufertur. 1. resorbendo. 2. dissipando. 3. perforando cranium.

279 Resorbetur, si in venas, largo missu sanguinis, et succenturiata purgatione alvi (*a*), evacuatas, vi vitæ repellitur.

280 Hinc statim ad maximam copiam, ægro tolerabilem, utraque hæc evacuatio instituenda (279), et si juvat, pro re nata repetenda, iterumque, si post has administratas minuuntur symptomata. (275).

281 Dissipatio attenuati perficitur. 1. resorbendo (279. 280.) partem dissipandi. 2. attenuando per diluentia aquosa, et resolventia calide pota. 3. parti affectæ rasæ imponendo emplastra, cataplasmata, fomenta, ex discutientibus nervinis, cephalicisque. 4. auribus, naribusque eadem applicando.

282 Quæ (279. 280. 281.) si statim non tollunt, minuuntve valde symptomata (275.), sed hæc vel persistunt, vel augentur, ilico (*b*) perforandum cra-

(*a*) Scammonium dosi nimia prescribitur hic à Boerhaavio. Raro purum prescribendum. Præstat Diagridium. Vid. Sylloge. Tom. II. pag. 418.

(*b*) Antequam applicetur trepanum, metho-

nium, ut exitus detur humoribus (273. 277. 1.), et facultas depurationi (277. 2.), et evulsioni (*a*) fragmentorum (277. 3).

283 Locus, ubi terebra applicanda, cognoscitur. 1. ex loco læsionis noto (276) ubi optime fit, si nihil vetat.

284 Vetat 1. sutura. 2. musculi plurimi. 3. cavitates ossis frontis. 4. arteria major ossi inserta. 5. inferior situs loci. 6. vacillatio fracti, contusi, cariosi ossis. 7. Inæqualitas eminentis, et excavati iterum cranii.

285 Tum, qui læso cognito (276) proximus, applicandæ terebræ locus optimus est.

dus tribus precedentibus paragraphis recensita prius semper tentanda est; et si intra duodecim horas, aut aliquanto plus nullum levamen percipiatur omnino, sed omnia mala potius augeantur, tunc unicum auxilium superest, nempe, ut perforata calvaria detur exitus humoribus effusis. (§. 258. Not. (*b*).

(*a*) Licenciatus D. Joannes de Roda, et Bayas Maellensis antiquior Chirurgus Nosocomii Cæsaraugustani Urbis, et Orbis An. 1723. Tractatum edidit sub hoc titulo. *Cirugia racional, breve, segura y suave curacion de heridas de Cabeza, y Reformacion de los excesos, que se practican en la via comun*, in quo annoso Artis usu demonstravit Viam unitivam, et exsicantem, instrumentariæ viæ in vulnerum capiti sanatione, esse præferendam.

Vid. Quesnay De Trepano in casibus dubiis.

286 Quin, urgentibus symptomatibus (273. 275.), licet nullus locus certo inveniri queat (276), tamen trepanum applicandum, et ab una, et ab altera parte cranii in finem descriptum (277).

287 Invento loco (276. 283. 284. 285. 286.), abraso capillitio, inciduntur integumenta (259), separantur à cranio, elevantur labia, siccatur os, tegitur carptis linteis, sistitur cruor (218), lenitur dolor (227. 228. 229.), prohibetur inflammatio (235), et si non urget valde malum, rite facta deligatione in diem sequentem relinquitur apparatus.

288 Tum capite firmato, auribus obturatis, aere calefacto, deterso ossi terebra (*a*) cum stylo applicatur, æquabili, æqualiter, et modice acta, fronti supposita terebratione agitur, donec vestigium rite sit impressum.

289 Exempto tunc stylo pergitur, terebra lente adacta, scobe assiduo erasa, donec cruor erumpens, ossis mollities, mutatio soni diploen attactam doceant; quæ sæpe non præsens frustra exspectatur.

(*a*) Terebra qua ad hanc rem utuntur artifices cavum orbiculum refert. Celsus vocavit *Modiolum*, ferramentum concavum, teres, imis oris ferratum per quod medium clavus, ipse quoque interiore orbe cinctus demittitur. Instrumenta, ad operationem istam Neoterici perfecerunt, qui exacte consulendi.

290 Eloto tum cruore, et per alcohol calidum compresso, exempta accurate scobe, summa cum cautela, lente, patienter, uno alterove gyro tantum agendus modiolus, assiduo everrenda scobs, perpetuo inspiciendum, an color in circulo exarato mutetur, assiduo exploranda fundi æquabilitas, tum variata pressione terebræ, pro vario colore apparente, os solvitur eo usque, ut parum adhærescat, et æquabiliter.

291 Ubi color cærulescens; ejus per totum ambitum æqualitas, segmenti vacillatio docent, fere perforatum esse cranium, segmentum vecte, cochlea, vel cochleari eximendum.

292 Dein asperitas lateralis ossis radenda lenticulari cultello, scobs demenda, via paranda cruori, et sordibus exituris per sternutationem, animæ retentionem, et depressorium (*a*) prudentissime, et

(*a*) Aliquando non statim exeunt per foramen factum collecti humores. Tunc prudentes chirurgi lenissime deprimunt duram matrem instrumento, quod *Meningofilax* vocatur, ac si diceres membranæ custodem. Instrumentum istud obtussum talem apicem habet uti cultellus lenticularis, qui rotundo cylindro politissimo continuatur.

Num hic deservire poterit vesica vacua introducta, et insuflata postea ab Hippocrat. alias, et alibi proposita? Aph. 303. Not. (*a*).

raro, foramen implendum, tegendumque tenui, molli linteo imbuto medela membranis amica, et apta lamella plumbi ansata.

293 Curatur dein ut vulnus membranæ (185. ad 239.)

294 Ita enim intra 40. et 50. dies separati sunt margines ossei foraminis; quotidie enascitur caro cavum replens, quæ sensim durior, tandem calli ossei, cavati, vel eminentis formam adipiscitur: ubi debilitas, et dolor aliquis remanent.

295 Inflammatio, suppuratio, gangræna, fungus excrescens raro membranarum, et ipsius etiam corticis inprimis cerebri, tolluntur remediis, quæ his malis propria, tum applicatione antiphlogisticorum, detergentium, antisepticorum, filo, et lamella plumbea (292). Cæterum malignitas vulnerum capitis censetur. 1. loco in occipite, vertice, pariete, suturis, pessima. 2. symptomatibus; febris post septimam cum frigore, tremore, vulnere pallido, arido, livido, osse aspero, flavo, hemiplegia, convulsione. 3. ætate. 4. temperie. 5. tempestate anni. 6. malignitate impuri, putrisque aëris.

296 Si cruor, pus, sordes sub membrana latentes deprehenduntur post perforatum cranium, audacter incidenda, pertundendave erit membrana coercens.

APHOR. 247.

Ad contusa digerenda.

Valent, quæ attenuant, diluunt, à putredine servant.

1. Imponatur Unguentum hoc digerens plumaceolis exceptum.

R. Terebinthinæ unclas duas.
Vitelli ovorum numero unum.
Exacte mistis admisce
Unguenti Basilici uncias duas.
Aloes puræ drachmas quatuor.

2. Huic superponatur emplastrum hoc.

R. Gummi Galbani depurati, et dein cum
Ovi vitello subacti uncias quatuor.
Ceræ citrinæ uncias duas.
Olei Hyperici drachmas tres. Misce.

3. Tandem huic apparatui superadde hoc Fomentum pannis laneis calidis exceptum, expressum, digerens, antisepticum, quantum ferri potest calidissime applicatum.

R. Florum recentium Rutæ.
Scordii, singulorum manipulos duos.
Foliorum centauræ minoris.
Sambuci.
Rosarum ana uncias tres.

Cum aquæ decoctæ, et expressæ unciis triginta admisce.
Spiritus vini uncias quinque.
Saponis veneti drachmas duas.

APHOR. 252. NUM. 2.

R. Spiritus vini semel rectificati unciam unam.
Aquæ stillatæ rosarum unciam semis.
Mastiches pulverisati drachmas tres.
In Phiala alta coctum serva usui.

APHOR. 279.

Purgatio hic conducens.

Haustus aquam purgans, nec acriter tamen irritans, ad extravasatum in venas resorbendum.

* R. Scammonii Syriaci puri grana quatuordecim.
Spiritus Reginæ Hungariæ drachmas duas.
In mortario vitreo secundum Artem tritis et à fæce separatis admisce.
Syrupi Rosarum solutivi cum senna drachmas sex.
Fiat Haustus.

R. Radicis Jalappæ pulveratæ drachmam unam.

Sacchari puri drachmas duas.
In mortario vitreo diu tritis admisce sensim, et divisim
Aquæ pluviæ uncias tres.
Fiat emulsio secundum artem, cui dein affunde
Syrupi Rhei unciam semis.
Fiat Haustus.

APHOR. 281. NUM. 2.

Decoctum attenuans, diluens, aquosum, hic bonum.

R. Ligni Santali albi unciam semis.
Citrini unciam unam.
Sassafras unciam semis.
Foliorum Rutæ manipulum semis.
Agrimoniæ manipulum unum
Florum Sthœchados Arabici.
Lavendulæ singulorum drachmas duas.
Radicum Fœniculi.
Petroselini.
Rusci, singularum unciam unam.
Cum aquæ decoctæ vase clauso spatio quartæ partis horæ libris quatuor, exhibe.
Sumat uncias duas omni semihorio, sorbendo.

APHOR. 281. NUM. 3.
Vid. 247. num. 2. 3.

APHOR. 295.

De his Remediis singulatim in historia horum Morborum.

VULNERA THORACIS.

297 Vulnera Thoraci inflicta, nec in cava penetrantia, cognoscuntur adspetu, stylo, aëre nulla arte exiliente; injectæ tepidæ repulsu, corporis situ, ut ii accepto vulnere, eodem, signis certis adnati pulmonis ad illum locum pleuræ, quem transit ictus.

298 Si obliqua descendunt illa (297) supra, vel intra costas, sæpe dein pleura erosa in cava Thoracis pus deponunt, maxime, si puri ad externa egressuro via quacunque arte impeditur. Tumque Empyema fit, et inde multa mala.

299 Quare in curatione abstinendum ab omni turunda, emplasticis, comprimentibus; contra depurantibus, balsamicis, plumaceolis, levi ligatura utendum, et situ corporis apto.

300 In cava Pectoris adire scimus 1. considerata causa cum amplitudine vulneris. 2. Specillo corpori, in situm vul-

nerandi reposito, applicato. 3. Aëris in pulmonem inspiratu forti, dum clausum vulnus, mox naribus, et ore clausis nixu expirantis edito, tumque detecto subito vulnere, exspiratione, et sæpe sono ejus agitati in cavo pectoris. 4. Injectione. 5. Emphysemate quando aër thoracis cavo contentus; pertusi pulmonis actione assidue auctus; calefactus; rarescens; pressus inspiratu; exire impeditus libere ex vulnere; in labiis vulneris actus per membranam cellulosam; auctus; facit, ut sæpe totus homo, hinc inde ad 11. pollices, tumore pellucido, levi tumeat; solis plantis pedum, manuumque volis exceptis. Ac. Reg. Sc. 1713. hist. p. 15. 18. Item. 4. 14. et 119. 120. ubi empysema lethale à costis fractis illæsa cute. 6. cruoris spumosi exitu.

301 Effectus talis vulneris sæpe. 1. aëris ingressi pressio in pulmonem, respirationi hinc, et circulationi ineptum. 2. Effusus cruor in Thoracem, et accumulatus. 3. ejus extravasati, calefacti, moti, clausi undique putrefactio. 4. hinc pleuræ, pulmonum, mediastini, diaphragmatis, pericardii maceratio, erosio, corruptio, fœtor. 5. infiniti ex his oriundi morbi. 6. cruoris excreatio.

302 Effusi hic cruoris signa. 1. orthopnoea. 2. decubitus in dorsum commodior, in latus læsum difficilis, in sa-

num impossibilis. 3. sequelæ descriptæ (301) 4. pondus in Septo. 5. fluctuatio materiæ. 6. natura, et situs vulneris inflicti. 7. debilitas ingens, cum pallore, sudore frigido. 8. omnium fere symptomatum incrementum perpetuum.

303 Estque tum illico educendus. 1. situ, motu, nixuque corporis. 2. suctu per tubum flexilem, ad latera perforatum, obtusum ad finem. 3. injectu liquoris diluentis, resolventis, depurantis. 4. dilatatione vulneris. 5. alia apertura inter secundam et tertiam costam *spuriam* (*a*) inferiorem, ad distantiam quatuor digitorum à vertebris, et angulo inferiori omoplatæ, facta instrumento secante, sectione costis parallela, inter has media, deorsum directa acie.

(*a*) Paracentesis dum fieri debet in dextro latere thoracis inter tertiam, et quartam costam spuriam dum in sinistro inter secundam, et tertiam fiat ab inferioribus sursum numerando, distantia proportionata à vertebris, ne validi illi musculi sacro lumbalis, longissimus dorsi lædantur. Si operatio ista facta fuerit eo loco ubi pulmo pleuræ accrevit, pulmo à pleura divellendus vesica complicata per vulnus immisa, dein inflata ut illa flatu distenta in cavo pectoris avellat pulmonem à pleura, cui concreverat. Ita Hipp. lib. II. de Morb. cap. 23. Charter. tom. 7. pag. 575. Alibi de Vesica ista ad alia mala sananda dictum fuit. Aph. 292. et Inst. Med. §. 1227. n. 2. Not. (*a*).

304 Si nullis distenduntur turundis, raro deteguntur, aër arcetur, suctu artificioso, et nixu respirationis debito expellitur aër admissus, frigus caute vitatur, brevi et optime sanantur, si curabilia sunt.

305 Tumque præcaventur omnia illa, et sæva symptomata (*a*) (301).

APHOR. 303. NUM. 3.
Vid. 236.

VULNERA ABDOMINIS.

306 Abdominis vulnera non penetrantia in cavitatem noscuntur. 1. stylo, et situ. 2. injectu. 3. causa vulnerante cognita, et natura vulneris.

307 Si profunde fere usque ad peritonæum penetraverint, debilitatis ibi tegumentis, herniæ occasionem præbent in corpore robusto; Pejus nihil, quam, si oblique decurrentia inter integumenta abdominis fistulosa vulnera effecerint.

308 Quare sutura, ligaturaque his

(*a*) Ex his, quæ hucusque dicta sunt concludit van-Swieten. simulque patet historiam, et curam vulnerum thoracis magnam lucem affundere multis morbis pectoris, et viscerum contentorum uti postea in empiemate, pectoris hydrope . . patebit.

prospiciendum : in cæteris curatio communis vulnerum sufficit.

309 At eadem in cavitatem Abdominis ire liquet. 1. Stylo, et situ. 2. Injectu. 3. Causa vulnerante cognita, et natura vulneris. 4. egressu contentorum.

310 Si tum omnia Symptomata levia, dolor, febris, inflammatio absunt, posito in vulnus ægro cruor non exit, injectus liquor immutatus redit, interiora illæsa scimus.

311 Illico arcendus aer, ingressus suctu, et exspirationis nixu excludendus; gastroraphia (*a*) consuenda integumenta, turundæ auferendæ; balsami illitu, decubitu in vulnus, quiete corporis, victu leni, humido, parco, rara deligatione percurabitur.

312 Si acutus dolor, febris, inflammationis signa, cruor, ichor, potus, cibus, chylus; bilis, pus, urina, stercus, fœtor, ex vulnere exeuntia, causa vulnerans, situs, et natura vulneris, pallor, sudor frigidus, inquietudo, animi deliquia, pulsus defectus, præsentia considerantur, docebunt, læsa vasa, et viscera abdominalia, et quæ.

(*a*) An explodenda etiam sutura ista, et intestinorum, de qua mox (Aph. 314.) sicut cetèræ omnes, ut jam dictum? Si unquam exequenda est consulendus Cursus Operationum Chirurgiæ à Velasco, et Valverde nupèr editus Matriti Ann. 1780. Tom. I. pag. 68.

313 Tum infinita mala sequuntur, partim 1. à natura viscerum, tenui vasculosa, non musculosa, difficillimæ circulationis, nec nisi clauso abdomine absolvendæ. 2. à functione læsa visceris. 3. ab effusi cruoris copia, corruptione. 4. ab aeris ingressi, rarefacti, prementis actione.

314 Unde lethalia sæpe sunt. At intestina læsa, et pertractationi oblata, consuenda, si magnis; sibi linquenda, si parvis vulneribus læsa sunt, et reliqua peragenda, ut (311) dictum est.

315 Si per latum vulnus illæsum intestinum exit, fovetur animalibus vivis dissectis applicatis, vel fomento idoneo; reponatur; fiant reliqua, ut (311).

316 Si per parvum exeuns foramen, tumens flatu, inflammatu, fæce, reduci non possit; fotu, punctu, dilatatu vulneris reponitur.

317 Si vulnere, suppuratione, gangræna, fistulæ intestinalis pars ablata est, pars superior se offerens, vel prudenter adducta, assuenda foramini (*a*) vulneris.

318 Si omentum exierit, et humidum, calidum, rutilo sanguine rubescens adhuc est, reponendum, ut (316).

(*a*) Aliqui extrema fistulæ consuunt, et reponunt: sed præstat anus iste artificialis tota vita manens. Fœda res, sed mors horridior!

319 Si siccum, frigidum, lividum, ligatura, sectione, fotu, curatum reponendum est.

320 Missio sanguinis largior, clysmata in initio injecta si crassa illæsa, diæta (*a*), blanda respiratio, quies, situs, palmaria hic remedia.

APHOR. 315.

Fomentum idoneum, sive fotus Antisepticus, calorem vitalem resuscitans, intestino per vulnus Abdominis egresso conveniens.

Intestina pura Animalis junioris, quod sufficiat.

Coque in aquæ quantitate sufficienti spatio decimæ sextæ partis horæ, dein adde

Florum Chamæmeli.
Lavendulæ.
Centauræ, singulorum manipulum semis.

Foliorum Menthæ manipulum unum.

Stent in infusione per decimam sextam partem horæ; tum decoctum inserviat pro fomento cum pannis applicando.

(*a*) Lac hic vitatur, quia nimiam copiam crassarum fœcum relinquit, uti patet in Infantibus, qui solo materno lacte licet utantur, tamen duras, tenacesque admodum fœces sæpe alvo deponunt.

Extemporaneum.

Sit lac recens, tepidum.

APHOR. 319.

Fotus.

Vid. 315.

APHOR. 320.

Clysma lenissime stimulans in vulneribus Abdominis.

R. Mellis communis uncias tres.
Salis Marini drachmam unam.
Aquæ decoctæ Hordei uncias septem.
Misce. Fiat Clyster.

Mane, et vesperi, primis tribus à vulneris inflictu diebus, injiciendus.

Diæta sit ex solo jure carnium cum pauxillo salis.

CONTUSA.

321 Si durum, obtusum corpus motu, resistentia, morsu vel pressu, multa vascula simul confregit, læsio hæc Contusio vocatur.

322 Cujus idea, accumulatio vulnusculorum cum attritu solidorum, et vasculorum.

323 Effectus ergo, solutio continui lacerans, destructio plurium conterens,

effusio liquoris in inania vicina, vel facta, et infinita mala, quæ ex his sequi possunt. Contusis, fractisque costis emphysema lethale! Mem. Acad. Reg. Sc. 1713. 119.

324 Pessimum vero ex his (323), si integumentis cohærentibus, interiora sic affecta (321. 322. 323.), ut liquida stagnent, coeant, putrescant, unde ecchymosis, aneurisma spurium, sugillatio (*a*), ulcus, gangræna, caries, in glandulis scirrhus, cancer.

325 Lædit sæpe ossa, tumque sequuntur descripta (249. 250. 251. 254. 256. 257.), et medullæ læsio, unde ulcera, fistulæ, caries, putredines; habet se enim medulla in ossibus, ut Cerebrum in cranio (273. 274.)

326 Tum aliquando musculos, unde validæ suppurationes, gangrænæ, paralyses, contracturæ. Si autem magnos nervos, qui multos emittunt ramos, corrumpit contusio, tum paralysis, atrophia, insensilitas, atque certa fiet, nec curabilis ulla arte, gangræna inferiorum, quæ inprimis vera de spina dorsi, ejusque contenta medulla.

327 Imo sæpe ipsa viscera corrum-

(*a*) Hæc dicitur macula post suctum partis cujusdam relicta. Difert ab ecchymosi, quod in ista ruptio vasorum adest.

pit; tumque horum inflammatio, suppuratio, gangræna, scirrhus, functio læsa.

328 Ex quibus (322. 323. 324. 325. 326. 327.) facilis est explicatio tot mirabilium, et miserabilium malorum, quæ ex contusione (321) sequi solent, prædici possunt, tam Acuta, quam Chronica, certe infinita.

329 Cognoscitur præsens, simulque detegitur affecta pars 1. conspectu, tactuque 2. Effectu doloris, stuporis, gravitatis, coloris mutati in rubrum, fuscum, plumbeum, nigrum, flavum, viridem, hæmorragiæ, gangrænæ, (323. 324. 325. 326. 327.) 3. Comparatione causæ motæ, et figuratæ, cum parte læsa.

330 Et bene scitur 1. internam, magnam nobilium viscerum contusionem curatu impossibilem, morborum causam, et mortis esse. 2. ossium valde periculosam, curatu difficilem, imprimis circa juncturas, et medullam. 3. Cranii pessimam, ut historia præmissa docuit, ob viciniam Cerebri. 4. Glandularum majorum, ad aures, axillas, mammas, pancreas, inguina, uterum, minitari scirrhos, cancros (*a*); et mala inde sequentia.

331 In curatione contusi semper ten-

(*a*) Ex decem casibus scirrhus mammarum, et cancer novies forte à contusione oriuntur.

tanda resolutio, cavenda suppuratio, magis vero gangræna.

332 Resolutio fit, dum extravasatum aufertur (*a*) sine ulteriori vasorum læsione.

333 Id autem contingit 1. id reddendo fluidum. 2. laxando vasa vicina. 3. agendo fluidum in vasa, ea evacuando, vel fricando.

334 Hinc larga missio sanguinis; mox data purgatio fortis, nec inflammans; fomentum penetrans, laxans, resolvens parti impositum; frictio calida ad partem; interna resolventia, sudorifera, diuretica prosunt.

335 Quorum ordo, repetendi necessitas, magnitudo requisita noscuntur ex (334), et summo periculo.

336 Simul victus tenuissimus, minimeque putrescens requiritur.

337 Si vero ob magnitudinem resolvi non potest, et manibus accessus datur, scarificatio, apertura, suppuratio succedunt, simul actis, quæ dicta (334). Si magnitudine mali pars jam mortua integre, aut et talis, ut inde certo prævideantur dolores intolerabiles, inflammationes, suppurationes, atrophiæ, febres,

(*a*) Hoc est illud, quod Hippocrates vocavit *exsiccare, et resolvere effusum sanguinem.* Lib. de Artic. Text. 66.

mors, extirpanda (*a*), si fieri potest (464. ad 475.)

338 Plura tamen methodus dicta (331. 332. 333. 334. 335.) præstat, quam credi fere possit, quum natura (*b*) egregie separet sponte, attenuet, solvat, dissipet, et expellat.

APHOR. 334.

Purgatio fortis, nec inflammans.

R. Agarici drachmas duas, et semis.
Salis polychresti scrupulum unum.
Misce. Fiat Pulvis.

R. Ebuli, vel sambuci corticis medii, recentis unciam unam.
Conterendo cum Aqua pluviæ, dein parum coquendo, tandem exprimendo
Fiat Haustus unciarum quatuor.

R. Jalappæ preparatæ ut Aph. 279.
R. Jalappæ radicis pulveratæ drachmam unam, et semis.
R. Mechoacanæ radicis pulveratæ drachmas duas.

(*a*) In desperatissimis casibus intrepidus animus una cum summa peritia, et dexteritate multum valent.

(*b*) Hic à Van-Swietenio varii casus mirabiles proponuntur. Alii similes in aliis Auctoribus videndi.

℞. Soldanellæ recentis foliorum uncias duas.

℞. Agarici drachmas duas
Foliorum sennæ drachmas tres.
Radicis Mechoacanæ drachmam unam.
Tamarindorum uncias duas.

Conscissa, et contusa macera in aqua pluviæ spatio secundæ partis horæ, dein ebulliant leniter spatio octavæ partis horæ, tum Decocti percolati unciis novem admisce
Salis prunellæ unciam semis.
Syrupi Rosarum solutivarum cum Senna drachmas novem.

Capiat unciam unam omni semihora, donec purgetur satis fortiter.

Minori forma idem efficere.

*. ℞. Scammonii Syriaci grana tredecim.
Stibii Diaphoretici grana viginti.
Syrupi Rosarum solutivarum cum senna drachmas sex.

Exacte contritis admisce
Aquæ stillatæ cichorei unciam semis.
Fiat Haustus.

Fomentum ad contusa laxans, penetrans, resolvens.

℞. Radicis Bryoniæ albæ uncias duas.
Aristolochiæ rotundæ unciam.

Foliorum rutæ recentium
Sabinæ, singulorum manipulum unum.
Florum Tanaceti
Chamæmeli
Matricariæ singulorum unciam unam.
Ceparum recentium uncias sex.

Cum aqua, vase clauso, in gradu caloris fere ebullientis digere per horæ dimidium, dein uno momento ebulliant, tum succi per pannum fortiter expressi unciis viginti quinque admisce
Farinæ lini unciam semis.

Ebulliant denuo parum; tum toti decocto frigefacto admisce.
Spiritus vini Theriacalis uncias duas
Salis Ammoniaci unciam unam.

Applicetur pannis laneis.

Cataplasma ad contusa simile.

R. Ingredientia eadem.
Præpara in cataplasma.
Sub finem admisce
Farinæ lini quod suficiat.
Galbani in vitello ovi soluti unciam unam.
Olei chamemeli unciam unam, et semis.

Emplastrum ad eadem.

R. Radicis Bryoniæ in farinam redactæ uncias duas.

Florum Sulphuris unciam unam.
Mercurii nigri drachmas tres.
Galbani puri, et secundum Artem soluti uncias quatuor.
Emplastri de Meliloto uncias novem.
Olei chamæmeli, quod suficiat,
Ut fiat Emplastrum.

Bona hic.

Emplastra de Galbano, seu Ceratum Matricale, vel Antidotum correctius Gandavense.

Baccis Lauri Mesuæ.
Betonicæ.
Cumino.
Cephalicum.
Diachylonis cum gummis.
Emplastrum Diaphoreticum.
Ischiadicum.
De Meliloto.
Mucilaginibus.
Oxycroceum.
De Ranis
cum Mercurio.

Resolventia interna.

Vid. in Aphor. 54. Num. 4.

Eo referri possunt.

Rhabarbarum.
Sperma ceti.

Gummi lacca.
Myrrha.
Radix Asclepiadis.

Sudorifera sunt.

1. Diluentia calida epota Aph. 54. n. 4.
2. Resolventia interna Aph. 54. n. 4.
3. Stimulantia. Aph. 75. n. 5.
4. Laxantia. Aph. 35. num. 3.
5. Calor externus humidus ad cutim determinatus.

Diuretica sunt.

1. Diluentia frigida, et tepida, epota Aphor. 54. n. 4.
2. Resolventia interna. Aph. 54. n. 4.
3. Stimulantia imprimis salina, saponacea. Aphor. 75. n. 5.
4. Laxantia. Aphor. 35. n. 3. imprimis Fotu, Clysmate, renibus applicata.
5. Calor renibus, hypogastrio, perinæo applicatus; frigore vero reliquo corpori simul dato, paulo magis solito.

APHOR. 336.

Vid. 88. num. 1. et 35. num. 1.

OSSA FRACTA.

339 Si unius Ossis partes vi à cohæsione solvuntur in magna fragmenta Fractura dicitur.

340 Quæ si sola, et una, *simplex*; ubi multiplex, *composita*; si stipata vulnere, contusione, inflammatione, ulcere, pluribus fracturis, *complicata* vocatur.

341 Quin etiam pro vario situ fracturæ transversa, obliqua, longitudinalis audit; et ratione fragmentorum sibi innitentium, aut juxta latera sibi mutuo applicatorum, vel eminente spina emergentium, varia nomina, naturam, medelam accipit.

342 Effectus ejus varii, pro varia indole ossis fracti, pro modo fracturæ vario, pro varietate fragmentorum quoad situm, figuram, numerum, magnitudinem, pro varietate denique loci (*a*), in quo, vicinorum, circa quæ, fit.

(*a*) Ossa majora in medio densissima sunt, circa junctura secedentibus lamellis osseis cellulosam substantiam habent: si ergo circa junctura os frangatur non poterit hoc fieri sine destructione cellulosæ illius fabricæ, unde plurima mala ab humoribus extravasatis, et corruptis nasci poterunt.

343 Primarii ergo sunt destructio mueris fulciendi, sustinendi musculos, et dirigendi eosdem : musculorum contractio, membri accurtatio, musculorum ex debito loco deturbatio, membri intorsio, ejusdem deformatio ; periostei externi, vasculorum cellulas occupantium, periostei interni, membranæ medullosæ, medullæ ipsius laceratio, contusio, corruptio ; luxuries vasculorum osseorum, unde calli inæqualitas, tumor, membrique deformatio, membranarum, tendinum, nervorum distractio, laceratio, irritatio, compressio, convulsio ; (*a*) Vasorum vicinorum mutatio, destructio, obstructio, inflammatio, dolor, ecchymosis, marcor, suppuratio, gangræna, mors partis, et sæpe totius ; contusio fere semper.

344 Quæ expensa (342. 343.) præsens malum, ejusque statum docent, si tactus fragmenta ; auris crepitationem;

(*a*) A membranis, tendinibus, vel nervis læsis, aut irritatis tristes aliquando sequuntur calamitates. Hi casus minime à Profesore christiano fugiendi ; sed monitis ægro, et asistentibus super ambiguitate ista, res agredienda est. Hippocrates hac super re non bene monet Medicos, ut, si sine ignominia possint, fugiant tales casus, quibus *si non reponantur ossa Medicus videtur arte destitui, si reponantur homini magis ad interitum, quam ad salutem est.* Lib. de Fracturis. Text. 50.

oculus læsam figuram, immobilitatem; intellectus causam, ejus impetum, modum impulsus, senii decrepiti, temperiei morbosæ, hybernique frigoris efficaciam simul consideraverit, clarior est diagnosis.

345 Verum oblongæ fracturæ difficilior detectio, nisi sero: dolor, tumor, crassities partis, inæqualitas, pus fœdum, causa fortis cognita aliquid luminis dabunt.

346 Facilem, difficilem, tardam, celerem, integram, vel deficientem fore curationem prædicit figura, simplicitas, compositio, duratio fracturæ, numerus, figura, magnitudo fragmentorum; locus ossis læsi; vicina læsa; tempus anni; ætas ægri, et temperies (*a*).

347 Sanatio requirit:

(*a*) In lue venerea, scorbuto, rachitide, phthisi . . vix curantur fracturæ. Observatione dignum est, in gravidis difficilime fieri ossium fractorum consolidationem. Natura in istis tota in formando, et perficiendo fœtu occupata, calli generationem quasi negligit. Hæc Van-Swiet. Hodierna chemia invenit, lac fœminæ gravidæ, quo proximior est partus fosfate calcareo redundare, et quo grandior puerulus lactens plus privari. Hinc sequitur ossa gravidæ aliquatenus destitui fosfate isto, quod est basis esentialis soliditatis ossium, ob cujus deffectum, si rumpuntur vix consolidari possunt. Annal. de Chimie Tom. XVIII. pag. 135.

1. Restitutionem in situm naturalem, extendendo, reponendo.

2. Retentionem in eo situ per fascias, et machinas.

3. Unitorum, retentorumque consolidationem, enato callo.

348 Si fracta situm proprium retinent prima indicatio cessat.

Si parum divergunt in latera, requiritur extensio parva.

Si omnino juxta mutua latera pertracta sunt, requiritur ingens extensio, ut intercepta removeantur, et ut debita longitudo, et adaptatio fiant.

349 Extensio fit. 1. apprehenso osse prope fracturam manu, vel laqueis. 2. firmato ægro. 3. disposita parte in situ naturali. 4. distractione lenta, recta, partium fractarum ea vi, eousque, prout vis contractorum musculorum requirit. 5. vi et applicatu instrumentorum mechanicorum, si robur manus deficit.

350 Quæ (348. 349.) quum sine vi, et dolore sæpe vix fieri queant, ubi partes jam inflammatæ, sæpe omitti (*a*) debent,

(*a*) Maxima hìc requiritur perspicacia, atque prudentia. Inflammatio præcavenda festinando, primo, vel secundo die reductione facta, aliisve mediis. Considerandum etiam num simptomata à luxatione partium pendeant: tuncque reductio sola prodest.

donec sedata inflammatio. Aliter convulsi moriuntur, vel gangræna correpti.

351 Si fragmenta libera, eximenda, si facile fieri queat. Si acumina eminentia extensionem plane prohibent, et patent, exscindenda; si latent, incisione detegenda prius. Si fractura composita valde, et complicata, inprimis cum ingenti simul contusione, ossium contritu, vasorum magnorum destructione, requiriritur illico, si nihil vetat, extirpatio.

352 Restitutio fit partem rite extensam (349), et paratam (351), caute, lente, leniter ita intorquendo, donec os ossi debito in loco occurrat, musculi vero revulsi suo in situ sint repositi, nihilque intercipiatur.

353 Id notescit ex anatomicis, comparatione partis sanæ, dolore sublato, longitudine, et figura naturali reddita.

354 Retentio in situ fit fasciis, spleniis, ferulis, canalibus quietem conciliando, tum impediendo, et dirigendo actionem musculorum.

355 Fasciæ adstrictæ tumorem, suffocationem, gangrænam producunt; unde infinita mala: ergo leviter atrahendæ, ut firmare, et vascula leniter compescere queant.

356 Si vulnera adsunt, curanda ex arte, (185 ad 239) sed rara deligatione. Idem de inflammatione, dolore, tumore,

et reliquis symptomatibus intelligendum.

357 Tum fit concretio, callusque, citior, tardior pro ætate, ossis crassitie, pondere incubituro, vario tempore, intra 20, et 70 dies.

LUXATA.

358 Luxatio est recessus extremi ossis mobilis ex cavo, in quo naturaliter movetur, cum motus impedimento.

359 Qui integer, vel pro parte; unde luxatio, et distorsio.

360 Pessima, quæ epiphysi ab corpore ossis soluta accidit.

361 Causa vis externa extendens, intorquens, expellens.

362 Aut interna (*a*), cavo innata, extrudens.

363 Hæ causæ (361. 362.) juvantur

(*a*) Glandulæ haversianæ mucum secernunt instar albuminis ovi, saporis salsi, qui cum oleo meduloso, et materia perspirante lubricum illud linimentum conficiunt, in articulorum cavis repertum, quod calore, et attritu ossium ad se mutuo attenuatum iterum resorbetur. Si id non fiat acumulatur, ligamentarem capsulam distendit, debilitat, unde facilis prolapsus ossis articulati ex suo cavo ab hac causa nascitur. Petitus ingenue fatetur se didicisse propriis erroribus frequenter satis fieri ab hac causa luxationes.

extensis, laxatis, ruptis ligamentis, sive id ab externa, sive ab interna causa.

364 Hinc figuræ in parte mutatio, tumor, cavitas, elongatio, accurtatio membri, immobilitas, distractio musculorum, torpor subjacentium, paralysis, vasorum vicinorum compressio, dolor, pervigilium, inflammatio, œdema, ancylosis, convulsio, marcor, mors partis, vel et totius.

365 Ex quibus notis signa evidentia habentur luxationis.

366 Et expensis magnitudine, figura, situ, parte pressa, et intercepta, tempore durationis, concretione luxatorum, dolore, inflammatione, convulsione, et reliquis symptomatibus, partibus ambientibus tenuioribus, crassioribus, ligamentis destructis, vel modo elongatis, musculis annexis, et similibus, prognosis habetur, quæ doceat, an integra, an deficiens, celeris, tarda, facilis, vel difficilis futura sit sanatio.

367 Ad quam requiritur 1. luxatorum redaptatio. 2. repositorum in suo loco ad sanationis finem retentio.

368 Repositio fit 1. firmando corpus ægri. 2. movendo partem, ut directe respondeat suæ cavitati. 3. introducendo per intorsionem, trusionem, pulsationem (*a*).

(*a*) Hæc omnia suaviter, non violentèr exe-

369 Reposita in loco retinentur quiete, fasciis, situ partis naturali.

INFLAMMATIO. (a)

370 Inflammatio, Ignis, Phlegmone, ob causæ, et effectuum similitudinem, ab igne nomen habet.

quenda. Intelligentia, et dexteritas excelentium Chirurgorum prævalet manibus, et oculis Artificum tali nomine indignorum.

(a) Clasis III. Sauvagesii Phlegmasias, sive Inflammationes includit. Tres Ordines ipsa comprehendit.

I. *Exantematicas*, quarum IX. sunt genera. Talia sunt: Pestis, Variolæ, Rubeolæ, Miliares, Purpura, Erisipelas, Scarlatina, Essera, Aphtæ.

II. *Membranaceas*, quarum VIII. sunt genera. Talia sunt Phrenitis, Paraphrenesis, Pleuritis, Gastritis, Enteritis, Epiploitis, Metritis, Cistitis.

III. *Parenquimatosas*, quarum VIII. sunt genera. Talia sunt: Cephalitis, Cynanche, Carditis, Peripneumonia, Hepatitis, Splenitis, Nephritis.

Clasis I. Ordo II. Cullenii Inflammationes, seu Phlegmasias comprehendit. Ordo iste morbos acutos febriles Boerhaavii, Febres inflammatorias Hoffmanni, et Phlegmasias membranosas, et parenquimatosas Sauvagesianas includit. Nihilominus ei displicet divisio istarum . . . quia difficile distingui possunt inflammatio visceris,

371 Estque sanguinis rubri arteriosi(*a*) in minimis canalibus stagnantis pressio, et attritus à motu reliqui sanguinis moti, et per febrim fortius acti.

372 Quod ergo fieri potest vel in finibus arteriosis, vel in vasis serosis lymphaticis, aliisve minoribus, arteriosis, dilatatis osculis admissos globos rubros, aut alia fluidi elementa crassa, per fines transmittere non potentibus(*b*). Si sanguis trans-

atque membranæ ipsum ambientis. Sic Metritis, quæ est inflammatio uteri membranosa juxta Sauvagesium, parenquimatosa est juxta Linneum, et Sagarium. Hepatitis etiam potest esse vel membranosa, vel parenquimatosa.

Generibus Sauvagesii adduntur à Cullenio Ophthalmia : Reumatismus : Odontalgia : Podagra : Arthropuosis, quæ ad Clasem suam VII. (DOLORES) ille reducit.

Species suis locis proponentur.

(*a*) Traditur hic deffinitio inflammationis rubræ. De aliis postea §. 379. et 380. Illam notabilem febris semper commitatur : si levis, et particularis sit ibi pulsus robur, et celeritas augentur, tuncque febris quasi partis ipsius est. Fixi dolores intestinorum, et ventriculi ab inflammatione aliquando producuntur, licet nulla febris observetur, pulsu explorato, quod maxime notandum. Galenus inter alias inflammationum differentias ponit, quod sit humida vel sicca : illa, quæ ex calida fluxione, ista quando sine ulla fluxione connatus calor accenditur.

(*b*) §. 245. et 246. Institut. Medicar. Aph. 118.

funditur in eas venas, quæ spiritibus accommodatæ, inflammationem excitat. Cels. 5.

373 Ergo ejus sedes omnis pars corporis, in qua reticulares arteriarum distributiones, vel Lymphaticorum arteriosorum ortus.

374 Hinc Arteriæ ipsæ, venæ, nervi; membranæ, musculi, glandulæ, ossa, cartilagines, tendines, viscera omnia, adeoque totum fere corpus, sed nusquam frequentius, et tenacius, quam in adipe (*a*).

ad 122. et hìc proponitur Systema Boerhaavii circa vasorum succesivam seriem, obstructionem in illis, et inflammationes inde natas. Ista omnia magno ingenii acumine Boerhaavii concinnata esse Albertus Hallerus pronunciavit. Iste tamen eximius Vir candore imitatione digno de non jurando in verba Magistri aliqua adversus omnia ista proposuit, quæ cum angustiam notulæ prætergrederentur apud ipsum eundem merito videnda in Prælect. ad Boerh. Tom. II. num. 245. not. C. De partium corporis humani præcipuarum fabrica, et functionibus lib. 2. sect. 1. §. 31. Unice hic dicendum virum istum ad stimulum aliquod, ad venarum clausuram, pro inflammationis causa stabilienda confugere, sive *omnino* (ita rem concludit), *hujus mali natura nondum penitus innotuit.* Omnito Cathalogum Auctorum utrinque sentientium apud Hallerum, aliosque videndum.

(*a*) Tunica cellulosa dicta omnes musculos, tendines, eorum fibras . . penetrat, investit. Vasa

375 Hanc Stagnationem (371) efficit in arteriis minimis 1. quidquid premendo, distrahendo, intorquendo, rumpendo, contundendo, urendo, erodendo, crispando, vasorum fines ita arctat in conicis, cylindricisve (*a*), ut diameter aperturæ fiat diametro sphæræ sanguinis minor. Calor, motus vehemens, infixa, ligaturæ, pondera incumbentia, acria ingesta vel applicata, frigus acre, frictio nimia, omnes causæ vulnerum, contusionum, erosionum, fracturarum, luxationum, obstructionum, huc pertinent.

376 Eandem producit 2. quidquid meatus obturat, acriaque applicat simul, sive

fere omnia in ea decurrunt. Hæc tunica *pinguedinosa* aut *adiposa* vocatur etiam. Arteriæ per hanc membranam dispersæ pingue oleum vel simile unctuosum smegma secernunt, quibus ruptis ipsa rubra sanguinis pars transsudat quasi, et acumulatur in hujus cellulis : unde tumor ruber, et durus veram Phlegmonem comitans oriri videtur, qui fere semper tantum in hac tunica cellulosa obstinatè hæret.

(*a*) Circa illum locum ubi angustissima jam facta arteria venullæ minimæ continuatur per aliquam saltem longitudinem videtur canalis cylindricus esse cujus latera nec convergunt, nec divergunt.

Inter causas hujus stagnationis, seu inflammationis acria ingesta, vel applicata proponuntur, ad quæ fere unica cel. Auctores recurrunt.

intus, sive extus; ut oleosa (*a*) salina, acria.

377 3. Omnia, quæ sanguinem cogunt, ut coeat; motus nimius, derivatio tenuioris partis ex sanguine per sudores, urinas, salivas, diarrhoeas; coagulantia.

378 Efficiunt eam in vasis lymphaticis arteriosis 1. omnes causæ, quæ initia horum latiora ampliant, ita ut in ea intrent partes sanguinis crassiores, quæ propulsæ ulterius occurrunt angustiis conniventibus, ubi tum patiuntur eadem, quæ exposita (377); talis est laxitas vasculi in suo principio, motus violentus liquidi arteriosi. 2. omnes causæ alteri inflammationi communes (375. 376).

379 Unde et similis morbus in omni vase conico, ubi fluit ex lato in angusta liquor, obtinere potest; ut enim in sanguine rubra, sic in Lympha alia est forte pars crassior reliquis.

380 Ex quibus vera diversitas phleg-

(*a*) Aliquibus post applicationem pinguis unguenti statim cutis inflammatur. Aliqui à lardo assumpto febricitant. Si oleosis corporibus acrimonia simul insit, pertinacissimæ inde inflammationes nasci poterunt. Cavendæ igitur horum pinguium acrium inunctiones, multo magis intus susceptiones.

mones, erysipelatis, oedematis, scirrhi, cum inflammatione liquet.

381 Quoties autem causæ hæ (375. 376. 377. 378. 379.) produxere stagnationem hanc (371. 372. 379.) in vasis (372. 373. 374. 378. 379.), tum vis acti sanguinis à vita superstite producit effectus quosdam, qui simul signa Inflammationis.

382 1. Arteriæ minutæ vixque visibiles obstructæ jam à sanguine distendente augentur: inde tumor ruber. 2. vasa Lymphatica arteriosa, ante pellucida, et invisibilia, eadem patiuntur; inde augmentum rubedinis præcipue, dum vasa tenerrima, et vesiculæ, in panniculo adiposo, plena sanguine intruso, crasso, liquidiore parte orbato. 3. distenta vascula rupturæ propinquant in fibris minimis; inde dolor punctorius. 4. compinguntur valde liquida et solida; hinc durities, renixusque partis. 5. à rubro accumulato, et valido impulsu, rubedo splendens. 6. à renixu, pulsu, compactu, vasorumque adhuc meabilium angustatione à tumore obstructorum, attritus fit ingens partium liquidi inter se, in solidum, solidi in illas; inde calor, et æstus. 7. et quia pulsi à corde sanguinis impetus exceptus finibus vasis obstructi latera dilatat, fit Pulsatio. 8. à fibris irritatis, et sanguine celerius per aperta acto,

quia venis revehitur, sed arteriis in multis prohibetur, acceleratur Pulsus; fit febris, sitis, calor (*a*), vigiliæ, debilitas, molestia.

383 Hæc species (382) est morbi nondum adulti.

384 Tum cruor emissus pleno saltu ex vena late aperta pelvi exceptus, frigescens format albam, duram, crassam, rigidam pellem (*b*) instar corii fere porcini.

385 Increscente malo, eadem adhuc (382. 383. 384.), sed aucta; separatur expressa lympha, densatur sanguis ruber.

386 Si humor fluens blandus, motus ejus sedatus, causa obstruens non nimis solidata, obstructio parva, eaque inprimis in arteriis, vel in initiis lymphaticorum, canales mobiles, diluens vehiculum, reducto fluore concreti, motu stagnantis, solvitur inflammatio *resolvendo.*

387 Si humor fluens blandus, motus citatus, obstructio magna, nec resolvi (386) potens, auctis symptomatibus (382. 384. 385.), vascula distenta rupta cum

(*a*) Hunc ab attritu derivat Boerhaav. et Van-Swiet. Hodierna chemia hic utiliter consulenda.

(*b*) Obscura est origo hujus pellis in sanguine vena educto. ¿An serum sanguinis concretum? ¿An chylus crudus? Præstat ad observationes converti.

dolore, calore, pulsu, tumore, liquores suos effundunt, solvunt, putrefaciunt leviter, solida tenera atterunt, solvunt, fluidis miscent in unum similem album, spissum, glutinosum, pinguem humorem, Pus (*a*) dictum; hæc *Suppuratio*, alter modus, quó terminatur inflammatio.

388 Si humor acer, valde motus, obstructio magna, vasa rigida, omnia symptomata (382. 386. 387.) magna, tum vascula subito rumpuntur, liquida putrescunt; ichor effusus sub epidermide in bullas colligitur instar loturæ carnis, vel saniei flavæ, cineritius, pallidus, fuscus, ater fit color; rubor, dolor, calor, pulsatio, tumor in loco affecto desinit, in vicinis obtinet; fit mors partis affectæ: vocatur *Gangræna*; tertius modus, quo exit inflammatio.

389 Ubi sic affecto (388) loco compressio externa accidit, vel calor ingens humida dissipat, pars mortua instar arefacti corii durescit, inferiora suffocat, et corrumpit.

390 Frigida (*b*) actu vel potentia, ads-

(*a*) Notandum quod puris confectio distinctissima sit à spontanea degeneratione humorum in putredinem; illa enim vincente natura, ista devicta ea accidit.

(*b*) Aliquando in morbo recenti, et miti frigida applicata prossunt, si per errorem loci hu-

tringentia, coagulantia, repellentia, pinguia acria, emplastica, narcotica, ligaturæ fortes, compressio externa, hanc mutationem inflammationis in gangrænam (388) cito promovent.

391 Tumque in Sphæcelum augent.

392 Si pars inflammata glandulosa, calor internus externusve magnus, materies impacta inertior, crassior, emunctoria obstructa glandularum, folliculi vero harum, et latera distenta, fit tumor durus, indolens, glandulæ: vocatur *Scirrhus*; quartus finis abeuntis inflammationis.

393 Causa, pars affecta, magnitudo, profunditas, velocitas, natura ægri, symptomata inflammationis, collata cum signis, effectibusque, prognosin absolvunt.

394 Perspicuum quoque pro vario statu mali varias esse curaturo indicationes.

395 Si enim aliqua causarum (375. 376. 377. 378. 379.) in parte quacunque (*a*) (372. 373. 374. 379.) inflammatic-

mores crassiores minora vasa ingressi, contractis frigore vasis retropellerentur in majores ramos; præcipue si vitium illud in tenuioribus fluidis hæreret. Sanguinis enim rubra pars statim coagulatur in aqua frigida; serum, et tenuior lympha non ita, ex Van-Swiet. Ophthalmiæ leves in initio sic quandoque sanantur. Cauta tamen sit frigidorum locis inflammatis applicatio.

(*a*) Quæ hic proponuntur magnum usum habebunt in curatione pleuritidis, anginæ, et si-

nem (371) produxit, ut adsint symptomata (383. 384), et conditiones primæ (386), oriuntur hæ indicationes:

1. Impedire ulteriorem vasculorum læsionem.

2. Eam, quæ jam facta, tollere.

3. Materiæ obstruenti fluiditatem, lenitatemque conciliare, conservare.

4. Vel, si id obtineri non potest, retropulsam in vasa majora agere.

396 Læsio ulterior impeditur:

1. Causas (375. 376. 377. 378. 379.) notas tollendo, corrigendo.

2. Impetum arteriosi sanguinis minuendo, per eductionem sanguinis, purgationem alvi.

3. Copiam liquorum minuendo per eadem.

4. Revellendo impetum sanguinis in partes alias, suctu, frictu, epispasticis (*a*),

milium morborum, hinc singula acurate considerandæ erunt.

(*a*) In variolis dum à primo morbi insultu crura, et pedes fovebantur mollissimis decoctis, et applicabantur Epispastica pedum plantis; sæpius vidi densissimo agmine variolas inferiora corporis occupasse, in facie autem, et artubus superioribus paucissimas tantum erupisse. Hæc Van-Swiet. hic. Joan Fredericus Closius in *Nova Variolis medendi methodo* id vesicatoriis ab ipso morbi initio applicatis in omni variola, id consequi aseverat, atque demonstrare nititur.

vesicantibus, fomentis, balneis, fonticulis, setaceis, forti alvi subductione.

5. Aëre subfrigido, sicco; affectibus animi nullis, vel sedatis; quiete naturali, vel artificiali (*a*), victu tenui, liquido, antiphlogistico, potu simili; medicamentis diluentibus, et refrigerantibus simul.

6. Sedando impetum in ipso loco, applicatis refrigerantibus, repellentibus, adstringentibus externe, admistis anodynis, tum aperientibus, varia, pro re nata, mistura.

397 Læsio facta tollitur usu eorundem (396): nam distractione nimia laxata, propria fibræ vis priscam formam restituet, et nutritio vires reddet.

398 Materiæ obstruenti conciliatur fluiditas, si illa attenuatur, si diluitur:

1. Vasis oscillationes elasticas restituendo per imminutionem distendentis liquidi, misso sanguine, purgatione multa; per stimulum (*b*) additum fibris ope liquidi tenuis, aromatici, calide epoti; fo-

Vid. Aph. 1388. ubi systema Closii amplius proponitur, atque discutitur.

(*a*) Anodinorum usus huc poterit advocari. Hæc tamen hic prudenter administranda.

(*b*) Aphor. 396. num. 6. præscribitur *sedandum impetum*; hìc *stimulum addendum* ordinatur. Status varius mali indicationes variari suadet ex Aph. 394.

mentis, frictionibus, cucurbitis, scarificationibus.

2. Nova liquida tenuia, aquosa, calida (*a*) potando, impacta diluendo.

3. Utendo attenuantibus, resolventibus, et oppositis genio (*b*) obstruentis, interne, externe, forma decocti, balnei, fotus, vaporis, cataplasmatis, emplastri, unguenti specie.

399 Lenitas procuratur potu aquoso, victu blando, medicina blanda diluente,

(*a*) Hæc calida potata summum remedium in omnibus morbis inflammatoriis dat: circulationis lege enim deducta ad illa loca corporis ubi obstruens illud inflammatorium hæret impactum alluet; vasorum efficacia cum illa conteretur sicque sensim se interponens concreti hujus moleculas illas separabit à se mutuo, et diluet.

Aqua disolvit salina, saponacea, mucosa, gelatinosa, &c.

(*b*) Si materia impacta est sanguis ruber, vel et tenuius liquidum immeabile, simulque adest major motus, et calor in putredinem vergens, tunc attenuans concreti inflammatorii simul debet esse putredini quammaxime adversum. Mel, Saccharum, fructuum horeorum recentes succi; cichorei, taraxaci, scorzoneræ, tragopogoni &c. solventissima decocta tanto cum fructu adhibentur. Inter salina attenuantia Nitrum reliquis præfertur. Externa remedia prudenter administranda, emplastica præsertim, ut jam dictum.

et obtundende, vel singulari dote acri specifico oppcsita.

400 Retropulsus fit:

1. Evacuatione magna liquidi arteriosi, venosique, missione sanguinis.

2. Laxatione fibrarum.

3. Frictione artificiali.

401 Hinc intelligitur, quænam sit in omni morbo inflammatorio, interno, externo, illa, semper quærenda, Resolùtio; quæ sanatio perfecta; quæ sine crisi (*a*) (386).

APHOR. 396. NUM. 2.

Purgatio Antiphlogistica.

Cremoris Tartari drachmæ sex.
Crystallorum Tartari drachmæ sex.
Ipsius Tartari drachmæ sex.
Salis Polychresti scrupuli quinque.
Pulpæ Tamarindorum unciæ tres.
Tamarindorum unciæ quatuor.
Rob Sambuci unciæ quatuor.
Rhabarbari drachma una et semis.

(*a*) Resolutio dicitur sanatio perfecta inflammationis, quia ista tollitur nullo alio morbo inducto. Dicitur etiam sanatio sine crisi, quoniam hoc casu materies hærens à vita superstite, et remediis adhibitis sic disponitur ut iterum libere fluat per vasa sua sanitatis legibus obsequiosa penitus. Terminatio ista minime repugnat.

Purgans antiphlogisticum, evacuans, revellens.

R. Rhei electi drachmam unam.
Salis Polychresti scrupulum unum, et semis.
Syrupi Cichorei cum Rheo unciam unam.
Secundum Artem accurate contrita simul dilue in Aquæ stillatitiæ florum Sambuci unciis duabus.
Cinnamomi drachmis duabus.
Fiat Haustus.

Bolus purgans antiphlogisticus impetum cruoris minuens.

R. Tamarindorum electorum pulpæ uncias duas.
Crystalli Tartari minutim pulverisati drachmas tres.
Misce. Capiat omni octava parte horæ drachmam unam donec commode purgetur.

Haustus similis.

R. Foliorum Sennæ sine stipitibus electæ drachmas duas.
Agarici optimi drachmam unam,
Tamarindorum electorum uncias duas.
Cum aqua stillata florum sambuci vase

clauso decoque spatio quartæ partis horæ, tum decocti per pannum expressi unciis quinque admisce

Nitri puri drachmam unam.
Syrupi Rosarum solutivarum cum Senna drachmas sex.
Fiat Haustus.

Decoctum simile.

R. Foliorum Sennæ drachmas tres.
Tamarindorum uncias duas.
Agarici drachmas tres.
Cum aquæ decoctæ spatio quartæ partis horæ pinta una admisce.
Syrupi cichorei cum Rheo unciam unam.
Capiat unciam unam omni semihora, donec purgetur.
Reliqua vid. Aph. 334.

APHOR. 396. NUM. 4.

Epispastica.

Constant Attrahentibus ad locum, Aphorismo. 135. num. 4.
Derivantibus eo: Aph. 135. num. 4.
Propellentibus ab illo: Aph. 135. num. 4. et Aph. 75. num. 6.

Vesiccantia.

Vid. Aph. 75. num. 7.

APHOR. 396. NUN. 5.

Medicamentum diluens, et refrigerans simul in hoc casu.

R. Radicis Acetosæ uncias duas.
Graminis,
Scorzoneræ singularum uncias tres.
Foliorum Becabungæ,
Acetosellæ.
Agrimoniæ singulorum manipulum unum.
Cum aqua decoctis spatio octavæ partis horæ, adde
Florum Borraginis
Buglosæ
Rosarum
Violarum, singulorum pugilum unum.
Stent in digestione, vase clauso, spatio octavæ partis horæ, tum depurati pintis tribus admisce
Nitri puri drachmas duas
Rob Sambuci uncias tres
Capiat uncias tres omni hora diei.

† *Mistura diluens, refrigerans, antiphlogistica.*

R. Aquæ stillatæ florum sambuci uncias quindecim.

Rob Sambuci uncias duas
Nitri puri drachmam unam.
Misce. Capiat unciam unam omni hora.

Emulsio similis.

R. Seminum contusorum Bardanæ drachmas quatuor.
Petroselini drachmas sex.
Cichorei unciam unam.
Cum aqua stillata petroselini
Fiat emulsio, cujus unciis duodecim admisce
Nitri puri drachmam unam.
Syrupi quinque radicum aperientium unciam unam.
Capiat unciam unam omni hora.

Pulvis refrigerans resolvens.

R. Stibii Diaphoretici non abluti drachmam unam.
Lapidis Prunellæ drachmam semis.
Radicis Zedoariæ scrupulum unum.
Misce. Fiat Pulvis dividendus in sex doses.
Capiat unam omni trihorio ex Ptisana.

APHOR. 398. NUM. 1.

Liquidum tenue aromaticum calide potandum.

R. Ligni Santali albi
Citrini
Rubri singulorum unciam.

Radicis carlinæ unciam unam.
Petroselini
Fæniculi singulorum uncias tres
Ononidis uncias duas.

Cum aqua decoctis spatio dimidiæ horæ adde.

Ligni Sassafras rasi uncias duas
Foliorum Betonicæ
Rutæ
Scabiosæ
Tussilaginis, singulorum manipulum unum.

Stent in digestione fervida spatio dimidiæ horæ, clauso vase: tum puri liquoris libras quinque exibe.

Sorbeat omni hora uncias duas fervidas.

APHOR. 399. NUM. 1. 2. 3.

Vid. Aph. 107. ad 144.

ABSCESSUS (*a*).

402 Si, his (395. 396. 397. 398. 399. 400.) frustra, non, aut, sero, pa-

(*a*) Sauvagesius Clase I. Ordine IV. Genere 6. Apostema tradit. Speties sunt: Apostema, seu Abscesus inflammationi succedens: per puris metastasim, seu Apostasis: Scroti (*empiocele*) Corneæ (*Hypopium*).

ratis, inflammatio in suppurationem (*a*) (387) vergit, idque per signa, ibi (387) posita, notescit, indicationes erunt:

1. Crudum ocyus maturare in unum humorem (*b*).
2. Idem, ut et vicina, emollire.
3. Ad exteriora ducere (*c*).
4. Puri cocto exitum conciliare.
5. Mundare locum.
6. Reliquum instar vulneris percurare.

403 Maturatio fit applicatione horum, quæ:

1. Motum in parte augent, fovendo,

Cullenius Clase I. Ordine II. Genere VII. Phlogoses tradit, et tanquam sequellam hujus Apostema notat. Cujus speties sunt Abscesus: Pustula.

(*a*) Abscessus variam habet significationem. Mutatio in alium morbum: illud naturæ humanæ molimen per quod ex sanguine separantur aliqua nocitura, et evaquantur de corpore, vel deponuntur ad quædam loca . . *Abscessus* vocantur. Hic tamen abscessus nomine intelligitur *Inflammationis transitus in suppurationem, et puris inde nati coilectio in loco quodam corporis.*

(*b*) Quid cruditas, quid coctio alibi dictum. Inst. Med. §. 921.

(*c*) Ad istum finem applicant nostri Medici excelentes vesicatoria suris, et ita suppurationem in variolis ad exteriora sustinent. Praxis talis usque ad extremum celebrata. Chirurgus *Louis* in istum locum.

stimulando, calefaciendo per ea, quæ re ipsa, vel et virtute calefaciunt; in toto similia præstant, excitata febricula.

2. Excitatum motum, et calorem ad eum locum coercent, impediendo nimiam exhalationem, et dissipationem per obturantia glutinosa, lenimen acrimoniæ nimiæ.

3. Moderando motum totius fluidi vitalis, ejusque temperiem ita, ut nec torpeat, nec excitetur, nimis (*a*).

4. Relinquendo locum clausum, donec omne inflammatum irresolubile suppuratum sit. His enim causis bonum fiet Pus in parte.

404 Nisi materies inflammata sic mutata, cum periculo, et sine profectu, aperitur abscessus.

405 Mollities partis, fluctuatio pressi tumoris, albitudo, remissio doloris, caloris, ruboris, tensionis, pulsus, febris, vertex mucronatus tumoris, gravitas dolori succedens, docent pus jam factum, atque exitui aptum esse.

406 Si tum relinquitur diu in loco

(*a*) Maximi momenti hæc regula est in praxi medica tam in morbis internis, quam in externis curandis, numquam satis Tyronibus ponderanda. Est enim norma prudentissima, basis doctrinæ optimæ, et adamusis praxeos securissimæ.

clauso, attenuatur, acre fit, putrescit, augetur, vicina consumit, erodit, mole, pondere, et motu sinus, fistulasque creat variis locis varias, pessimas in intestino recto. Aut dissipata parte tenuiori, reliquum durescens tumores duros, maxime circa glandulas, creat. Vel denique venis lymphaticis, aut sanguiferis (*a*) per erosa oscula impressum absorbetur, sanguini miscetur, hunc inquinat, et collectum in visceribus pessimis collectionibus ea corrumpit, horum functiones turbat, atque ita infinitos, eosque gravissimos morbos efficit.

407 Iisdem auxiliis (403) integumenta loci suppurati inferne, et superne emolliuntur, attenuantur, laxantur, ut et vicina.

408 Quin et hac ope (407) minuta resistentia horum, per auxilia maturantia (403) pus factum extra pellitur, vel attrahitur foras.

409 Tum modice acria, emollientia,

(*a*) Post cubiti vulnus, et fracturam magnus satis abscessus vulneris locum, et vicina ocupabat. Ingens puris copia alvo excreta abscessum curavit ex Belloste. Pulmonis apostema per urinas, Thoracis vero per intestina, et alvum expurgari Galenus vidit. De Locis affectis. Lib. VI. cap. 4. Absortiones istæ maximè notandæ.

subpinguia mista simul applicentur, ut et mortua tegumenta facilius, et sine dolore aperiri queant.

410 Dein, presso rite pure in assurgentem tumorem, parti albissimæ, mollissimæ, eminentiori, inferiori, intrudatur scalpellum, donec exeuns pus satis penetratum doceat, dein elevetur æquabili sectione sursum lata plaga, aut per oppositam plagam cuspide acta, media integumenta dissecentur, vitatis fibris (*a*), vasisque: leniter mox exprimatur, et successive, pus ubundans; nec aëre, nec turundis vexetur.

411 Denique curetur mundantibus, suppurantibus, digestivis, balsamicis, detersivis, exsiccantibus pro re nata, variatis, juxta doctrinam vulnerum (192. ad 220).

412 Si inanis metus ferrum repudiat, applicetur causticum parti (410) eschara butyro separetur mollita; curatio fiat ut prius (410. 411).

(*a*) Cautio ista utilis est, et Fabricius nimis fortasis anxiè rectitudinem istam commendavit. Puris copia attollens partem membra subjecta reddit tuta ab incidente instrumento.

APHOR. 403. NUM. 1. 2.

Maturantia in pus.

1. Gummi Aromatica simplicia.
   Ammoniacum.
   Bdellium.
   Elemnii.
   Galbanum.
   Opopanax.
   Sagapenum.
2. Emollientia, laxantia, humectantia, Aphor. 54. num. 4.

Cataplasma emolliens, et maturans.

R. Farinæ secalis uncias quatuor.
   Aceti drachmas duas
   Gummi Galbani in vitello ovi soluti unciam unam.
Cum aqua decoctis in cataplasma adde sub finem
   Olei lini albi unciam unam.
   Fiat Cataplasma.

R. Foliorum Acetosæ recentium manipulos quatuor.
   Butyri insulsi unciam unam.
Ad ignem leniter decoctis parum adde
   Fermenti panis uncias duas
   Gummi Sagapeni in vitello ovi soluti drachmas quatuor.
Fiat secundum Artem Cataplasma.

Vel.

R. Mellis ad spissitudinem paulo majorem cocti uncias quatuor.
Ceparum sub cineribus assatarum uncias tres
Ficuum pinguium uncias quatuor.
Cum pauxillo aquæ secundum artem decotis in cataplasma adde
Farinæ lini unciam unam, et semis.
Fiat Cataplasma.

Vel.

R. Avenæ excorticatæ unciam unam.
Farinæ lini recentis uncias tres.
Bulborum Lilliorum alborum uncias tres.
Florum Altheæ unciam unam.
Cum lacte recenti decoctis secundum Artem adde
Butyri insulsi drachmas duas.
Fiat Cataplasma.

APHOR. 403. NUM. 3.

Usus decocti Aph. 398. num. 1. huic proposito motum excitat sufficientem.

APHOR. 409.

Cataplasma modice aëre, emolliens, oleosum, tegumenta mortua resolvens.

℞. Fermenti panis acris uncias duas.
Saponis veneti rasi drachmas duas.
Mellis unciam semis.
Olei camæmeli infusi drachmas duas.
Misce. Fiat secundum Artem cataplasma.
Prossunt et præscripta Aph. 403. n. 1. 2.

APHOR. 412.

℞. Cinerum clavellatorum uncias quatuor.
Calcis vivæ Leodiensis uncias sex.
Contusa misce, dein in loco humido liquescant, filtra, inspissa; fusa ad ignem validum in crucibulo, effunde in lapillos, caute in vase sicco, bene obturato asservandos.

Horum pauxillum abrasum, plumaceolo exceptum, applicetur spatio duarum horarum, dein applica, deterso priori, Butyrum.

Butyri Antimonii pauxillum imponatur apici protuberantis Apostematis.

Aut teneatur Lapis infernalis eidem Apici aliquandiu applicatus.

413 Hinc Sinuum, Fistularumque (*a*) origo, causa, natura, locus, effectus, intelliguntur (406.).

414 Aperti (413) facile cognoscuntur; clausi cavitatis mollis attactu (*b*) deteguntur.

415 Curantur dissecta parte inferiori, impletione cavi per liquefacta digestiva pro re nata, injectu detersivorum, ligatura sensim premente à fonte ad aperturam: sed citissime integumentis artificiose supra cannulam fossatam (*c*), filum argenteum, velimper syringotomon dissectis.

(*a*) Communiter definitur fistula: *Ulcus altum seu profundum, angustum, et callosum.* Istud postremum errores multos peperit in praxi ex Chirurgi *Louis* observatione.

(*b*) Sinus, et fistulæ variusque eorundem decursus deteguntur optime si per siphonem, et leni vi aqua tepida injiciatur. Specillum vias sæpe facit, quæ non adfuerant.

(*c*) Omnium promptissima cura fistularum, et sinuum est, si dissecantur integumenta sic, ut fistula mutetur in ulcus appertum. Ludovicus XIV. Galliæ Rex methodo ista per incisiones varias curatus fuit visis inutilibus tentamentis omnibus in aliis fistulosis factis. Filum argenteum, aptius plumbeum, ad id etiam

416 Bubo, parotis, furunculus, anthrax, carbunculus, phyma, erysipelas, morbilli, variolæ, maculæ rubræ, hinc quoad cognitionem, prædictionem, curationem, sciuntur (*a*).

417 Nec difficulter hinc scitur even-

valet, sed curatio ista longior, et molestior. *Syringotomos*, instrumentum ita dictum ab usu, quem in fistulis secandis habet ad ani fistulas ut plurimum destinatur.

His omnibus addenda contra apertura, seu sinus istius seetio in ejus fundo, si fas est, facta.

Doctrina ista de Fistulis ulterius prosequenda. Pro Tyronibus innuimus dari fistulas

1. A corporibus extraneis per vulnera à tormentis bellicis introducta: quæ extractione illorum, vel per partem qua fuerunt introducta, vel qua hærent solvuntur.

2. Ab ossium Carie, quæ non nisi sublata ista sanantur. Acrimoniæ variæ, si adsint tollendæ. Caries ipsa radendo, trepanando, cauterizando.. seu alitèr curanda; quo facto sua sponte fistula evanescit.

3. Ab interrupto, et devio fluxu naturali quolibet. Hinc fistulæ *lacrimales*, quæ apertione nasalis ductus: *Salivales*, quæ setaceo in ipsa canalis Stenoniani continuitate: *intestinales*, ut in artificiali ano, quæ munditie summa: *urinariæ*, quæ cereolis urethram ampliantibus.. vincuntur.. sed de his hìc satis.

(*a*) Ex his, quæ de inflammatione, et suppuratione dicta fuerunt habetur cognitio plurimorum malorum, quæ ad inflammationem, et

tus suppurationis internæ, ad quam artificis manui accessus non datur, magna quippe, et multa mala (406. 413.), et collectiones puris in cava corporis.

418 Si tum necessitas partis affectæ ad vitam, sanitatemve scitur, facile prævidentur futura, et curationis difficultas.

APHOR. 415.

Injectio digestiva liquefacta.

R. Terebinthinæ nativæ uncias duas.
Vitellorum Ovorum unciam unam.
Secundum Artem subactis admisce
Mellis communis uncias duas.
Spiritus vini communis drachmas quatuor.

ejus exitus varios referri possunt. Aliqua hic enumerantur.

Bubones sunt tumores glandulosi in inguinibus, et subaxillis ut plurimum *reperti.* Hic enim glandulæ colocantur in mollissima tunica adiposa ab omni compressione musculorum fere liberæ, maximis arteriis, venisque, et truncis nervosis adjacent, et ab illis ramos recipiunt. Hinc loca ista pro emunctoriis universalis humorum massæ, et viscerum jure merito habita fuerunt apud veteres Medicos. Glandulæ facillime fluxionem recipiunt ob imbecillitatem, et rariorem texturam. Galenus. Meth. Medend. Lib. XIII.

Aquæ communis uncias quatuor.
Calefactum, et probe mistum injice.

Vel.

R. Balsami Arcei
Vitelli Ovorum ana unciam unam.
Mista dilue in
Spiritus vini communis unciis octo.
Usus ut prioris.

Injectio Detersiva.

R. Mellis Rosarum uncias duas.
Elixir proprietatis cum sale tartari preparati unciam semis.
Lixivii Barbi-tonsoris uncias octo.
Misce.

R. Aloes
Croci
Myrrhæ singulorum drachmam unam.
Salis communis drachmas tres.
Coctis in aqua, et filtratis unciis decem adde vini æqualem quantitatem.

Vel.

Decoctum Balsamicum, consolidans Fistulam puram.

R. Radicis Aristolochiæ majoris uncias duas.
Foliorum siccorum Scordii unciam unam.

Baccarum Juniperi contusarum unciam unam.

Cum spiritus vini debili decocto in phiala alta spatio unius horæ unciis viginti admisce

Saponis veneti unciam unam.

Usus ut prioris.

Ubi pura fistula, hanc consolidat sequens

Injectum.

R. Olei infusi Hyperici uncias quatuor.

Aloes Myrrhæ

Olibani, singulorum drachmas duas.

Coquendo leniter, mista subige cum vitelli ovorum unciis duabus.

Dein, calefacta parum, in fistulam puram injice.

GANGRÆNA (*a*).

419 Si inflammationi (371. 372.) Gangræna (388) succedit, alia curatio requiritur: vocatur autem Gangræna ea partis mollis affectio, quæ, abolito influxu vitalis humoris in arterias, efluxu per

(*a*) Sauvag. Cl. X. Ord. VII. *Cachexiæ anomalæ.* Gen. 37. *Gangræna.* Species 8. A Contusione: ab infiltratione: ab strangulatione: à veneno: ab inflammatione: ab ambustione: à gelu: à putredine.

Cullenius Clase I. Ord. II. Gen. VII. *Phlogosis* Gangrænam ut hujus Phlogoseos sequelam proponit tantum.

venas, in mortem tendit; sed Sphacelus ea, quæ jam in tota parte omnem vitalem actionem perfecta morte destruit, superstite vita in reliquis.

420 Gangræna ergo ut plurimum panniculum adiposum, Sphacelus cuncta ad ossa usque inficit; illa præcedit, hic ut plurimum sequitur; nisi ab ossis corruptione, medullæ, vel periostei originem duxerit: unde et apparet singularis gangrænæ species, quæ sine febre, inflammatione, aut jactura caloris nativi fit in partibus sub contusa medulla dorsi positis (326).

421 Ergo Gangrænæ, et Sphaceli causa eadem, sed vi, duratione, loco diversa.

422 Ideo 1. omnia quæ inflammationem faciunt (375. 376. 377. 378. 379.), si liquida stagnent, et nisus in ea vivi sanguinis magnus: eo pertinent *a* ligatura venarum. (*a*) *b* compressio earum ab causa quacunque, ut tumore, &c. *c* frigus ingens. *d* prohibita perspiratio in phlegmone per adstringentia, emplastica, frigida, repercutientia, stupefacientia, maxime si interna acria, vel acria simul externis applicatis permista. *e* inflammatio interna, externa. *f* vulnerata, contu-

(*a*) Juvenis bene potus subligaculis arcte adstrictis gangrena in utroque crure occupatus fuit, et mortuus.

...IO FORU ALDUNDIA ...UM FORAL DE VIZCAYA ... LIBRARIEGIA ... Museo y Biblioteca ... Bibliotek

sa, luxata, fracta, maxime si arcte constricta. *g* oleosa acria sanis applicata, vel ægris. *h* decubitus. *i* herniæ suffocatæ, et clausæ.

423 2. Quæ liquida acuunt, ut vascula exedant, destruantque, ut *a* stagnatio clausi, et calidi humoris diuturna, unde acrimonia (80), corrosio, hinc cruor in aneurismate, pus in abscessu, aqua in cranio, thorace, abdomine, scroto &c. contusa, et effusa in læsis. *b* mala, morbosa, acris temperies in toto peccans, et locum alluens; ut lympha diu fluens circa loca tendinosa, ichor cancri, fluor dysentericus, fluor hydropicus, materiæ febrilis, pestilentis, variolosæ, scorbuticæ fluxus ad carnem, inprimis ad gingivas.

424 3. Quæ mortem extremorum creant defectu vitalis influentiæ, ut quies senilis, debilitas summa, contusiones ingentes magnorum nervorum, spinæ dorsi, medullæ spinalis, magnorum ganglionum. (326. 420).

425 4. Venena mirabilia (*a*).

(*a*) Grana tritici secalis, nigra, et figuræ insolitæ, vulgo *ergot* comesta gangrenam siccam, nigram, lividam à digitis pedum incipientem in viris præsertim inducunt. Mirabilis hæc observatio docet saluberrimum humano generi alimentum nempe Triticum sic à latente causa mutari posse, ut verum fiat venenum.

426 Gangrænæ futuræ signa sunt causæ ejus (422. 423. 424. 425.) præcognitæ.

427 At vero præsentis hæc: 1. phænomena inflammationis subito ablata sine correctione causæ, (confer 382. 383. 385. cum 422. 423. 424. 425.) 2. sensus hebes. 3. color pallidior, cinereus, fuscus, lividus, niger. 4. mollities, flacciditas, ad tactus vestigia non resurgens. 5. pustulæ ichore lymphatico subflavo, vel rubello plenæ in loco inflammato. 6. ubi à frigore, pruritus, et punctura ingens, una cum rubore intenso, quem brevi nigritudo mortifera sequitur.

428 Sphacelus futurus scitur ex signis Gangrænæ præsentis (427) assiduo auctis.

429 Præsentis autem signa sunt. 1. Gangræna exquisita prægressa. 2. sensus, motusque integre sublati, ut pars scissa, puncta, usta, usque ad ipsa ossa, nihil sentiat, sed gravis modo fit. 3. color lividus, fuscus, niger. 4. mollities, flacciditas, frigus, cutis separabilis, tandem siccitas, durities. 5. fœtor cadaverosus. 6. corruptio mortifera, profunda, omnia vicina depascens in ossa usque.

430 Ingens in hoc morbo, et velox discrimen (*a*) præsagia vera exigit.

(*a*) Mulier enixa, et sana subito in dextro pede tantum dolorem sensit, ut ejus atrocitatem summis ejulatibus exprimeret. Nullum

431 Quam veritatem dabit. 1. justa consideratio ætatis, temperiei, morbi, virium. 2. Velocitas mali. 3. causa interna vel externa cognita. 4. anni tempestas. 5. locus affectus, ut vitæ magis, minusve necessarius, vel prout humida, sinuosa, aut sicca temperie donatur.

432 Hinc regulæ:

A Gangrænæ sphacelus.

A Sphacelo mors partis, et vicinorum cita infectio.

Gangrænæ ilico (*a*) succurrendum.

Sphacelus ilico extirpandus.

Gangræna cerebri, viscerum, vesicæ, lethalis, et in acutis cita mortis, partibus

tamen in parte dolente vitium apparuit, nec frigus, nec calor nimius aderat. Post remedia varia levamen sensit ægra; sed transacta nocte tranquilla satis, mane inventus fuit totus pes frigidus sine ullo sensu, perfecto sphacelo correptus, qui velociter serpens necavit eam. Vid. La Motte Chirurg. Tom. III. pag. 358. Casus horridus!

(*a*) Natura, quæ toties sibi soli suficit, perfecit curam in talibus casibus, ubi sola extirpatio locum habere posse videbatur. Hoc rarissimum est. Nihilominus aliqui casus docent non omnino desperandum esse in illis ubi vel ob debilitatem summam, vel alia quacunque causa extirpatio fieri nequit. Tuncque bono victu, et cardiacis vires erigendæ sunt, dum interim pars affecta conditur talibus, quæ omnem putredinem prohibent, et emendant.

majoribus vix apparentibus læsis, causa.

Gangræna oris interni, labiorum, narium, genitalium, curatu difficilis.

Sphacelus extremorum, tendinosorum, lethalis in senio.

Gangræna hydropicis, phthisicis, scorbuticis pessima, mortis nuncia.

Sphacelus superiora petens, vigilias, deliria, syncopen, ructus, singultus, spasmos, dolores, sudorem frigidum, soporem creans, prænunciat mortem.

Lividitas, nigritudo, ariditas circa ulcera, gangrænam, sphacelum, mortem adesse nunciant.

433 Indicatio in Gangrænæ curatione: 1. vires firmare. 2. putridi ingressum in venas impedire. 3. putredinem conceptam arcere, coërcere.

434 Firmantur vires dando: 1. quæ causæ internæ (422. 423. 424. 425.) debellandæ prosint, spiritus excitent, liquidis motum circularem conservent, habita simul ratione ætatis, sexus, temperiei, tempestatis. Illa ergo ex classe refrigerantium, vel calefacientium petuntur pro re nata. 2. cibos potusque analepticos. 3. Epithemata (*a*) ex pane tosto cum præscriptis (N. 1. hujus) applicata venis, vel circa nares.

(*a*) In tota corporis externi superficie venarum bibularum oscula patent, quæ contigua

435 Impeditur putrefacti in venas introitus. 1. firmando vires (434), adeoque augendo motum ad exteriora. 2. curando exitum ad exteriora; fomenta, cataplasmata ex diaphoreticis, emollientibus, laxantibus, facta, scarificationes, cucurbitæ (*a*), hirudines id agunt, cum calore externo.

436 Putredo incipiens corrigitur: 1. tollendo ejus causas (*b*) sensibiles (422. 423. 424. 425.)

liquida haurire possunt, et sanguini miscere illico: unde patet ad vires firmandas et ad alia etiam maximum usum posse habere illa remedia, quæ externæ cuti apponuntur. Hoc præsertim accidit, si subtilissima, et maxime fragrantia applicantur locis, quibus magnæ venæ adjacent, et nervi, ut v. gr. sub axillis, poplitibus, collo, &c. narium interna superficie, &c. Utilissima ergo sunt hujus modi Epitemata, quæ tegi debent ne promptè dissipentur.

(*a*) Ablata enim atmosphæræ præssione illo in loco cui cucurbita hæret impetus sanguinis per vivas adhuc partes moti distendet vasa, elevabit mortua incumbentia, et repellet putrida. Remedia ista ad defficientem vitam, et nutritionem restituendam in parte exsucca, et fere exarefacta valent, ut observationibus constat.

(*b*) Prout hæ variæ sunt variè corrigenda Gangrena. In illa, quæ post summam debilitatem aut senilem quietem, et lenta, et frigida sanguinis cacochimia . . . sequitur, cardiaca calida moventia, et incitantia summum usum

437 2. Corrigendo ejus causam proximam, stagnationem, et calorem : *a* condiendo stagnantia contra putredinem : *b* muniendo solida contra eandem : *c* stagnantibus correctis per vasa munita conciliando motum.

438 Condiuntur liquida applicatione salis, aceti, vini, spirituum vini, aromatum.

439 Iisdem (438) servantur solida intacta.

440 Stagnantia deducuntur in motum : *a* diluendo aquosis affatim haustis, et applicatis : *b* stimulando arterias per ea, quæ malo opposita : *c* movendo liquida calore, frictione, cardiacis : *d* sublata copia nimis distendente per missionem sanguinis (*a*).

habent : eadem tamen hæc nocerent summopere si in calido juvenili corpore post summam inflammationem Gangræna nasceretur.

(*a*) Hæc unice exercebitur presente plethora universali, sive particulari ita ut metuendæ sint circulationis suffocatio, vasorum ruptura, et Gangræna à nimia plenitudine, seu à nimio sanguinis per vasa motu . . . quo casu judicat Medicus per missionem istam sanguinis, imminuto liquido distendente restitui vasis oscilationes elasticas, quæ ad motum stagnantium quammaxime necesariæ sunt. An venæ sectio potius ad præcavendam Gangrænam, quam ad sanandam deservire possit?

441 His (434. 435. 436. 437. 438. 439. 440.) cito applicatis, sæpe renovatis, multoties incipiens gangræna felici correctione, et diaphoresi benigne tollitur.

442 Si autem liquida jam putrefacta, horumque mobilissimæ partes exhalaverint, tum et canales destructi fuerint, malum non cedet his remediis, neque reddetur corruptæ parti sanitas, sed vicina multum destruentur motis, neque tamen exhalare potentibus, vivis.

443 Ideo totus scopus hoc casu (442) separare mortuum à vivo.

444 Separatio hæc fit semper vi vitalis liquidi ruentis ad fines gangrænosæ escharæ, ibidem suffocati, sicque in suppurationem (387) acti, unde solvuntur fibræ nectentes gangrænam parti sanæ (*a*).

445 Adeoque patet, in eo hærere artem, ut 1. fiant ea, quæ dicta (433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440):

2. Ut acceleretur suppuratio.

3. Ut emolliatur eschara (*b*).

(*a*) Sed quomodo fiet separatio ista? An per suppurationem? Utique. An secando, urendo, corrodendo? Minime.

(*b*) Emollitio escharæ per humectantia, et laxantia poterit fortassis gangrænam ipsam fovere. Nonne præstabit exsiccare ipsam, ut ita crusta dura resistens vasa circunferentia stimulet, excitetque ad ipsius expulsionem? Nonne

446 Ut suppuratio acceleretur, conducit scarificatio putrefacti usque ad vivorum initia: sic enim, suffocatione nimia imminuta, loco serpentis gangrænæ fit abscessus, quo cutis et adeps gangrænosa plerumque à subjectis adhuc vivis separantur.

447 Quo autem sanguis plus in hosce fines ruat, hirudines, cucurbitæ, et similia attrahentia sæpe applicata prosunt (*a*).

Unguentum egipciacum tanti hic usus, quia desiccativum? Ita loquitur chirurgus *Louis* in nota ad istum locum. Emollientia parti proximæ inflammatæ unicè deservire poterunt.

(*a*) Atrahentia ista his locis applicata prodesse poterunt, quatenus diluentium, et antisepticorum remediorum quæ ore assumpta sunt efficaciam huc versus determinant.

Cortex peruvianus in Gangræna, et Sphacelo sistendis, et curandis maxime prodesse poterit exterius applicatus, et interius assumptus. Quamplurimis experimentis quotidie confirmatur ejus virtus in his malis à debilitate, inertia . . procedentibus.

Defficit in Materie Medica Remedium istud egregium reliquis ibi propositis ad hunc scopum anteponendum. Nescio quo fato latere potuerit hìc Ill. Boerhaavio inventum istud admirabile, cum ex Van-Swiet. testimonio illud publici juris fecerit An. 1731. celebris Chirurgiæ Profesor Rushworth, et ex Chirurgi *Louis* asserto jam An. 1715. Societati Regiæ hu-

448 Incisa (446) pars calidis liquoribus, corruptioni resistentibus (438), et duritiem escharæ (389) emollientibus (403), fovenda.

449 Partes pendulæ, emortuæ, solutæ, emollitæ escharæ tollendæ tenaculis, forfice.

450 Toti parti affectæ assiduo applicanda cataplasmata calida, et cum calore continuo sustentato agentia; quæ ex Emollientibus, Diaphoreticis, Anodynis, constent.

451 Huc etiam plurimum facit rarior partis detectio (*a*), quam vulgo fieri solet.

452 Ubi, his (446. 447. 448. 449. 450. 451.) factis, eschara contrahi, scarificata humescere, margo sana tumere, rubere, suppurari, mortuum vacillare incipit, signum est, separationem fieri, sub-

jusmodi virtutem renunciaverit. Addendum igitur remedium istud Tesauro Boerhaaviano, pro Gangræna, et Sphacelo alias insanabilibus sanandis.

(*a*) Quandiu nondum constat Gangrænæ progresum cohibitum fuisse sæpius inspicienda affecta pars. Dum crenna illa separans mortui, et vivi confinia aparuit apposita diutius applicata maneant sine renovatione ad aeris accesum prohibendum. Suficit ut Chirurgus ter, quaterve in die accedens subolfaciat an aliquid putridi deprehendat, et si nihil tale adsit tunc

sistere serpens malum, brevi purum futurum locum.

453 Tum lenia, anodyna, balsamica, digestiva applicanda sunt, raro detegendum ulcus est; omnia, quæ fibris rigiditatem dant, vitanda; quies parti danda; et porro instar ulceris malum pertractandum erit (411).

454 Si ab impacto acri Gelu (*a*) gangræna (427. num. 6.), pars, nive imposita, vel impositis linteis aqua gelida humectatis, operienda erit, donec, spiculis frigoris in nivem vel aquam receptis, iterum solvi incipiat, redeunte vita.

totum apparatum per viginti quatuor horas relinquendum.

(*a*) Gangræna ista borealibus Regionibus, et acerrima hieme observatur, quæ curationem peculiarem hic propositam exigit. An frigus mera tantum caloris privatio sit? An potius ens phisicum, spicula nempe glacialia? hic non curamus. Observationibus repetitis constat Gangrænam hujusmodi applicatione aquæ frigidissimæ congelationi proximæ sanari, per calida applicata emori. Poma conglaciata igni admota, ut regelascant omnem saporem perdunt, et in mollem pulpam conversa corrumpuntur brevi. Si autem frigidissimâ aquâ repetitis vicibus immergantur crusta glacialis ea tegit, tandemque pristinum saporem retinent, seu adquirunt. Hippocrates jam dixerat: *verum et pedes perfrigerati deciderunt ex calidæ affusione.* De Liquidor. usu. Cap. I.

455 Aliter enim caloris applicatu pars putrescit, actis, nec eductis spiculis.

456 Eo autem peracto (454), calidis refocillandus cardiacis, et in sudorem usque calefaciendus æger est (*a*).

APHOR. 434. NUM. 1.

Mistura spiritus excitans in Gangræna à causa calida, temperie alcalina.

R. Succi recentis expressi citri uncias duas.
Aurantiorum unciam unam.
Syrupi recentis Mororum uncias duas.
Aquæ stillatitiæ citri totius uncias quatuor.
Melissæ uncias duas
Cinnamomi unciam unam
Vini Renani uncias sex.
Addito, si opus, saccharo.
Misce. Bibat unciam unam, omni hora, vel et semi-hora.

(*a*) Triticum illud secale de quo Aph. 425. dicitur, hispanicè *Tizonzillo* nominatur. Super isto in Actis Societatis Regiæ Medicinæ Parisiensis extant plurima merito videnda Tom. I, pag. 303, et 417. Sauvagesius de eo agit Classe X. Gen. 39. *Necrosis*.

Vel.

R. Rob Ribesiorum
Berberis, singulorum uncias duas.
Spiritus salis drachmam semis.
Aquæ stillatæ melissæ uncias sex.
Vini Rhenani uncias decem.
Misce. Capiat unciam unam omni hora.
Si frigida laborat Gangræna, temperies phlegmatica, vel acida.

Mistura spiritus excitans calida.

R. Salis volatilis oleosi drachmas tres.
Elixir propietatis cum sale tartari preparati drachmas duas.
Aquæ stillatæ vitæ Matthioli uncias tres.
Corticis citri uncias sex.
Syrupi quinque radicum aperientium, Artemissæ Fernelii singulorum unciam unam.
* Confectionis Alchermes completæ, drachmas duas.
Misce in usum eundem.

APHOR. 434. NUM. 2.

In Temperie Acida, Aph. 66. num. 1. 2.
Alcalina. Aph. 88. num. 5. 6.

APHOR. 434. NUM. 3.

In casu alcalescente calido.

R. Vini Rhenani libram unam.
Cinnamomi
Caryophylorum
Foliorum Maceris
Nucis Myristicæ ana drachmas duas.
Coque in phiala alta vitrea, in arena.
Hoc decocto imbue panem tostum.

In casu acido frigido.

R. Salis volatilis oleosi unciam semis.
Spiritus corticis citri uncias duas.
Spiritus Lavendulæ
Menthæ singulorum unciam unam.
Theriacalis uncias duas.
Misce. Atque hoc tostum panem imbue.

APHOR. 435. NUM. 2.

Fomentum ad Gangrænam emolliens, antisepticum, resolvens, putrefacti introitum in venas impediens (a).

R. Foliorum recentium Rutæ manipulos quatuor.

(a) Peruvianus cortex his omnibus merito adjungendus; imo dato casu præferendus est. Vid. Not. in Aph. 447.

Malvæ manipulos duos
Alliariæ manipulum unum.
Farinæ lini unciam unam.
Cum aquæ decoctæ vase clauso libris quatuor admisce
Saponis veneti drachmas duas.
Fiat Fomentum laneis pannis applicandum.

R. Aceti Sambuci uncias duas
Aquæ Florum Sambuci uncias decem.
Salis Ammoniaci drachmas duas.
Vini albi Gallici uncias sex.
Misce pro Fomento.

Cataplasma simile.

R. Florum Meliloti
Sambuci
Altheæ
Chamæmeli
Calendulæ singulorum uncias tres.
Cum aqua decoctis in cataplasma adde sub finem
Farinæ lini unciam unam.
Olei Lini unciam unam, et semis.

APHOR. 438.

Condimentis talibus materiem præbent.

Sal Ammoniacus
Borax

Gemmæ
Nitri
Marinus
Regeneratus residuus à destillatione Spiritus salis Ammoniaci.

Acetum vini.
Calendulæ
Destillatum
Dracunculi hortensis
Lavendulæ
Rosaceum
Rutaceum
Sambucinum
Scilliticum
Theriacale

Spiritus Nitri
Salis
Sulphuris per Campanam
Vitrioli
} Simplex vel cum triplo Alcoholis dulcis.

Vina Rhenana imprimis.

Aromata hic fere propria.

Abrotanum.
Absinthium
Alliaria
Angelica
Balsamica
Carduus Benedictus
Centaurium minus
Chamædrys
Dictamnus creticus
Geranium Robertianum
Lavendula
Majorana
Marrubium album
Myrtus
Origanum
Polium
Pulegium

Rosmarinus
Ruta
Sabina
Salvia
Scordium
Tanacetum
Thuya.

Fomentum putredinem incipientem corrigens.

R. Foliorum Rutæ
Scordii
Absinthii singulorum uncias quatuor.
Menthæ unciam unam
Cum aquæ, et Aceti ana quantitate sufficienti decoctionis vase clauso, libris quatuor admisce
Salis gemmæ drachmas quatuor.
Spiritus vini Theriacalis uncias duas.
Fiat Fomentum.

Cataplasma antisepticum ad Gangrænam.

R. Eadem.
Coque in Cataplasma sub finem addendo
Salis Ammoniaci drachmas quatuor.
Farinæ Lini uncias duas
Olei infusi Rutæ unciam unam, et semis.
Fiat Cataplasma, tempore usus irrorandum
Spiritu vini Theriacalis, vel spiritu vini camphorati tantillo.

APHOR. 448. NUM. 6.

Liquor calidus corruptioni resistens.

R. Aceti dracunculi hortensis uncias sex.
Rosacei uncias duas
Spiritus vini Theriacalis unciam unam.
Salis Marini unciam unam.
Aquæ decoctæ scordii uncias duodecim. Misce.

Escharæ gangrænosæ emolliendæ optima hæc.

R. Foliorum scordii manipulos duos
Malvæ manipulum unum
Florum Lavendulæ
Altheæ, singulorum unciam unam.
Cum Aceto decoctis in Cataplasma admisce
Farinæ lini uncias tres.
Olei Lini unciam unam.
Salis ammoniaci drachmam unam.
Unguentum aureum.
Basilicon.

APHOR. 450.

Cataplasma emolliens, diaphoreticum, anodynum.

R. Foliorum recentium Abrotani marini
Absinthii pontici
Rutæ hortensis

Scordii
Alliariæ
Eupatorii cannabini
Marrubii albi
Nicotianæ, singulorum manipulum semis
Hyoscyami manipulum.

Florum Caltæ terrestris
Centauræ minoris
Meliloti
Matricariæ
Tanaceti singulorum uncias duas
Altheæ
Papaveris erratici singulorum unciam unam.

Cum aqua decoctis vase clauso spatio quartæ partis horæ admisce
Farinæ lini uncias quatuor
Olei infusi Rutæ uncias duas
Aceti Theriacalis
Spiritus vini Theriacalis singulorum unciam unam.
Salis Ammoniaci drachmam unam.

APHOR. 456.

Mistura Cardiaca calida in Gangræna à causa frigida.

R: Aquæ stillatæ Theriacalis unciam unam.

Prophylacticæ Silvii drachmas sex.
Vitæ Matthioli unciam unam
Rutæ uncias novem
Syrupi Artemissæ Fernelii
Radicum quinque aperientium singulorum unciam unam, et semis.
Elixir proprietatis cum sale Tartari preparati drachmas duas.
Misce. Capiat cochleare unum omni octava parte horæ superbibendo unciam unam, vel alteram sequentis
R. Aquæ decoctæ Hordei pintas duas.
Vini Gallici pintam unam.
Zingiberis pulverisati drachmas duas.
Syrupi Botryos uncias tres. Misce.

R. Camphoræ grana octo.
Theriacæ drachmas duas.
Zingiberis drachmas tres.
Misce. Capiatur scrupulus unus omni bihorio.

SPHACELUS.

457 Si gangræna jam in sphacelum conversa, infectum auferendum.

458 Quæ ablatio diversa, prout pars vel tota, vel pro parte affecta, vel prout tota tolli non potest ob situm; ut nates, &c.

459 Si ergo pars non usque in fun-

dum corrupta, aut extirpare nequit, conamur: 1. progressum impedire. 2. corruptum auferre.

460 Progressus tollitur, si communicatio mortui cum vivo aufertur.

461 Id fit, si in vicinia sani, et mali limes ponitur secando, urendo, rodendo; isque undequaque satis profundus.

462 Infectum separatur, si impedito progressu (461) prius, vel simul dum id fit, tota pars usque in fundum sanum uritur, secatur, dein acri lixivio calide applicato eroditur, donec in escharas, assiduo emolliendas (403), et tollendas, usque ad viva consumatur, eximatur. Vitatis summa cum cura vivis.

463 Ubi dein sanitatis, et vitæ indicia redeunt, curandum ut ulcus, vulnusve.

464 Si vero pars extrema in os usque sphacelata tolli potest, salva vita, una cum osse ipso extirpanda erit; quia nudum vasis nutriri nequit, neque vivere potest.

465 Illa extirpatio in digitis, metacarpo, vel metatarso, cuneo peragitur, et malleo.

466 In majoribus vero, ut femore, crure, humero, brachio, eget operosiore molimine, quod intelligitur ex sequentibus.

467 Definitur locus, ubi extirpatio instituenda ex hisce:

1. Sanum maxime conservandum.

2. Corruptum accuratissime simul et semel tollendum.

3. Usus commodissimus parti superstiti procurandus.

468 Ergo in cæteris sectio fiat in sano (*a*) prope ægrum (ob 467. num. 1. 2.); in crure autem sub genu semper (ob 467. num. 3.)

469 Ad amputationis administrationem, et felicem successum intelligendum, attenditur:

1. Ad præparationem.
2. Actionem ipsam.
3. Curationem symptomatum.
4. Consolidationem.
5. Supplementum amissorum.

Præparatio fit:

1. Compressu vasorum magnorum sanguiferorum arteriosorum per splenia applicata pyramidalia, et ligaturam tornando adigendam super his in parte sana prope ægram.

(*a*) Variæ fuerunt circa hanc rem Auctorum sententiæ. Probabilior, et securior, est quæ hic proponitur à Boerhaavio. Metus doloris, et hæmorrhagiæ, quæ ex sectione ista concipitur levari utcunque facile poterit, præsertim, tornatili ligatura quâ magni arteriarum trunci comprimuntur, eademque opera præsis nervis stupor, et insensilitas in parte secanda adsunt.

2. Tractu valido, et æquabili partium incidendarum ope ligaturæ ex corio fibulatæ cum loris.

3. Firmatione cauta ægri, et partis amputandæ.

4. Moderato inflexu partis, ne nimis extensa secetur.

5. Narcotico cardiaco ipsi ægro exhibito.

470 Actio fit in parte præparata (469)

1. Cultro acuto, forti, curvo, in dorso obtuso, bene temperato, fortiter per omnia ad os usque adacto, æquabiliter, et fortissimo applicatu ad os in orbem circumacto, ut una celeri sectione totum periosteum accurate discissum sit.

2. Si duplex in amputanda parte os, interstitia similiter minori, utrimque acuto, cultello quam exactissime dissecando.

3. Dissecta (1. 2. hujus) per ministros fortiter distrahendo, ut hiatus sit inter margines sectionis.

4. Serra acuta, subtili, forti, tensa, os secando, quæ agenda perpendiculari, forti, æquabili motu; incipiendo ab tenuioris dissectione, desinendo in crassissimum, si os duplex; ne vi serræ in festucas fissum dissiliat debilius.

5. Ossa inter secandum per ministros artificiose flectendo, ut liber sit serræ meatus.

471 Symptomatum, extirpationem se-

quentium, primarium Hæmorrhagia semper ilico sistenda:

1. Vasis, jactu sanguinis deprehensis, apprehensis per tenacula elatere compressa, eductis, filo trajecto, et circumducto arcte constrictis, si majora sunt. Aut vas constringendo per filum acubus binis incurvis utrimque ad latera vasis infixum.

2. Cauteriis ignitis applicatis (*a*).

3. Plumaceolis vitriolo imbutis ad vasa, absorbentibus alia ad loca applicatis.

4. Partes vivas, retrotractas (469. n. 2.), laxatas reducendo.

5. Vesicam circumponendo trunco, pulvere adstringente refertam.

6. Ligatura firmante.

7. Somno, quiete, victu sollicite procuratis.

472 Consolidatio fit in osse, si cito curetur exfoliatio, et caveatur caries, quod fit, si ilico ei applicetur spleniolum spiritu vini mastichino madidum.

(*a*) Ista methodus hæmorrhagias sistendi per cauteria ignita eviluit. Prestat id per ligaturas, et similia procurare. Si id per adstringentia apposita intenditur ligatura non debet esse valde arcta. Agaricus ad istud opus præstantissimus. Prudentes chirurgi noctes diesque famulos apponunt, qui blanda manus præsione stipticos pulveres, et reliquum apparatum contineant.

473 In carne vero, ut in historia vulnerum dictum fuit (ab 189. 192. ad 210).

474 Si ægro, sic truncato magnam partem (466. ad 471.), viscera chylopœa, et hæmatopœa valida sunt, plethoræ effectus sæpe sequuntur (106), quibus ut auferatur causa, missio sanguinis aliquoties, pro re nata, instituenda, et victus moderatus.

475 Amissi damnum sarcit imitatio artificialis perditi, per fabricatas machinulas. Vid. Aquapendentem, Hildanum, Solingen, Paræum.

APHOR. 462.

Acre Lixivium.

R. Calcis vivæ ex saxis exustis partem unam.

Hanc tege.

Cinerum clavellatorum partibus tribus.

In loco subterraneo liquefacta, filtrataque serva.

Aut et ipsa calx viva tenuiter in pollinem redacta inspergi poterit.

Sed et pulcherrimæ separationes fiunt, si escharæ mortuæ applicatu putrefacientis remedii mollitæ, in tabum solutæ, diffluentes à sana parte recedunt dum interea vivæ partes fotu vivifico animantur. Vid. 435. num. 2.

APHOR. 469. NUM. 5.

Pulvis cardiacus, calidus, narcoticus.

R. Olei stillati cinamomi guttas duas
Caryophylorum guttam unam
Corticis citri guttas duas
Sacchari puri drachmas duas.
Fiat secundum artem Elæosaccharum, cui admisce
Corrallium rubrorum drachmam unam
Laudani puri grana duo.
Misce. Fiat Pulvis, divide in duas doses.
Capiat unam hora una ante actionem, et si nihil sopivit, alteram quarta parte horæ ante eandem.

APHOR. 471. NUM. 5.

Pulvis adstringens ad sistendam Hæmorrhagiam vulneris externi.

R. Sanguinis Draconis drachmam unam.
Sarcocollæ drachmas duas.
Lapidis Hæmatitis drachmam semis.
Boli armenæ drachmas octo.
Misce. Fiat Pulvis tenuissimus.

Vel.

R. Farinæ volatilis in molendinis vel pistrinis collectæ uncias quatuor.

Colcotharis vitrioli fortiter exusti, et edulcorati drachmam semis.
Misce exacte.

Vel.

R. Fungi Lycoperdi dicti bene maturi atque siccissimi collectum pulverem, eum vulneri insperge, mox aperti interiorem superficiem applica.

DE COMBUSTIONE.

476 Si ignis ardens, vel in fervido corpore latens, corpori nostro (*a*) applicatur, oritur destructio vasculorum, extravasatio humorum, pro varietate causæ (*b*), durationis, partis affectæ, varia.

(*a*) Datur in corpore hominis sani caloris gradus thermometris mensurandus, à quo liquidis, nec solidis aliquid noxæ accidit. Raro etiam in fortissimis hominibus calor ille nonagesimum sextum gradum Thermometri Fahrenheitiani excedit. Ubi vero ultra centesimum gradum in morbis adscendit incipit sanguis, ejusque serum ad coagulationem disponi: si autem centesimum, et vigesimum gradum æquat calor serum sanguinis coagulatur.

(*b*) Purus ignis dubitatur an possit obtineri. Speculis ustoriis collecti Solis radii in foco suo forte purum ignem exhibent. Pabulum quo

477 Hujus (476) varietatis gradus varii similes sunt his, qui decurrunt à prima, et levissima inflammatione, (370. ad 464) usque in sævissimum sphacelum.

478 Hinc phænomena, diagnosis, prognosis eadem.

479 Quin Curatio nihil differt: potus antiphlogisticus semper necessarius.

680 Ustio intra limites resolvendæ inflammationis subsistens (386) curanda his, quæ liquida condiant, moveant, vasa expediant, conservent: id fit igne moderato, fotu, cataplasmate, (395. ad 402.) butyro loto, spiritu vini cum pauco vitriolo (*a*).

ignis sustentatur varium est. Alcohol accensus flammam producit per quam manus movere licet sine damno fere. Aqua vix calescit ultra ducentesimum, et decimum quartum gradum, oleum olivarum vel simile dum ebulit ad sexcentesimum ejusdem Thermometri gradum facit adscendere mercurium. Ferrum ignitum uno momento comburit. Ebuliens pix periculosior oleo, quia illa tenacissimè adhæret; oleum vero citius defluit.

(*a*) Attendendum, hæc omnia hic proposita tantum valere sanguinem aliena vasa ingresum repellendo versus latiorem arteriarum locum constrictione vasorum. Si destructa fuerint vasa, vel coagulata liquida, ut non possit sperari resolutio concreti, nec stagnantibus possit conciliari motus nihil valent; imo obsunt.

481 Ustio itura in gangrænam, crispata jam, et erosa cute, elevatis bullis (*a*), curanda ut inflammatio talis, fotu, cataplasmate, emollientibus, digestivis (402. ad 454).

482 Ustio jam in crustas gangrænosas, vel sphacelatas acta, curanda ut illi morbi (419. ad 476).

483 Nusquam plus prospiciendum pulchritudini cicatricis, quam hic, vid. (217).

(*a*) Bullæ in loco combusto elevatæ non semper notant gangrænam adesse, ad quam cutis subjectæ læsio notabilis requiritur. Bullæ istæ possunt illico pertundi epidermide relicta.

Ambustio, quæ aqua fervida fit fædam cicatricem relinquit. Boerhaavius Papiniana Machina dissilliente fervidissima aqua in faciem injecta fuit, qua et se insinuante intra vestes brachio, et illâ misere combustus fuit. Venæ sectione ad animi deliquium, et purgatione satis forti uteunque in facie liberatus fœda tamen cicatrix in brachio post diuturnam suppurationem relicta fuit. Aqua ebulliens dum in partem quandam corporis decidit illum locum quem primo tangit gangrænosum reddit, epidermidi enim in bullas elevatæ subjacet macula cinerea vel et flavescens, quæ vera eschara gangrænosa est. Hinc maxime cavenda cauteria ex ista, quæ ab aliquibus laudantur ad appoplecticos extempore excitandos. Sat cito, si sat bene.

APHOR. 479.

Mistura refrigerans antiphlogistica

R. Foliorum recentium sedi majoris uncias tres
Contritis expresso succo admisce
Syrupi Rosarum
Violarum singulorum unciam unam.
Nitri scrupulum semis
Spiritus salis guttas decem
Aquæ pluvialis libras duas.

APHOR. 480.

Fotus partem combustam contra putredinem condiens.

R. Aceti Lithargirii uncias duas
Vini Gallici uncias duodecim
Aquæ stilatitiæ florum sambuci uncias quatuordecim. Misce.

Fotus similis, resolvens, emolliens.

R. Florum Sambuci
Meliloti
Altheæ singulorum unciam unam
Cum aqua decoctorum, et expressorum libræ uni, et semis admisce
Spiritus vini Theriacalis uncias duas.

Aceti Sambuci unciam unam
Salis marini drachmam unam.
Linteis calidis applicetur.

Cataplasma emolliens, resolvens.

R. Foliorum Malvæ
Bismalvæ singulorum manipulos duos
Florum Meliloti uncias duas.
Cum aqua decoctis sub finem admisce
Farinæ lini quod suficiat
Spiritus vini Theriacalis unciam unam
Olei lini unciam semis.
Fiat Cataplasma.

Unguentum simile.

R. Butyri recentis quod placeat, cum aqua frigida ablue, donec albescat.

R. Hujus Butyri
Spermatis Ranarum
Succi Sedi partes æquales.
Misce secundum Artem.

SCIRRHUS.

484 Scirrhus (*a*) (392.) pro causa habet quidquid succum in glandulis coagulare, inspissare, siccare, potest. Ejus ergo sedes omnis glandula; sed imprimis quæ liquorem facilius inspissandum habet, vel ratione loci stagnare plus cogit. Unde in oculis, naribus (*b*), ore, mammis (*c*), axillis, inguinibus, pancreate, mesenterio, utero, sæpius obtinet.

(*a*) Hic est ultimus inflammationis exitus. Per scirrhum intelligitur: *Tumor præter naturam durus, et sensu carens.* Omnimode, vel aliquatenus sensu privatus observatur. Hoc casu non exquisitus, et curabilis judicatur: illo insanabilis, et exquisitus. Sedes propria scirrhi glandula videtur esse, sive folicullus cavus, cujus latera omnis generis vasculis constant, et in cujus cavum minimarum arteriolarum oscula hiantia singulare liquidum deponunt per ipsius emisarium exeundum. In aliis tamen corporis partibus scirrhi deprehenduntur, qui claritatis gratia *tumores scirrhoides* nominari possunt.

(*b*) Membrana mucosa narium cava investiens numerosis scatet corpusculis glandulosis; cum autem liquor his glandulis secretus facilime inspisetur scirrhis hic nascituris frequens datur ocasio. Polypi narium ab Hippocrate descripti Lib. II. de Morb. An scirrhi?

(*c*) Quamvis istas glandulosas esse negave-

485 Hinc inflammatio (392); lac stagnans, caseosum, durescens, coagulatum; contusio (324); attritus validus; anthrax; bubo; ulcus præmature clausum; materies atrabiliaria sanguinis, bilisve, maxime cessante consueto menstruo, vel hæmorrhoidali fluxu; lapidescens, crassa, austera, gypsea materies; vita tristis; victus durus; hæreditaria labes, scirrhum creare possunt.

486 Effectus scirrhi nati, occupare

rit Ruischius, fabrica tamen illarum, atque lactis à sanguine secreti indoles faciunt, ut in mammis satis facile scirrhi nascantur. Tumores tamen isti cum in abscesum purulentum ut plurimum degenerent non sunt scirrhi exactè nominandi. Mammarum scirrhi non in vasis lactiferis ut plurimum formantur.

Præter loca corporis hic designata, in aliis etiam scirrhi frequenter observantur qualia sunt Hepar, Lien, Ventriculus, Intestina, Mesenterium, Vesica urinaria, Testes. In his non adeo facile scirrhi nascuntur, quia liquor ex arteriis secretus si quacunque de causa impediatur liber exitus collecti illius in communi receptaculo humoris per venas sanguinem revehentes absorvetur, ejusque resorptionis præsentia per totum corpus facillimè cognoscitur, atque demonstratur. Animalia omnia cœlibem vitam agentia vividiora, agiliora, robustiora, genericè deprehenduntur, quin tales scirrhi in hisce fere unquam observentur.

aucta mole vicina, ea premere, comprimere; lædere functionem scirrhosi, et vicini; hinc inflammationes, suppurationes, gangrænas, paralyses, atrophias, sphacelos, sterilitatem, partum difficilem, volvulum, et multa similia mala producere, quæ ex natura, et officio læsi, et comprimentis, facile deduci queunt.

487 Præsentia scitur, causa (484. 485.), effectu (486), phænomenis (392), loco affecto (484), temperie (*a*) ægri, cognitis.

488 Ex iisdem (487) eventus præsagitur, considerando durationem mali, et effectus (486). Sunt per se innocui, evadunt motu incitato maligni.

489 Qui sæpe vitari impos æternum metum parit.

490 Unde Curaturus notet:

1. Scirrhum, si recens, benignus, loco idoneo situs, nondum perfecte durus, in homine euchymo, tentandum emolliente, resolvente medela; quo fumi acidi (*b*), et vis mercurii imprimis spectant.

(*a*) Atrabiliaria temperies scirrhis producendis maximè favet. Aph. 485. Inst. Med. §. 896.

(*b*) Saponis veneti in lacte solutio adeo spissa, ut pultem tenujorem referat spongia excepta, et loco scirrhoso applicata optimum remedium est. Fumi acidi, et imprimis fermentatione ex vegetabilibus parati, aceti nempe plurimum

2. Si non cedit his, si locus, situs, vicina, mobilitas, conditio mali, robur, et valetudo ægri permittunt, ocyus ferro integre eximendus est.

3. Si vetus, colore, duritie, scabritie, pruritu, inchoato dolore malignus, loco vel vicinia timendus, adhærescens; in corpore cacochymo, extirpatu impossibilis; tum omnia vitanda, quæ motum augent, ne carcinoma fiat. Ideo emollientia, suppurantia, rodentia, caustica, dissipantia, mala sunt.

4. Sed sola tum (490. 3.) anodyna, sedantia motum, Saturnina, Mercurialia blanda conveniunt.

491 Si simul temperies peccat, hæc corrigenda præ cæteris.

profuerunt in scirrhis resolvendis. Galenus voluit emollientium applicationem interpolari usui illorum, quæ scirrhi materiam attenuare, et incidere valent, atque inter incidentia præ reliquis *Acetum* laudat.

Recentiorum observata id etiam confirmant. Gummi ammoniacum, galbanum .. aceto soluta, et acido acetoso saturata concreta ista dividere, et attenuat valent. Acetum etiam sale alcalino purissimo saturatum pro usu interno prodest.

Mercurialia in scirrho benigno, et incipiente, valenti in provectiori nocent. Ipsum Emplastrum de Ranis cum Mercurio dubium est.

APHOR. 490. NUM. 1.

Fotus ad scirrhum resolvens, emolliens.

R. Florum Altheæ
Chamæmeli
Meliloti
Sambuci, singulorum manipulum unum.
Centauræ minoris manipulum semis.
Foliorum Absinthii
Marrubi albi
Rutæ
Sabinæ singulorum manipulum unum.
Radicis Bryoniæ albæ uncias quatuor
Angelicæ sativæ unciam unam.
Cum aqua decoctis vase clauso, et per pannum expressis libris quatuor admisce
Spiritus vini Theriacalis uncias quatuor.
Applicetur pannis laneis ad cutim nudam superapponendo extrinsecus supra pannos vesicam suillam expansam, atque pauxillo olei prius inunctam.

Cataplasma simile.

Ex iisdem coque cum suficienti quantitate aquæ Cataplasma, sub finem addendo

Gummi Galbani in vitello ovi subacti uncias tres
Farinæ lini uncias duas.
Olei Lini uncias tres.

Emplastrum simile.

R. Gummi Ammoniaci
Galbani
Sagapeni
Opopanacis singulorum uncias duas.
Leni igne in testa soluta depura, tum admisce acurate
Vitellorum ovorum bene contusorum numero quatuor.
Ceræ citrinæ uncias duas.
Farinæ radicis Bryoniæ albæ uncias tres
Olei infusi Rutæ quod suficiat.
Fiat secundum Artem Emplastrum.

APHOR. 490. NUM. 4.

Victus esto ex lacte recenti, lacte ebutyrato, et sero lactis.
Ex jure carnium quarumcumque recentium de quadrupedibus, et volatilibus.
Ex frumentaceis, Avena, Hordeo, Milio Phalaride, Secali, Tritico, Zea.
Ex oleribus Aph. 35. num. 1.
Ex fructibus mitibus, maturis, horæis, acido dulcibus, inprimis coctis.
Ex hordeatis, Panatellis, &c.

Potus esto Decoctum ex Radice Chinæ Sarsaparrillæ, lignorum Santalorum trium &c.

Decoctum anodynum in scirrho non movendo.

R. Seminum papaveris albi contusorum uncias duas.
Radicis Fœniculi uncias quatuor.
Florum papaveris erratici drachmas sex.
Foliorum Malvæ manipulum unum.
Cum aqua decoctis vase clauso, spatio quartæ partis horæ pintis duabus admisce
Syrupi papaveris albi uncias duas, et semis.
Bibat subinde uncias tres vel quatuor.

Pulvis similis.

R. Spermatis ceti
Coralli rubri
Stibii diaphoretici, non abluti singulorum drachmam unam
Laudani puri grana duo.
Misce. Fiat Pulvis tenuissimus dividendus in quatuor doses æquales:
Quarum unam capiat, mane, et vesperi, urgente dolore.
Hæc pro internis.

Externe fomentum simile.

R. Florum Hyoscyami
Meliloti

Papaveris Rhæados
Sambuci, singulorum pugilum unum.

Cum aqua decoctis vase clauso pintæ unæ, et semis admisce

Aceti Sambuci
Rosacei singulorum uncias duas

Spiritus vini rectificati drachmas quatuor.

Unguentum Anodynum Saturninum blandum ad Litum.

R. Aceti Lithargirii unciam unam.
Olei expressi seminum Hyoscyami
Papaveris albi
Rosarum infusarum singulorum drachmas duas.

Fiat secundum Artem Nutritum, cui sub finem admisce

Opii purii grana sex.

Emplastrum.

Emplastrum de Minio
Unguentum Diapompholygos.

Emplastrum Anodynum, blandum motum sedans, ad Scirrhum nec resolutione, nec extirpatione medicabilem.

R. Succi recentis expressi, et puri

Foliorum Hyoscyami
Papaveris hortensis
Phellandrii singulorum uncias quatuor.

Leni igne coque, inspissa, sub finem admisce

Ceræ albæ uncias octo,
Olei infusi Rosarum unciam unam.

Fiat secundum Artem Emplastrum.

Emplastrum Saturninum, Mercuriale blandum.

R. Sacchari Saturni
Cerussæ
Amalgamatis Mercurii, et saturni singulorum drachmas duas
Ceræ albæ uncias quatuor
Olei infusi Rosarum drachmas duas.

Misce. Fiat Emplastrum.

CANCER.

492 Scirrhus (392), ætate, augmento, motu vicinorum si movetur ita, ut vasa vicina ad margines scirrhi inflammari incipiant, evadit malignus, et vocatur jam Cancer à similitudine, vel Carcinoma (*a*).

(*a*) Morbus iste omnium, quibus humanum

493 In quo (492) gradus inflammationis vicinæ ; acrimoniæ putridæ excessus in loco affecto ; dignitas partis ; glandularum nexarum numerus, et conditio; temperies totius, diversos malignitatis primæ status docent.

494 Si suis continetur pellibus, Occultus, his ulcere ruptis, Manifestus vel Ulcerosus dicetur ; posterior primi soboles.

495 Causa est quidquid scirrhum facit (484. 485.), acre scirrho mistum ; mutatio in circulantibus, à menstruis, hæmorrhoidibus, hæmorrhagia qualibet, retentis ; sterilitas, coelibatus, effoeta ætas à 45. ad 50. annos ; victus austerus, acer, calidus ; affectus animi tristes, et biliosi, irritatio externa quælibet, motu, calore, acrimonia, emolliente, suppurante, caustica, vesicante medela externa, vel interna similia peragente.

496 Locus ut Scirrhi (484).

497 Cognoscitur Occultus ex signis

corpus afligitur calamitosissimus nunquam hactenus sanatus nisi una cum vitio pars vitiata tolli potuerit. Pertinacia, qua ad omnia rebelis manet, diri cruciatus, putredo intolerabilis, tormentorum diuturnitas . . morbum istum metuendum, terribilem, horridum . . . decernunt. Hæmorrhagia quæ aliquando erosis vasis

scirrhi (487) prægressi, accedente titillatione, pruritu, calore, rubore, dolore lancinante, urente, pungente, colore rubello, rubro, purpureo, cæruleo, livido, atro; duritie summa, prærupta, scabra, cum eminente apice; tumoris augmento; vasis sanguiferis vicinis tumentibus, nodosis, varicosis, crassis, atris.

498 Ulceratus noscitur ex prægresso occulto prius cognito (497), si aperitur: pellis tum quasi excoriando denudatur, et tenuis, acer, ichor, quasi transudando exprimitur.

499 Ejus hic progressus: vasa sana circa margines cancri duri vi fluentis vitalis liquidi attrita, et assurgente tumore distracta rumpuntur, hinc putredo, tum sanies subtilis, acris, fœtida, cadaverosa, ambientia rodens, vicina exedens, progressus in ambitum, et in profundum ad partes vicinas emittendo undique radices malignas, quibus tenet fortiter, labia tumida, retorrida, horrenda, dolor intolerabilis, urens, pungens, rodens, color cineritius, lividus, niger, cancri occulti ad glandulas communicantes, hæmorrhagiæ, convulsiones, febris lenta, extenuatio totius, *anosmos*, indolentes in aure

majoribus contingit mortem accelerat, et horrenda præcavet simptomata.

calli, lipothymiæ, inde peresis, et consumptis mors (*a*).

(*a*) Minimi cancri summis rodentibus, vel et vivo igne simul, et semel destructi aliquando sanati fuerunt. Boerhaavius acerrimo vitrioli oleo (acido sulphurico) parvum, sed malignum tumorem in naso externo feliciter sanavit, ita referente van Swietenio hic. Nonne præferendum cauterium actuale solare, seu illud, quod vitro solis radios colligente procuratur, methodo Peyreana? Vid. Mem. de la Soc. de Med. de Paris Tomo I. pag. 296.

Infusiones solani maniaci, seu belladonæ, cicutæ extractum . . nunc recens laudata insufficientia, inutilia sunt, et quia confidentia in illis nimia operationem retardare solet, perniciosa . . . ita chirurgo *Louis* annotante in Aphor. 507.

Hodierna Chemia aliqua proponit fortè non spernenda. Applicatio acidi carbonici *gaseosi* seu lotura cum aqua isto acido impregnata : Acidum muriaticum putredinis cadaverosæ ægregius domitor hic forsitan poterunt accomodari. Hinc præparata ex isto, inter quæ *barys nuriatica*, *et murias mercurialis* eminent hic tanti usus. Utinam chemia ista inter tot acida, quæ hucusque postliminio revocavit, et invenit specificum aliquod feliciter adinveniat pro isto malo teterrimo, indomabili . . . cicurando. Ita faxit Divina Misericordia in solamen languentum miserrimorum.

Aqua frigida pro unico potu, et pro alimento unico à celebri Chirurgo Puteau proposita prodesse poterit, et ego ipse profuisse vidi.

Sanatio Atossæ Cyri filiæ, Darii uxoris peritia Medici Democedis ab Herodoto (Lib. III.)

500 In Euchymis (*a*) occulti cancri quiescentis facilis toleratio, moti rabies (499) prædicitur.

501 Cancer parvus, incipiens, liber, loco apto situs, vasis magnis non adcretus, à causa externa ortus, in juvenili, sanoque corpore, solus in toto corpore, illico ferro extirpandus, vel abscindendus est (*b*).

502 Emollientia, emplastica, suppurantia, acria, excoriantia, vesicatoria, caustica, ei applicata convertunt in cancrum ulceratum; ergo vitanda.

503 Cancer magnus, vetus, adhærens, locis extirpationi ineptis situs, vasis magnis adcretus vel incumbens, à causa interna ortus, in corpore senili, cacochy-

narrata placet, ast remedia non fuerunt posteritati tradita, quod maxime præstitisset narratione historicæ hujus Facti. Pulvis indolens cum auctore sepultus, cujus meminit Helmontius, inter desiderata reponendus.

Per *anosmos* intelligitur olfactus ablatio. An fœtor intolerabilis quem cancer ulceratus spargit olfactum horum miserorum tandem tollit? Ita videtur. An forte *indolentes in aure calli* sunt incipientes scirrhi folliculorum, qui in meatu auditorio hærent?

(*a*) Per Euchymiam intelligitur blanda indoles sanguinis, omniumque humorum qualis in sanissimis semper adesse solet.

(*b*) Quando cancer est jam ulceratus, vel

mico, ad cancrum composito, aliis jam cancris in eodem corpore sociatus, nec ferro (501), nec medicamentis (502) tangendus est.

504 Ni enim cum radice, et semine integre extirpari queat, asperabitur, ad interiora recurrit, alios generat, factos auget.

505 Causa cancri tollenda cum cancro, vel antequam tollatur ille.

Nisi integre auferri queat, relinquendus est.

Uteri, faucium, palati, axillarum, inguinum insanabilis; labiorum curatu difficilis.

506 Ergo in statu (503) adspiramus ad duo: 1. quietem mali. 2. lenimen symptomatum.

507 Quies impetratur: 1. locum defendendo ab omni externo per plumbata, et narcotica. 2. causam (495) cognitam minuendo, corrigendo, avertendo: quo lenia purgantia ex blandis vegetabilibus, mercurialibusque faciunt, parva, et sæpe geminata dosi data. 3. diluenti-

quando cutis cancro adhæret ferro extirpandus; si vero sana est cutis, minimeque adhærens cancroso tumori, abscindenda cutis, et enucleandus tumor, tuncque dicitur extirpari cancrum per abscissionem.

bus, aperientibus blandis, subalcalicis. 4. vitando, quæ sumpta, vel applicata vicem causæ gerunt (*a*).

508 Symptomata iisdem (507) leniuntur; dolor opiata exigit.

509 Exulceratus (498. 499.), ni tolli queat, lenitur sæpe mundando, plumbata lenissima applicando, tum dicta (507. 508.) adhibendo.

510 Extirpatio (*b*) fit: 1. Corpus victu, medicamentisque refocillantibus, et causæ adversis præparando. 2. totum simul, et semel cum omni radice filo trajecto, vel furcilla suffixa elevatum exscindendo, vel detectum incisis integumentis, filo trajecto attollendo, et deinde prudenter separando. 3. vulnus rara, blandaque obligatione curando, vicino cruore prudenter prius evacuato.

511 His actis (510), diu pergendum in victu, et medella cancro adhuc præsenti propria, quin et patet, quæ mala à cancro in loco extirpationem renuente prodire queant.

(*a*) Hoc totum est quod ab arte hactenus cognita in diro hoc morbo expectari poterit. Ita suum claudit commentarium van Swietenus. Nihilominus vide Notam in Aphor. 499.

(*b*) Recentior Chirurgia simpliciora ista, securiora, minusque dolorifica reddidit, ita *Louis* hic adnotante. Consulatur igitur chirurgia ista.

APHOR. 507. NUM. 1.

Vid. Emplastrum Aphor. 490. num. 4.
Aqua stillata spermatis Ranarum
Sperma Ranarum.

APHOR. 507. NUM. 2.

Pulvis purgans in cancro nondum exulcerato.

R. Resinæ Jalappæ grana sex.
Diagrydii grana septem.
Stibii Diaphoretici nondum abluti grana viginti quatuor.
Misce. Fiat Pulvis.

Similis Mercurialis.

R. Mercurii dulcis grana quindecim.
Diagrydii grana duodecim.
Misce. Fiat Pulvis.
Capiat semel in septimana.

APHOR. 507. NUM. 3.

Decocta ex Bardana.
China.
Fœniculo.
Petroselino.
Sarsaparrilla.
Scorzonera.

Pulvis aperiens blandus.

R. Antimonii Diaphoretici nondum abluti grana octo.
Spermatis ceti drachmam unam.
Misce. Fiat Pulvis, divide in duas doses
Sumat unam manè, et vesperi.

APHOR. 509.

Fomentum lene, saturninum, anodynum.

R. Aquæ stillatæ Papaveris Rhæados
Rosarum
Sambuci singularum uncias duas
Sacchari Saturni drachmam unam
Tincturæ opii drachmam unam
Spiritus vini Theriacalis drachmas duas. Misce.

Linimentum Saturninum, lene.

R. Aceti Lithargirii drachmas sex.
Olei Rosacei drachmas quatuor.
Fiat Nutritum.

DE MORBIS OSSIUM.

512 Ipsa Ossa morbos patiuntur similes iis, quos hactenus in mollioribus partibus descripsimus (*a*).

513 Nam interstitia horum vestiuntur membranula eodem vasorum genere instructa, iisdem liquoribus perpetuo allatis humectata, ac illæ.

514 Et prout hæc spatiola (513) majora, eo os ibi propius accedit structuræ partis mollis.

515 Ideoque aptius ibi (514) pati eos morbos, qui aliter molles partes occupare dicuntur (*b*).

516 Talis est latior circa juncturas

(*a*) Utilissima est horum morborum pertractatio ut postea plurima intelligi melius possint, quæ in Lue venerea, Rachitide, Scorbuto . . . observantur. Ignorabit Medicus?

(*b*) Adsunt enim hic vasa, et humores æque ac in partibus mollibus proprie dictis. Omnia ergo quæ in præcedentibus de nimis debili, vel et nimia firmitate vasorum dicta fuerunt, omnesque spontaneæ humorum degenerationes pariter hic locum habere poterunt. Poterit humorum motus per hæc vasa nimis incitari, vel et nimis tardus esse. Obstructio, solutio continui, inflammatio, et omnes ejus sequelæ pariter ob eandem rationem æque in ossibus, quam in partibus mollibus adesse poterunt.

pars, quum densior, minusque vasculosa sit in osse medio.

517 Hinc (514. 515. 516.) prima morborum in ossibus distinctio (*a*).

518 Ossa, præter vasa mollibus communia (513) partibus, in suis cellulis latioribus (516) habent vesiculas oleo subtuli medulloso, ibi secreto, et in suos usus asservato, plenas; hæ vesiculæ, majores circa juncturas, circa densitatem ossis sensim abolentur, et in canales pingue vehentes tenuissimos versæ, evanescunt fere.

519 Hinc (518) altera morborum in ossibus classis.

520 Habent ossa periosteum externum convexa ambiens, tegens, vasa arteriosa in cellulas, inque medullam ferens, venosa excipiens, magna, parva, numero infinita.

521 Hinc (520) iterum morborum tertia series in ossibus.

522 Habent ossa periosteum internum cava medullæ receptacula ambiens, te-

(*a*) Ut aliquid distincti in morbis ossium tradendis habeatur necesarium est illos in quasdam clases disponere prout variæ partes ossium fabricam, *et contenta* constituentes affectæ sunt. Diversi enim penitus horum morborum erunt effectus, et alia requiritur curatio prout hæ, illæve partes laborant.

gens, vasa arteriosa in vesiculas medullosas distribuens, venosa excipiens, magna, parva, numero infinita.

523 Hinc (522) quarta morborum in ossibus divisio.

524 Habent ossa in suis cavis infinitas vesiculas oleo subtili medulloso plenas, id asservantes, distribuentes, et inter se mutuo, et inter lamellarum interstitia, et in cava juncturarum, et per poros rectos. Hæ vesiculæ arterias, venas, lymphæ ductus, adiposos ductus, nervulos, membranulas habent.

525 Hinc (524) quinta et ultima, ex hac divisione, morborum in ossibus differentia (*a*).

526 Si medullosum (518. 524.) oleum in suis vesiculis, emissariis, vel in ossium interstitiis stagnat, calore et motu vitali acre, putridum, saniosum fit; secretionem novam impediet; vasa adferentia, secernentia obturabit; vesiculam suam inflammabit; dein suppurabit; vel gangrænosa

(*a*) His omnibus præmisis evidentior haberi poterit morborum in ossibus observatorum diagnosis; atque ex iisdem firmior patebit prognosis horum morborum varios eventus designans, simulque indicationes curatoriæ in singulis aliquando diversæ, ex Artis regulis poterunt determinari.

putredine corrumpet liquida, et vascula; hinc ossea ipsa substantia vasis orba, liquido vitali privata, acribus erosa, in cineritiam quasi calcem vertitur, ubi tenuissima, id est in cellulis apophysium; sic dolor, calor, pulsatio, tumor, abscessus, caries contingit pessima. Stagnatio hæc ab omni obstructione oriri potest (vid. cap. de Obstr.) Si autem ex interno malo, tum fere Spina Ventosa (*a*) audit.

527 Liquet signa hujus mali, et status (526), esse signa inflammationis profundæ, nec ad tactum externum sævientis.

528 Prognosis ex difficili separatione, abstersione, emundatione, mala multa, et difficillimam curationem prævidet.

(*a*) Per istam intelligitur ossis corruptio à vitio in ipsa medulla nato originem ducens, quod sensim progrediendo per totam ejus substantiam pergit donec eraso, vel à tumente ossis substantia distracto periosteo dolor, et tumor incumbentium fiat. Hæc à carie distinguitur, quia ista ab exterioribus incipit. Hæc veteribus Græcis nota; descriptio illius apud eosdem non invenitur. Rhaces Medicus Arabs illam primo descripsisse creditur. Marc. Aur. Severinus spinam istam *Pædarthrocacen* vocari voluit, quasi puerorum ad articulos malum, quia et pueris familiare, et circa articulos frequentius observatur. Retinendum tamen *spinæ ventosæ* nomen huic malo à laudato Medico Arabe ipsi impositum.

529 Curatio optima tentatur : 1. omnia vasa largissime implendo decoctis ex his, quæ valide penetrant, multum abstergent, putredini resistunt. 2. dein valide movendo cuncta per methodum sudorem exprimendi vapore calido artificiose ad corpus applicato. 3. simul tum, dum sudor fluit, motum determinando ad locum affectum per topica fomenta, et applicatione determinata vaporis calidi ad partem illam.

530 Hoc modo (529) si diu continuetur, sæpe multum boni fit, maxime si diæta simul tenuis, et putredini oleosæ adversa, instituitur (*a*).

(*a*) Methodo ista solent semper ematiari quammaxime ægri omni fere pingui corporis soluto, et per sudores diflato : cumque præcipua morbi malignitas à corrupto oleo pendeat merito vitanda pinguia omnia, ne morbi materiam augeant. Juscula ergo carnium omni pinguedine solicite ablata, panis biscoctus, hordei, avenæ, oryræ, milii decocta, panatelæ, fructus horæi bene maturi præcipue hic conveniunt. Pro potu serum lactis, debilius guajaci decoctum additis pasulis majoribus, glycirrhiza . . . præstant.

Purgans hydragogum semel in septimana; lenia anti-scorbutica, et partis affectæ obvolutio continua penetrabilissimis fomentis ex aceto, sale, urina sana, ruta, alliaria . . . prodesse poterunt.

531 Si textura arteriosa, vel venosa, ut et lymphatica, (513. 516. 520. 522.) obstructa fuerit, defectu novi, vel stagnatione allati liquidi, iterum in iis partibus oriuntur similes omnino morbi ordine tantum mutato (526).

532 Quorum (531) ergo diagnosis, prognosis, curatio, eædem (529. 530).

533 Patetque, maximum periculi discrimen hærere in diversitate loci (518. 520. 522. 524.), ubi prima mali causa ortum sedemque habet. Quibus primo præmissis clarior doctrina.

534 1. Inflammatio ossis benignior à periosteo externo inflammato oritur, cujus infinitæ causæ, (vid. totam histor. Inflammat.) notique effectus.

2. Cognoscitur per signa inflammationis profundæ ad tactum aucta.

3. Prævidentur plurima mala (531. 526.), ni ocyus sanetur.

4. Curatur ut inflammatio, maxime id agendo, ut totum avertatur ab osse extrorsum; quod fomentis, et aliquando facta incisione fit.

Malo isto in acmen perducto, tota fere medulla corrupta, et vitalibus vasis per illam dellatis penitus destructis, prædicta jam nihil valent, imo obsunt. Terebratio ossis, qua imitatur Artifex Naturæ vias, quibus eroso osse aliquando expurgatur omne corruptum, aliquando succesit.

535 Talem inflammationem vergere in abscessum docent: 1. signa valida inflammationis prægressæ. (534. 2.) 2. pulsatio, febris, horripilatio vaga. 3. absentia signorum resolutionis (386).

536 Re autem ipsa adesse docent signa suppurati profunda (387. 405).

537 Tum pus, exeso periosteo, os nudabit, vasis privabit, corrumpet (531) brevi, confer (406).

538 Quare ilico abscessus aperiendus (*a*), pus eliciendum, ulcus mundandum, (403. 404. 409. 410. 411.) dein simul os tractandum iisdem cautelis, ac in vulneribus Capitis cum cranio detecto dictum. (252. 253. 259. 260. 262. 266).

539 Vergere autem illam inflammationem (534) in gangrænam partis, docent: 1. signa summæ inflammationis (388. 422.) 2. indolentia partis sine bona causa. 3. Tumor densus, lentus, nec multum dolens incumbentium.

540 Adesse jam, scimus ex iisdem

(*a*) Audax incisio omnium incumbentium, ut puri exitus fiat, et accesus detur ad os affectum maxima prudentia tentanda cum in hujusmodi casibus, et medentium fama, et ægri vita sæpe periclitentur. Attendenda serio verba illa Celsi de membrorum extirpatione loquentis: *Nihil interest an satis tutum præsidium sit, quod unicum est.* Lib. VII. Cap. 33.

(539), tum ex colore incumbentium pallido, cineritio, livido.

541 Tum os nudum, vasis, succoque vitali orbum, acri putrefacta materie gangrænosa exeditur in cariem (526); serpit cito contagio crescente.

542 Ergo statim locus affectus ad os usque incidendus, mundandus, os vero curandum ut supra dictum (248. 249. 252. 258. 259. 260. 261. 262. 266).

543 Si periosteum internum (522) inflammatur, causas agnoscit easdem (534); effectusque habet, quoad os internum, eosdem; exitum in abscessum, aut gangrænam eundem (535. 539); sed ob denegatam exhalationem, pejorem; unde medulla tota, totum inde os, fœtidissima putredine, et carie pereunt.

544 Unde etiam liquet, sive membrana hæc (522) primo ipsa inflammetur, sive à corrupta prius medulla contagio suscepto læsa fit, eundem brevi oriri morbum ossis cariosi à medulla putrefacta, vix unquam curabilem.

545 Cognoscitur id malum, quando in inflammatione subsistit hactenus: 1. à signis inflammationis generalibus (382). 2. à loco profundo. 3. à dolore obtuso, fixo, diuturno, nulli remedio externo cedente, nec ad attactum aucto. 4. sed post motus musculares increscente.

546 Sanatur tum: 1. curatione ad in-

flammationem generali (à 395. ad 401). Deinde, simulac apparuerint resolutionis incipientis signa (386) 2. methodo proposita (529), stricte satis observata.

547 Si vero suppuratio hic, vel gangræna acciderit, et per prægressæ inflammationis internæ signa (545) valida, tum ex dolore fixo, profundo, obtuso noscitur, vel methodus (529), vel nihil sanat.

548 Tum enim putrefacta tota mole ossis interna, tumefacto, inflammato, carioso interno osse, periosteum externum inflammatur, distrahitur à tumore, eroditur ab acri, incumbentia, lento contagio corrupta, spongiosa fiunt, tument, dolent, totum membrum perit: sola Extirpatio sanat.

549 Qualitas venerea, scorbutica, rachitica, est causa frequens: inde intelligitur, quid sit gummi (*a*), tophus, nodus, exostosis, abscessus (*b*), caries, spina ventosa in osse!

(*a*) Gummi, Tophus, et Nodus non diferunt nisi mollitie illius, et majori horum firmitate. Ossa aliquando mollescunt, et instar ceræ degenerant. An acida sanguinis cacochimia ossium mollitiei causa aliquando esse possit? Ita videtur, cum in debilibus pueris, quibus acidum prædominatur Rachitis, et ossium nimia flexilitas toties observetur.

(*b*) In cellulosa ossium parte prope juncturas, et mediis ossium majorum cavis inflam-

550 Hinc novimus, cur os cariosum colorem suum tam varie mutet, ex subcæruleo candido in album pinguem, flavum, cineritium, lividum, nigrum? et quem corruptelæ gradum singuli denotent?

551 Ex iisdem liquet, cur os cariosum inæquale, asperum, spongiosum, friabile, molle, fragile evadat? arteriæ externæ, et internæ, lamellas ossis non plus comprimunt.

552 Item, cur fœtorem singularem rancidi lardi exhalet?

553 Nec non cur in loco ulceroso à subjecta carie caro superincumbens mollis, flaccida, fungosa, inflata, tumens; labia ulceris inversa; sanies clara, subtilis, vix glutinosa, fœtida, parvis squamulis nigris referta; recrudescentia sine causa; pertinax rebellio contra medica-

matio nata transire potest in abscesum. Præterea etiam ipsa ossis substantia *abscedere*, licet improprie dicitur, quando una, vel plures lamellæ ex quarum adunatione ossa constituuntur mortuæ, et corruptæ à vasis vivis suppositis solvuntur, et separantur, atque deinde regeneratur similis lamellis his separatis substantia; cui nova periostei textura increscit, sicque integre restituitur illud quod perierat. Hyppocrates ossium abscesus jam cognovit. (Aphorism. VI. 45.) Exostosis suppurata est proprie ossis *abscesus*; et caries, *ulcus*.

menta optima (*a*) ad alia omnia ulcera?

554 Ut et, cur caries à causa externa facile; ab interna difficulter; à lue Gallica difficilius; à spina ventosa difficillime sanetur?

555 Denique, cur in parte solidiore ossis mala; in spongiosa pejor; in juncturis pessima, prima lenta, altera velox, ultima velocissima sit; cur in pueris velox, et curatu difficilis; cur spina ventosa plerumque pluribus locis simul, vel successive?

556 Qui his (ab 512 ad 556) dicta de contusione (325), luxatione (ab 358. ad 370), fracturisque (ab 339. ad 358.) ossium adjunxerit, tum ea, quæ de vulneribus Capitis ossa lædentibus (ab 249 ad 297), habebit historiam, et curationem morborum præcipuorum in ossibus. Inprimis si *ancylosis* (*b*) additur. Quæ immobilitas

(*a*) An Assa fœtida interius sumpta ossium cariem emendare poterit? Mem. de la Societ. de Med. de Paris. Tom. II. p. 247. Hoc certè erit tentandum; aliter ulcus manebit insanabile.

(*b*) Dixerat Hippocrates Aph. V. 25. *Tumores in articulis, et absque ulcere dolores frigida multa affussa levat, et minuit.* Hæc incipiente malo prodesse possunt. Aucto ipso embroche (Affusiones) ex aquis mineralibus calidis lento stillicidio ex alto in partem affectam delapsis, multum levaminis, imo et integram

articulationis cum tumore duriori. Callo fracti ad articulum ossis, inspissato linimento Haversiano, ligamentis rigescentibus, exostosi ad juncturas, inprimis originem debet. Difficillima curatio petenda ex diversitate causæ.

557 Qui vero omnes morbos, hucusque descriptos, oculisque subjectos intellexit ita, ut horum enarratas causas, naturam, effectus, curationem cum cura expenderit; dein autem internis tectisque corporis partibus eadem omnia applicuerit; cum actione integrarum comparaverit; atque deinde cum ipsis internorum morborum phænomenis composuerit; videbit interna externis reapse congruere; externos chirurgicos primo pertractandos; nec aliter ordinati quid, vel veri, in Praxi Medica fieri posse, aut doceri (*a*).

aliquando curationem attulerunt. Aqua calcis vivæ una cum salis amoniaci lixivio ex alto in locum affectum depluens summum remedium attenuans liquoris haversiani non absorpti, et indurati merito habetur à *Petito*, qui lanceola pertundendum tumorem usque in cavum articuli voluit in loco maxime declivi, ut contento liquido exitus concilietur. Num in vicinia appertura ista per setaceum præstaret?

(*a*) Recta methodus à Boerhaavio §. 16. proposita jubet Morbos chirurgicos primo esse pertractandos, et addiscendos antequam ad Morbos medicos internos, abstrusos, dificilimos inda-

APHOR. 529. NUM. 1.

Infuso-decoctum abstergens, antisepticum, in spina ventosa.

R. Ligni Guajaci viridis ponderosi rasi uncias decem.
Salis tartari drachmam semis.
Cum aquæ communis libris sex spatio viginti quatuor horarum digestum in diplomate, decoque spatio duarum horarum, sub finem admiscendo
Spiritus vini rectificati uncias quatuor.
Ebulliant iterum parumper, tum exibe.
Super residuo decocti novæ aquæ libræ tres affusæ ebulliant per quator horas.
Prioris decocti uncias quatuor sumat quater de die vacuo stomacho; mane hora septima, dein hora undecima, iterum quarta pomeridiana, et ultimo hora septima vespertina.
Altero decocto utatur pro potu quotidiano.
Sic ex ligno Juniperino, Sassafras, Buxi, Quercino, &c. Decoctum fieri potest. Lintea his decoctis madida Fomenta sunto.

gandos procedatur. Illi morbi diversis Profesoribus amandandi, ut quique sua classe emineant; aliter confusio, lites, rixæ. . indecorè, inutiliter, atque pecaminose emergent. Vide quæ circa hanc rem in hujus Voluminis III. Præfatione jam dictum.

DE MORBIS INTERNIS ET DE FEBRIBUS IN GENERE (*a*).

558 Febris, frequentissimus morbus, inflammationi individuus comes, plurium morborum, mortis, et sæpe sanationis, optima causa, nunc explicanda.

(*a*) Postquam explicati fuerunt Morbi simplicissimi solidarum partium corporis humani, uti etiam illa vitia, quæ humoribus spontanea degeneratione accidunt; simulque absoluta fuit historia Morborum externorum, sive chirurgicorum, quorum nempe causæ, et præcipui effectus sensibus patent; agendum nunc est de Morbis internis, quorum causæ magis abditæ dificilius cognoscuntur, cum sæpe in intimis corporis humani penetralibus reconditæ lateant; imo etiam et harum causarum effectus minus obvii sensibus, læsarum functionum observatione, et comparatione similium malorum, quæ partibus externis corporis accidunt fere tantum poterunt detegi.

Initium in horum tractatione sumpsit Boerhaavius à FEBRE. Licet enim ejus natura satis abdita sit, diversissimis sæpe phœnomenis stipata, neque semper facile sanabilis, in his omnibus à reliquis internis morbis non difert; ast omnes istos superat in eo quod requiratur hu-

559 Cujus quia abdita habetur natura, summa ope cavendum ab omni errore, in illa indaganda.

jus cognitio ad reliquos morbos intelligendos; febris enim ut in textu dicitur, et experientia confirmatur omnium morborum frequentissimus morbus est, omnesque inflammatorios comitatur semper, reliquos quam sæpissime, ut jam ab Hipp. adnotatum per ista verba: *Primum autem à communissimo morbo Febre incipiam: ille enim morbus insidet omnibus aliis morbis; præsertim vero inflammationi.* De Flatib. Cap. III. Febrium ergo historia præmitenda videtur, ex Aph. 16. num. 4.

Febris à fervore, seu calore, vel à februando id est lustrando, vel purgando deduci potest. Prior derivatio tamen præferenda. Morbus iste aliquando mortem, aliquando sanationem aliorum morborum producit. Hoc verum est, et experientia confirmatur Hippocrate variis locis anotante, Celso anuente, et Sidenhamo ulterius confirmante, et aserente febrim esse: *Naturæ instrumentum, quo partes impuras à puris secernat; à natura illam concitari, ut heterogenea materies ipsi inimica secernatur, vel ut sanguis in novam aliquam diathesim immutetur.* Hinc tot laudes, totque vituperia in febrem emanarunt. Vid. Werlhof Observ. de Febrib. Richter. Opuscul. Med. Tom. II. Pag. 122.

In febre à causa externa seu ab eo, quod non præextitit in corpore ante febrim natam non semper adest illa horripilatio. Uti v. gr. dum quis summa, et subita ira excandescens febricitat nulla horripilatio sentitur; sed calor tan-

560 Errori tamen facilem hic occasionem præbet ingens numerus symptomatum, quo plerumque stipatur, et sine quibus tamen febris esse potest.

561 Ut ille vitetur, opus erit ex infinitis (560) illa phænomena sola eligere, quæ omni febri semper adsunt; quorumque cognita præsentia omnes Medicos docet, febrim adesse, quorum absentia judicant hominem à febre immunem esse.

562 Dein ex his detectis (561) riteque expensis, natura febris individua invenienda erit.

563 In omni Febre à causis internis

tum. Validissimus, et diuturnus corporis motus acutissimam, et sæpe subito letalem febrim accendit, et tunc nullus frigoris sensus adest. Aliquando rigor iste, sive horripilatio febrim in toto suo cursu, vel in maxima ejus parte comitatur; hoc in Epiala febre, in Hemitritæis..

Pulsus velocitas mensuratur excesu celeritatis, quo pulsum in eodem homine sano superat; qui pulsus variat admodum ratione ætatis, temperamenti, animi adfectuum . . . quod probe notandum. Boerhaavius alibi dixerat Principum Archiatros pulsuum numerum eorum intra datum tempus debere exquisite addiscere. Inst. Med. §. 219. Albertus Haller. (El. Phys. Lib. VI. Sect II. §. XVI.) hac de re exquisite tractavit Keplerum citans tamquam primum, qui pulsuum in dato tempore numerum definire suscepit (Astronom. Lib. III. pag. 111.)

orta horripilatio, pulsus velox, calor, vario febris tempore, vario gradu, adsunt.

564 In qua febre hæc tria (563) velociter, et cum periculo decurrunt, illa Acuta dicitur.

565 Ubi tarde, idque cum periculo, vel sine eo (*a*), Lenta vocatur.

566 Utraque (564. 565.). Communis sive Epidemica, vel huic illive homini Singularis.

567 Acuti febriles morbi vocantur, quos dicta febris (564) comitatur, Chro-

quem alii postea secuti sunt ut Floyer, Schwencke, Rovinson . . . et nuper Cl. Franciscus de Sauvages pendulum cum pulsu carpi Isochronum pro pulsilogio proposuit. Hæc tamen Res pro diversis circunstantiis admodum variare potest, et variat. Nihilominus in homine sano adulto quiescente varietas inter sexaginta, et octoginta pulsus continetur. Supra, et infra numeros istos jam pulsus aliquid præternaturale habet. Solanus noster de Luque ab Hallero ibi laudatus §. 19. Doctrinam istam de pulsibus qua ad significationem maxime ilustravit.

(*a*) Sola tarditas suficit ut febris *lenta* vocetur. Quartana vix letalis æque longis morbis adnumeratur quam febris *Hectica*, à qua paucissimi evadunt. Optime hinc morbos longos definivit Celsus, *sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est.* Non ne aptius morbus *longus* vocandus, qui tarde, et sine periculo ut quartana; et *lentus*, qui tarde, et cum periculo procedit, ut hectica?

nici febriles autem, in quibus adest febris (565).

568 Hinc illorum omnium (567) explanatio pendet à cognita prius febris natura.

569 Quæ petenda ex consideratione trium communium symptomatum (563).

570 Quæ (563) quidem in omni febre adsunt, sed sola velocitas (*a*) pulsus adest ex his omni febris tempore, ab initio ad finem, eaque sola Medicus præsentem febrim judicat.

571 Adeoque quidquid de febre sic novit Medicus, id vero omne velocitate (*b*) pulsuum sola cognoscitur. A morte cessat omnis febris.

(*a*) Febris adest licet nullus observetur calor, ut apparet in summo frigore quartanæ, quo tempore febris jam adest, cum pulsus tunc citatus sit (Aph. 749.) Morbus, qui *Typhus* nominatur à febrium clase eliminari potest ex Visone à Sauvagesio citato, vel si mavis erit forte exceptio unica regulæ hujus generalissimæ. Sauvagesius tamen ipse ait *in Typho pirexia nulla aut exigua.* Clase II. Ordine I. Genere IV.

(*b*) Motus corporis auctus, animi affectus, plenior cibus . . . accelerant, etsi leviter arteriæ motum : febrim ergo licet levem excitabunt : cum illa nimis aucta, et gravia febrem maximam absdubio producent. Functionum læsiones variæ varias absdubio febrium species designabunt. Ipsa pulsus aucta velocitas læsio est actionis cordis, adeoque ex ipsa hac sim-

572 Causa ergo velocitatis hujus (571) proxima est pariter causa febris, sic cognitæ, proxima.

573 Ergo velocior Cordis contractio. Igitur affectio vitæ conantis mortem avertere, tam in frigore, quam in calore.

574 Ergo velocior reciprocus influxus liquidi nervosi, et cerebellosi in musculos, et sanguinis in vasa, et cava Cordis.

575 Omnis fere febris hactenus observata, quæ à causa interna oritur, incipit primo cum sensu Frigoris, concussionis, horripilationis, majori, minori, brevi, diuturno, interno, externo, pro varietate subjecti, causæ, febris ipsius.

576 Quo tempore (575) velox, parvus, sæpe intermittens pulsus, pallor sæpe extremorum, frigus, rigor, tremor, insensilitas.

577 Unde liquet, stagnare tum humores sanguineos in extremis vasculis (*a*),

plicissima sui natura sub generali morbi definitione comprehenditur, et stricte loquendo nunquam febris est absque alicujus saltem functionis læssione. A morte cesat omnis febris, quia sola pulsus velocitas à morte una cum febri cesat aucto frigore sensim, et aliquando, quanvis rarius diu adhunc superstite calore satis intenso, ut in variolis, peste . . . demortuis fuit observatum.

(*a*) Stagnatio ista à convulsione, seu spasmo eorum vasculorum etiam pendere poterit.

et simul tamen causam cor irritantem (574) adesse.

578 Ex quibus (577) causa omnium phænomenon (575. 576), tum apparentium, intelligitur.

579 In omni febre, his (575. 576. 577) prægressis, oritur Calor, major, minor, brevis, diuturnus, internus, externus, universalis, vel loci, pro varietate febris.

580 Qui (579) quum sequatur febrim jam natam, patet magis ejus effectum, quam causam, vel naturam esse.

581 Adeoque velocior Cordis contractio, cum aucta resistentia ad capillaria, febris omnis acutæ ideam absolvit.

582 Horum vero (581) utrumque in animali vivo produci potest ab causis numero, et varietate infinitis; tumque vel simul, vel seorsum fieri; unoque nato, facile alterum sequetur.

583 Quare febris causa proxima (581) infinitas causas pro suis proximis agnoscit.

584 Quæ tamen dividuntur, quod vel singulares sint cuique; vel universales, pluribusque communes, quæ plerumque aëri (*a*), victui, vitæ eidem debentur.

(*a*) In aere sæpe talis causa hæret, non à qualitatibus ejusdem sensibilibus precisè: sed à quibusdam corporibus gaseosis præsertim, à sola Chemia, an ab observatione sola? potius ab

585 Ergo febris causæ Singulares sunt, vel Epidemicæ.

586 Propiores singulares causæ (583) referri possunt ad quædam capita (*a*): *a* Ingesta, acria (*b*), cibi, potus, condimenti, medicamenti (*c*), vel veneni titulo, ea-

utraque simul indagandis. Causa ista in plurimis hominibus in eodem loco degentibns febrim excitat iisdem fere stipatam symptomatibus in omnibus ægris, et eandem curandi methodum requirens. Victus præsertim in urbibus obsesis : vita seu vitæ genus ut in Artificibus communes morbos producunt. Vid. Ramacin.

(*a*) Plurimæ ex illis causis, quæ hic recensentur non excitant febrim in omnibus ; sed tantum, vel saltem frequentissime in prædispositis. Sic difficilis digestionis cibi non in omnibus febrim excitant : dura enim mesorum ilia hæc ferunt ; sed debili ventriculo languens homo pessime ab illis afficietur. Qui summis æstivis caloribus validos motus exercent non omnes inde febricitabunt ; sed maxime periclitantur illi, quibus plethora adest, vel nativa temperies in calorem vergit.

(*b*) Negari nequit acrium ingestorum partem quandam blandis humoribus mixtam, et dilutam se sanguini aliquando insinuare posse. In hominibus sanis, et fortibus levis talis acrimonia in sanguinem recepta actione vasorum, et viscerum, et blandorum humorum miscela copiosa brevi subigitur, vel expellitur de corpore : quandiu tamen hæc, nondum deposita sua indole in sanguine hærent stimulo suo circulationis velocitatem augere poterunt.

(*c*) Hoc de purgantibus, et vomitoriis præ-

dem donata hac proprietate, ut digeri, moveri, excerni nequeant; aut ea copia assumta, ut irritent, suffocent, obstruant, putrescant: *b* Retenta intra corpus, quæ excerni solebant, ob frigus, unctiones, animi (*a*) affectus tristes, cibos, potus, medicamenta, venena, aërem nebulosum pinguem, quietem, exercitia solita remissa, obstructiones, compressiones à contentis, vel ambientibus: *c* Gesta, ut motus nimius animi, vel corporis, calor, æstus: *d* Applicata externa, acria, pungentia, rodentia, lacerantia, urentia, inflammantia: *e* Quæ humores, horumque motus

sertim intelligendum, hæc enim dum operantur nimias excitant turbas in corpore, et motus circulatorii velocitatem augent.

(*a*) Validi animi motus efficacissima causa sunt accelerati motus circulatorii, qui cordis frequentiorem contractionem suponit, ergo et febrim. In sanissimo enim homine ob atrocem contumeliam illatam summa irâ sæpe nascitur, et febris, et à sola mutata cogitatione totum corpus turbatur. Pulchre de animi affectibus dixit Galenus (Meth. Med. Lib. XII. Cap. V.) *quod in illis omnibus ipsa per se ipsam moveatur anima.* Nihil enim adest corporei, quod tantos motus facit, ipsa enim recordatio toleratæ olim injuriæ diu sopitos tumultus renovare valet. Animi autem motus nimii magis nocent, quam nimius corporis motus, uti optime notavit Sanctorius, quia quiete et somno corporis motus noxa compesci potest, animi non ita.

valde immutant, ut multa externa, vel interna, fames (*a*), evacuatio, pus, aqua, ichor hydropicorum, Empyematicorum, serum acre alicubi collectum, bilis (*b*) accensa, inflammatio, suppuratio, gangræ-

(*a*) Fames est sensatio illa, quæ monet nos, novo alimento indigere corpus ad restituenda illa, quæ ipsius vitæ, et sanitatis actionibus perierant de corpore. Dum autem fames diu tolleratur, blando chylo ex ingestis facto non demulcetur sanguis, omnes humores acriores fiunt, et in putredinem vergunt: halitus tunc fœtere incipit, urina acris redditur, sitis adest, et nascitur febris ob auctam sanguinis, et omnium humorum acrimoniam. Hyppocrates dixerat (Lib. de Carn. Cap. VIII.) *septem diebus* nihil comedere vel bibere mortale. In actibus Apostolorum Cap. 27. legitur ducentos, et septuaginta sex homines qui quatuordecim dierum spatio nihil cibi sumpserant periisse nullum. Fortunius Licetus mirabilia, et portentosa circa abstinentiam refert in libro quem inscripsit: *de iis, qui diu vivunt sine alimento.* Patav. 1612.

(*b*) Bilis ex sua natura acris, si quacunque causa in majorem acrimoniam evehitur accendi dicitur quia tantas in corpore turbas excitat, ut calidissimæ sæpe febres ab hac causa oriantur. Æstivi calores bilem exasperant, quæ nisi sponte, vel Arte evacuetur in principio talium morborum diutissimè affligunt hæ febres, et circa finem morbi putridissima bilis facta diarrhæam concitat. Purgans quo accumulari jam incipiens bilis evacuatur antequam turgeat, tollit hæc mala.

na, cancer, vigiliæ nimiæ, acriora cujuscunque rei studia, venus nimium culta (*a*), &c.

587 Febris effectus, celerior liquorum expulsio, propulsio, stagnantium agitatio (*b*), omnium permistio, resistentis subactio (*c*),

(*a*) Hac in Re surdis ut plurimum fabula narratur. Nihilominus Medici debemus scire ut incontinentes minitemur non solum febres utcumque ab ista causa nasci, sed alia etiam gravissima tormenta. Inst. Med. §. 766.

(*b*) Bilis Cystica v. gr. in proprio sibi receptaculo stagnat : aucto motu per febrim in motum etiam ista deducitur. Quantis cum turbis bilis sæpe per febrim sursum, et deorsum expellatur de corpore nimis notum est. Tenacissima atrabiliaria sanguinis fæx, quæ per annos sæpe immota hæret per validas febres aliquando solvitur, movetur, et horrenda mala producit (Aph. 1104.) In iis casibus in quibus febris causa est hujus perturbationis administranda emesis, ut bilis ista mota excernatur de corpore? Minime. In hoc casu sedanda febris est per sua Antidota, atque placandæ bilis istius officinæ à febre motæ, atque agitatæ. Boerhaavius alibi dixerat indicantia vomitorii vomitoria exigere, quando ea febris non commitatur, multoque minus, quando illorum omnium febris causa censenda (Inst. Med. §. 1202.) Quot errores, quam enormia facinora ex ignorantia horum dogmatum nasci possunt, imo nascuntur!

(*c*) Maximi momenti est ille febris effectus, et ob hujus neglectum turpissimi sæpe commi-

coctio (*a*), secretio cocti, crisis (*b*) ejus, quod

tuntur in praxi medica errores. Sic enim observatur facta esse ab adorando Creatore Natura nostra ut novi excitentur motus in corpore, vel augeantur illi, qui adsunt dum aliquid applicatur corpori quod æquabilem circulationem humorum turbat sive stimulo suo, sive obstaculo. Hic etiam repetendum in oprobium Phylosophiæ hodiernæ dictum Helmontii viri alias heterocliti : Natura est : *jussum Dei, qua Res est id quod est, et agit quod agere jussa est.*

A copioso nimis cibo, et potu, crudi chyli nimia quantitas sanguini miscetur, observaturque semper duabus, vel tribus post pastum horis febricula, qua fit hujus chyli resistentis subactio. Dum in frigore febris intermitentis stagnant humores sanguinei in extremis vasculis illud resistens per febrim ipsam subigitur, et reddit circulationis æquabilitas finito paroxismo. Ob hanc causam monuit Sidenhamus periculum esse per corticem peruvianum uno omnino ictu paroxysmum jam instantem confodere.

(*a*) Coctio à febre producta diversa est à coctione alimentorum, alimenta enim per coctionem in naturam nostram convertuntur ; illud vero, quod stimulo, vel coagulo febrim produxit quando per febrim ipsam sic mutatum est ut minus noceat, et aptum evadat ut de corpore expelli possit, tunc dicitur *coctum* quamvis nunquam in naturam nostram converti possit, neque indolem sanis humoribus similem adquirere. Distinctionis gratia coctio, qua asumpta in nostram naturam convertuntur posset vocari *Pepsis*, et Coctio, sive maturatio causæ materialis febris *Pepasmos.*

(*b*) Circa istud judicium vide, quæ alibi

stimulo, et coagulo febrim produxerat, sanorum mutatio in morbosam indolem; sanorum mutatio in indolem aptam fer-

dicta sunt. Inst. Med. §. 736. num. 5. §. 921.

An illa, quæ de morborum crisibus tradiderunt veteres sic observentur revera in morbis, qui hoc tempore ocurrunt? Negari non potest revera crises observari in morbis, atque illarum cognitionem Medico utilissimam esse. Ita profert van Swietenius hic laudans veterum Medicorum in observando diligentiam præ nostra, cui respondet nostra major in medendo (an in perturbando?) oficiositas. Refert deinde, quæ ipse in ægris suis peragebat, omnia sedulo scribens, et concludit per hæc verba serio à nobis perpendenda, et imitanda: placebat, inquit, hic labor, quia commissos in morbis curandis errores, sic optime detegere poteram, et vitare in posterum, uti etiam quod non auderem *magni Preceptoris* petere consilium, quo toties indigebam nisi accuratam haberem morbi historiam. Optimus enim ille vir, qui titubanti sæpe discipulo in gravioribus casibus compati noverat severo vultu excepisset minus in re adeo seria atentum.

Doctrina ista crisium discimus quomodo, et per quas vias natura morbos sanet, simulque monemur ne importuno sæpe artis molimine turbemus illam dum huic operi intenta est ut prudentissime monuit Hyppocrates (I. Aph. 20.) Dum sollicita observatio docuit quo versus natura vergat, et per quas vias noxios humores edducere tentet has expedimus idoneis remediis, mobilem conamur reddere materiam, omniaque illa cavemus, quæ prævissæ tali in morbis eva-

re ea, quibus minus adsuetus erat æger (*a*); liquidissimi expressio; reliqui incrassatio; sitis, caloris, doloris, anxietatis, debilitatis, lassitudinis, gravitatis, *anorexias* productio.

cuationi obesse possent. Nihilominus humana imbecillitas evitare non potest quin aliquando aliquis in his error contingat. Hic tamen error familiarior erit imperitis Medicis perfunctoriè ista omnia atendentibus, qui non credunt se ex arte procedere nisi clysmata imperent, venam secent, vomitoria exhibeant, cucurbitulas applicent . . . verbo : illis, qui juxta Galenum *quoties ad ægrum accedunt toties peccant.* (Lib. 1. De Diebus Criticis Cap. 11.).

Laudatur hic à van Swietenio Franciscus Solano de Luque, Medicus Hispanus, qui licet minus eruditus evincit ex illo *quam pulchre illa quæ à Veteribus circa crises in morbis tradita sunt augeri posse dum morbi in toto suo decursu sollicite observantur.* James Niheli Medicus Anglus Antequeram adiit ubi Solano degebat, cum illo conversatus fuit, consuluit testes, quos nominaverat ille in *Lapide Lydio* qui omnes rei veritatem confirmaverunt, quam etiam in ægris Medicus Anglus observavit.

(*a*) Hoc accidit quando per febrim sanguis in novam aliquam diatesim immutatur, ex Sidenhamo (Sect. I. Cap. 4.) Observavit vir iste quod homines insignem mutationem passi in usu rerum non naturalium febre corripiantur per quam dein apti evadunt tolerare ilia, quæ antea absque sanitatis detrimento ferre non poterant. Hoc in peregrinantibus ut plurimum ob-

588 Quo lentor citius solvendus (577), et irritatio brevius sopienda (574), eo febris levior, brevior, magis salutifera, et contra. Quin etiam pro vario utriusque gradu, et concursu, varia erit.

589 Atque hinc febris sæpe medicamenti (*a*) virtutem exercet ratione aliorum morborum.

590 Hinc initia, incrementa, status, decrementum, crisis, mutatio, sanatio febris, varia sunt in ipsis acutis, et singularibus.

servatur. Qui in Nosocomiis ægrotantibus asistere incipiunt ut plurimum febre, quam nosocomicam vocant corripiuntur, post quam sani deinceps degunt. Legitimæ variolæ homines relinquunt aptos ad tolerandum hujusmodi contagium absque noxa.

(*a*) Medici sæpe in curandis morbis febrim faciunt licet non semper forte de hac re cogitent. Acerrima aromata, purgantia, vomitoria antimoniata... frictiones validæ, et diuturnæ... pro curatione morborum rebellium, et diuturnorum illam efficiunt. Ad febres lentas homotonas, seu sine remisione curandas C. Celsus voluit ut Medicus morbum mutet continuum in intermitentem: *Corpus perfrigerando ut horror oriatur, et fiat initium novi motus, exque eo, cum magis corpus incaluit sequatur etiam remisio. Sed*, concludit tandem *est circunspecti quoque hominis, et novare interdum, et augere morbum, et febres accendere; quia curationem ubi id, quod est non recipit, potest recipere id, quod futurum est* (Lib. III. Cap. IX.)

591 Febris desinit in mortem, alium morbum, inque sanitatem.

592 In mortem vitio destructi per nimiam vim solidi; aut peccato liquidi ita depravati, ut vasa obstruat vitalia, aut ea, per quæ nova liquida in locum perditorum ingeri debent. Hinc inflammationes, suppurationes, gangrænæ febriles in visceribus vitalibus, corde, pulmonibus, cerebello; vel ulcera aphthosa in primis viis causa frequens mortis ex febre.

593 In alium morbum desinit, dum vel agitatione nimia vasa lædit, et liquidiora dissipans reliqua inspissat; vel nimis debili actione impar est resolvendo sua vi coagulato; vel deponendo materiem criticam in vasa quædam obstructa, dilatata, vel rupta; hinc maculæ rubræ, pustulæ, erysipelas (*a*), morbilli, variolæ, phleg-

(*a*) Erysipelas viscera aliquando ocupare potest. Hippocrates pulmonis erysipelas descripsit (Lib. I. de Morb. Cap. VIII.) Dificultas maxima est cognoscendi febrim erysipelatosam quando materies erisipelas producens non ad exteriora vergit; sed viscus aliquod adgreditur. Utcunque istud cognosci, vel suspicari licet dum populariter grasatur erysipelatosa febris in illis, qui hujus symptomata patiuntur, quin Erysipelas extro vertatur; quo casu tota cutis externa vaporis balneo laxanda, et interius assumenda illa, quæ materiem istam erysipelato-

monæ, bubones, parotides, abscessus (*a*), gangrænæ, sphaceli, scirrhi, &c.

594 Terminatur in sanitatem, 1. quo-

sam expelere, et evocare posse creduntur, ut sambucus . . . sed hæc ut plurimum inertia, et inutilia. Hinc forte (ait hic van Swviet.) aliquando improvisi, et funestissimi in febribus eventus, quæ tamen nec vehementia, nec symptomatum commitantium malignitate metuendæ videbantur; dum nempe Erysipelas encephali membranas occupat, et subito nato delirio necat. Probe memini, me tales casus aliquoties vidisse, sicque didicisse, ne temere imperitiæ, vel negligentiæ accusarem alios Medicos, quibus ægri præter spem, forte simili de causa, erepti fuerant.

(*a*) In febribus aliquando observatur verum pus, et magna quidem copia deponi satis subito in quasdam partes corporis, atque inde eductum fuisse, licet nulla inflammatio in his partibus prægressa fuisset, et nulla signa docuissent in aliis corporis locis pus illud collectum latuisse prius, quod dein venis resorptum ad hæc loca deponi potuisset. Hinc credidit van Swietenius causam materialem febris per febrim sic subigi, et mutari posse ut puris analogam naturam acquirat licet adhuc cum reliquis humoribus per vasa fluat; et deinde deponi illud pus jam factum in quædam loca corporis, non vero illud gigni in illis partibus corporis, in quibus collectum invenitur. Veterum Medicorum Hippocratis nempe, et Galeni observationes id evincunt. *Urina copiosa, et crasa, et alba reddita liberat ab abscesu* pronuntiavit Hipp. in Aph. (IV. 74.)

ties materialem febris causam sua vi subigit, solvit, mobilem reddit, insensibilis perspirati (*a*) specie expellit, simulque impetum suum, æquabili circulatione reddita, sopit. Hæc est resolutionis via, similis fere in toto, ut prius dictum de parte. (386) Aut etiam 2. si materies mali ejusdem vi febris subacta, soluta, mobilis reddita, tamen aliquam retinet dotem, qua æquabili circulationi repugnat, vasa stimulat (*b*), hinc excitata sensibili quadam evacuatione expellitur; hinc sudor, saliva, vomitus (*c*), diarrhoea, urina, post

(*a*) Curatio ista in febribus levissimis spectari potest. Cave ne hinc resurgat fatale dogma quo solis diaphoreticis omnes febres debelari proponebatur Helmontio vaferrimo, iniquissimo . . . præeunte, in cujus refutatione tædet immorari.

(*b*) Materia morbi per febrim subacta ita tamen ut sanis humoribus asimilari nequeat, tunc instar peregrini stimuli turbat corpus, et sensibili quadam evacuatione de corpore expelli debet ut sanitas redeat. Hinc mobilis jam, et vaga novas molestias facit, et perturbationes illas excitat in corpore, quæ *criticæ* dicuntur merito, quia evacuationes criticas ejusdem materiæ præcedere solent, et aliquando commitari. Ob hanc causam dixit Hipp. (II. Aph. 13.) *Nox ante crisim gravis*, seu molesta, quod etiam inteligendum de die molesta et gravi, si noctu crisis expectanda, et exequenda.

(*c*) Evacuationes istæ maxime prossunt si

coctionem, et statum, fere intra quatuordecim dies facta crisi.

595 Tandem, si materies mali ejusdem vi febris subacta, soluta, mobilis reddita, sanis iterum assimilata humoribus, fluit sine ulla crisi, aliove morbo.

596 Genius, discrimen, duratio febris acutæ, si observantur (*a*) ab initio, per adscensum, usque ad statum, docent ejus exitum, mutationem, finem.

597 Ideoque ex omnibus his (ab 558. ad 597.) enarratis generalia dignosios, et prognosios dogmata in febribus facile elici queunt.

598 Curatio optima febrium generalis obtinetur, si 1. Vitæ, ejusque viribus consulitur. 2. Acre irritans corrigitur, expellitur. (574). 3. Lentor dissolvitur, expellitur (577). 4. Symptomata mitigantur (587).

599 Vitæ et viribus consulitur, cibis et potibus fluidis, facile digerendis, pu-

post coctionem, et statum natura jam superante morbum fiunt, quando enim in morbi augmento accidunt symptomaticæ censendæ. Pulsus intermitens, tensus etiam seu durus vomitum criticum præsagit; non durus, et intermittens vomitum ex Solano nostro.

(*a*) Maximi momenti est hæc regula tota sua extensione sumpta. Observatio ista Medicos efficit: inobservatio empiricos.

tredini adversis, siti contrariis, appetitui citando idoneis (*a*), causæ morbi cognitæ oppositis (*b*).

600 Cibus dandus eo tempore, quo abest febris, aut quo ejus impetus saltem erit lenior.

601 Et quidem copia parca, sæpe repetita: ne nimis laborare cogantur viscera, mutenturve.

(*a*) Febricitanti si porrigantur carnes assæ horrebitt, si lac ebutyratum, decoctum hordei cum succo citri, fructus horæi bene maturi, aut similia dentur assumet alacritèr. Unde ipse ægrorum appetitus solet sæpe Medicos docere quænam sic optima sint. *Paulo deterior tum potus, tum cibus suavior tamen melioribus quidem, sed ingratioribus præferendus.* Ita Hippocrate (II. Aph. 38.) pronuntiante. Damnandi ergo sunt Medici, qui in his nimis severi piaculum crederent si vel minimum ægrotantium desideriis concederent, quod vel artis regulis, vel sæpe præconceptæ tantum hypotesi repugnare videtur. Media ergo in iis via incendum est: turpe enim est ingenuo serviliter subscribere omnibus, quæ ægri expetunt; sed æquè noxium, et Medici famæ insidiosum est, si morosa severitate salutares quandoque naturæ instinctus contemnat semper.

(*b*) Causarum varietas curationem realiter variare facit. Hoc Medici veri sciunt, atendunt, et exequuntur. Empirici, Helmontio duce, unica falce, remedio nempe sudorifero, omnes febres curare insulse, ridicule, atque perniciose gloriantur.

602 Copia determinatur, et vis cibi 1. ex prævisa duratione febris (588. 589. 590. 596. 597) ad dies, 1, 4, 7, 9, 11, 14, 21, 30, 40, 60; debet enim tantum dari, quo vires sustineri queant, ut sufficiant coctioni, et crisi. Quo brevior morbus, eo minus et debilius offerendum, et contra. 2. ex ætate ægri cognita; quo enim origini propiora, vel senectuti summæ, eo difficilius inediam ferunt animalia. 3. Status et vehementia morbi si cognoscuntur, varium copia et virtute cibum postulant: in *acme* tenuissima, et pauca; in adscensu et descensu eo plus, et meracius dandum, quo magis ab ea distat morbus. 4. à loco quem æger incolit, qui enim æquatori vicini tenuem victum facile, polis autem propiores difficulter eum ferunt. 5. ab anni tempestate, quum æstas tenuissima, hyems validiora petat. 6. à consuetudine (*a*) ægri, et temperie ejusdem naturali; qui enim sanus lautissimis usus ea facile difflat, æger pluribus eget ob

(*a*) Hic verissimum est effatum Hippocratis asserentis (Lib. I. Epid.) *morbos cognoscimus edocti ex communi omnium natura, et cujusque propria.* Et Celsi Medicum asserentis *communia* non oportere negligere; sed in *propriis* quoque insistere debere. *Ideoque*, concludit, *cum par scientia sit utiliorem tamen Medicum esse amicum quam extraneum.*

vasa et viscera his assueta. 7. à sensu levi, vel gravi assumpta sequente.

603 Acre irritans externe hærens, (ut vitri, metalli, ligni, lapidis, ossis, fragmenta acuta; aut stimulantium, rubefacientium, rodentium, vesicantium, causticorum, septicorum, venenatorum applicata), cognitum, quantocyus auferendum; dein ille locus, cui inhæserunt, et læsus inde est, fovendus erit lentis, mucosis, oleosis blandis, anodynis, leniter aperientibus.

604 Acre irritans interne hærens, (ut inflammationis, suppurationis, gangrænæ, sphaceli, cancri, cariei ossis, ichoris, puris, lymphæ acris et stagnantis acrimonia) tolli, vel corrigi debet juxta leges ante datas in historia horum morborum præmissa. Si acre Epidemicum, vel venenatum, corpore receptum vitam irritat, id ex lege epidemicis præscripta tractari debet, (1407 ad 1412).

605 Acre irritans in ipsa liquida inductum usu sex rerum non naturalium tolli, vel corrigi potest, et debet, pro sua indole varia cognita, variis auxiliis.

1. A motu nimio; quiete (*a*) corporis et

(*a*) Optima circa motum, et quietem Hippocrates, et Celsus nobis reliquere documenta. *Post nimium motum jejune dormiendum est.* ait

animi, humectantibus, diluentibus, blandis lenientibus.

2. A nimio calore aëris; temperando illum exhalatione frigidæ, maxime plantis nonnullis, huic propriis negotio; potu aquæ subacidæ leviter nitrosæ, cum vini (*a*) subaciduli pauxillo; cibo subacido, leviter demulcente, parum salito; medicamentis vero similibus.

3. A nimis humido (*b*) aëre; largo foco ex aromaticis resinosisque lignis; exhalatione aromatum.

4. Ab aëre acri putrefaciente; hunc emendando accenso nitro, pulvere pyrio, vapore aceti, sale (*c*) prunis insperso.

5. Ab animi affectibus; hos sedando

Celsus, *multo magis si etiam os amarum est . . . Post iter primum sedile, dein unctio.*

(*a*) Hippocrates in febribus ardentibus vinum Thasium vetus viginti quinque partibus aquæ dilutum exhiberi jussit. Lib. III. de Morb. Cap. ultimo. Medicus Hispanus Geronimo Pardo tractatum edidit lectu dignissimum: *del vino aguado*, de quo jam alibi dictum. Acidula autem vina imprimis hic laudantur, quia omni putredini resistunt.

(*b*) Recentior chemia varia hydrometra proponit, quibus humiditas aeris exploratur. In cubiculo privato corpora illa, quæ ob siccitatem aquam aeris imbibunt præferenda.

(*c*) Varia circa hæc adnotata sunt ad §. 752. Inst. Med. Inter admixta aeri, quæ illum pe-

ratione, contrariis affectibus, varietate objectorum, anodynis, opiatis.

6. A cibis acribus acidis; id acre di-

sundant, et in eo latent sunt efluvia varia acida, alcalina, putrida . . . noxia, atque deleteria quæ sagaciter cognoscenda, et gnaviter debellanda sunt. Ad ista efficienda hodierna chemia est absolutè necessaria. Sit pro exemplo aer nosocomicus exhalationibus putridis inquinatus, et aer alicujus Basilicæ efluviis cadaverosis admodum infestus. Suffumigia, quæ alias parabantur inutilia, et noxia esse demonstravit chemia recens; oxigenium enim in combustione consumunt, et gas acido carbonico atmosphæras istas particulares onerant. Boerhaavius jam proposuit ad istam correctionem asequendam acida ex sulphure, sale marino . . . deprompta. (Aph. 88. num. 2. 3.). Posterior chemia demonstrat quinque unciis salis marini, seu culinaris leviter madefacti, et in capsula calido cinere puro semi plena possiti, et super infussæ unciæ duæ acidi sulphurici, seu olei vitrioli communis statim decomponitur sal marinus, unitur basis hujus vitrioli acido, et sic acidum muriaticum avolat, et raptim efluvia alcalina putrida, cum quibus magnam affinitatem habens unitur, ea enervat, et aeri puritas conciliatur.

Decem, vel duodecim transactis horis aperitur templum, et infectio omnis putrida, atque cadaverosa disparuit.

Operatio ista à chemia recentissima proponitur; sed jam à Boerhaavio multo antea tempore indicata fuit per ista verba: *Sale pru-*

luendo, demulcendo, absorbendo, immutando in salem compositum; aquosa, gelatinosa animalium, oleosa, cretacea, ostracodermata, lapides animalium, terræ pingues, sales alcalini fixi, volatiles, simplices, compositi, id efficiunt. Vid. (60. ad 69).

7. A cibis acribus salinis, eam acrimoniam diluendo per aquosa, tumque evacuando simul; demulcendo per lenta, oleosa; corrigendo per lixiviosa (*a*) ex calce viva.

8. A cibis acribus aromaticis calefacientibus; diluendo per aquosa; corrigendo per acida; resolvendo et detergendo per saponacea acida; demulcendo per blanda gelatinosa. Quum alcalescentia acria huc spectent, et illa hinc intelliguntur.

9. A cibis animalium ex partibus alcalescentibus; per ea, quæ descripta (76. ad 91).

10. A cibis copia peccantibus, sto-

nis insperso. Est facilis admodum licet cautè facienda, et absdubio Medico scitu necessaria ad lustrandam Ecclesiam populi, ubi suam exercet scientiam si id fuerit necessarium.

(*a*) Vid. quæ circa hanc rem dicta sunt §. 1175. Inst. Med. Egregius Medicus Bullet frequentissime, et in variis morbis hoc Lixivium adhibuit sine damno, licet non responderit sem-

machum constringentibus ; dilutione , inedia , vomitu (*a*) , solutione alvi.

11. A potu acri fermentato , vel fermentante (*b*) , acido , oleoso , aromatico, destillato vel simplici inducta acrimonia tollitur iisdem remediis (n. 5. 6. 8. hujus).

per magnificis de eodem promisis. In calidæ temperiei hominibus , in morbis putridis . . suspectus est ejus usus ; in pituitosis , frigidis , acido laborantibus satis profuturum videtur , et imprimis laudatur ad extricandos sales muriaticos fixiores in sanguine hærentes ex Boerhaavio in chemia. Si forte quædam putredinis signa in urina , quæ sedulo examinanda est appareant ab ulteriori ejus usu abstinendum videtur.

(*a*) Aliquando ventriculus nimis adeo repletur , ut sic claudantur sua orificia , ut nihil exire possit. Idem infortunium accidit aliquando illis qui aquas medicatas simul et semel nimia copia hauriunt. Tum larga sanguinis missione vasa depleantur , et dein plumula irritando fauces vomitus movendus. Emetica , et cathartica simul prudentèr administrata Valentèr proderunt ; periculum enim hic in mora est. Dosis , qua prescribuntur vomitoria à Boerhaavio hic in Mat. Med. nimia est. Vid. Sylloge.

(*b*) Per fermentationem nascitur novus quidam , et mirus stimulus etiam in illis rebus, in quibus antea nulla omnino apparebat acrimonia. Uvarum succus , mollissima hordei farina , dum fermentant . . . id evincunt. Ille pessimum venenum est. In alcohole ex liquidis fermentatis producto aliquid forte illius spiritus

12. A nimia vigilia ; curatur iisdem, ac (num. 1. 2. 5. hujus).

13. Si à retentis intra corpus excrementis acrimonia alcalina , acida , oleosa, saponacea putrida ; hæc reddenda fluxilia ; viæ lubricandæ , emissaria aperienda; vires expellentes stimulandæ , augendæ; hæc facienda per externa , interna.

606 Emissaria aperiuntur solvendo impactum ; laxando obstructum ; id balneo , fotu , frictu , abrasione pilorum, mundatione cutis fit. Vid. (107. ad 144).

607 Id quod ad extrema vasorum conicorum stagnat ex nimia sanguinis copia , qua vasa comprimuntur , reducitur in fluorem imminuta sanguinis copia per sectionem venæ ; id docent signa plethoræ. (106. ad 107).

608 Quod ibi hæret , ad extrema capillaria , ob fibras horum spasmo (*a*) contrac-

manet *Gas* olim vocatus. Hinc apparet quam periculosum sit in ipso actu fermentationis suppressos liquores bibere , inde enim pessimæ choleræ , et alia dira mala sæpe sequuntur : ebrietas , febris crapularis , apoplexia ipsa. . .

(*a*) Fibras vasorum spasmo quasi contrahi posse certissima docent observata. Aer frigidus subitò corpori calido applicatus stringit vasa cutanea aeri expossita , ut ilico palleat , dum sanguis ruber per angustatas frigore arterias transire nequit. Metus subitus idem efficit.

tas, et hinc arctatas, solvitur laxatis fibris (53. ad 55.); et acri contractionis causa ablata (35. 36. 54. 66. 67. 88. 102. 103. 104. 105. 127. 128.), unde peti debet, quod hic requiritur.

609 Quod hæret ob visciditatem et lentorem proprium solvetur variis remediis, quorum primarium vis ipsius febris ita moderata (*a*), ut valeat coagulum hoc solvere (587. 589. 593. 594.); adeoque huc requiritur, ut sic temperetur impetus: *a* ne inflammationes, suppurationes,

(*a*) Mirum forte videri posset, febrim coagulum facere, et coagulum factum postea resolvere; sed hæc revera locum habere possunt pro varia febris duratione, et intensitate. Quod hic requiritur est, ut sic temperetur febris impetus, ut nec torpeat nimis, ne solvendo coagulo impar sit; neque tamen nimis validus sit ne destruat tenerrima solida, et liquida coagulet. Istam methodum simplicem, optimam, sapientiæ veterum consonam, utpote naturæ morbos curantis vestigia præsse sequentem fastidiunt illi Professores formidandi, quibus solemne est repetitis venæ sectionibus nimium impetum sopire; illi, qui calidissimis remediis augere motum sæpe jam nimis impetuosum intendunt: illi, qui pari audacia, et æque infeliciter catarticis, emeticis . . . turbant omnia. Hæc van Swieten. Signa, quibus cognoscitur febris impetum esse nimium, vel nimis debilem ex textu apparent, et sunt maximè observanda.

gangrænas, sphacelosve queat producere (592): cujus periculum imminere docet vehementia symptomatum, maxime caloris, comparata cum virtute vasculorum: *b* neve nimio motu dissipentur liquida: id vero denunciat siccitas narium, oculorum, gutturis, linguæ, raucedo, arida cutis, urina parcior, pulsus parvus, celer, inæqualis: *c* neque ut ante coctionem torpeat nimis, ita ut materiem morbi non valeat subigere, movere, secernere, excernere: id cognoscitur, si languent actiones vitales omnino, necdum apparente signo pepasmi (*a*).

610 Si itaque exorbitare deprehenditur (101), moderamen fit abstinentia, victu tenui, potu aquæ, aëre frigidiusculo, animi affectu leni, venæ sectione (*b*), clysmate refrigerante, medicamentis blandis, aquosis, glutinosis, refrigerantibus, anodynis, opiatis: confer (92. ad 106).

611 Si segnior apparet, excitabitur

(*a*) Hoc maxime notandum, si enim nec dum apparente signo pepasmi minuitur febris impetus, augendus iste, cesatio enim hujus impetus tantum est fausta, quando materialis causa febris soluta, subacta, asimilata vel mobilis reddita, et expulsioni expossita est, quo casu semper coctionis signa prius apparuerunt.

(*b*) Celsus venæ sectionem tantum adhibuit ad minuendam sanguinis copiam vel ad illum corruptum educendum, et cum non adverterit ad fe-

ope Cardiacorum desumtorum ex cibo, potuque meracioribus, aëre paululum calidiore, animi affectu (*a*) magis excitato, medicamentis acrioribus, volatilibus, aromaticis, fermentatis, frictione, calore, motu musculari, balneis, fomentis.

612 Alterum post primum (609) remedium, quo visciditas tollitur, est elateris in vasis restitutio, minuto liquido per missionem largam, citam, ex magno vulnere, sanguinis, aucto dein, vel simul motu per stimulantia.

613 Tertio idem viscidum fluidum redditur diluendo potu, balneo, fotu, clysmate, aquosis, tum simul fricando.

bris impetum temperandum etiam deservire, pronuntiavit: *quod si vehemens febris urget in ipso ejus impetu sanguinem mittere hominem jugulare est.* Sed hoc cum limitatione intelligendum, et si forte in intermitentibus. Vid. §. 762. Auxilium istud non precise in initio, sed quocunque morbi tempore si febris impetus nimis insurgit administrandum. In morbis inflammatoriis pro resolutione obtinenda post quartum diem vix prodest. Clysmata usum hic habent ex Celso: *si sanguinem mitti cum opus sit vires non patiuntur, tempusve ejus rei præteriit.* Lib. II. Cap. XI.

(*a*) Ira hic vitanda; lætitia moderata, spes futuræ sanationis, desiderium . . . præcipua hic sunt, et tutissima; cum motum humorum leniter augeant, neque interim mentem, ut illa turbent.

614 Agunt ea optime, si calida, aquosa salita, aromatica amara lactescentia frigida (*a*) sumuntur.

615 Quæ (613. 614.) ut bene, cito, tuto valide agant, missio sanguinis præmissa prodest, nam parat ingressum, miscelam, actionem.

616 Simulac viscidum his (609. 610. 611. 612. 613. 614. 615.) solutum, iisdem continuatis, vel auctis, pellitur, et expellitur: sed et sæpe jam emendatum expulsu non egebit (595).

617 Symptomata ex febre acuta singulari orta inprimis hæc sunt: frigus, tremor, anxietas, sitis, nausea, ructus, vomitus, debilitas, calor, æstus, siccitas,

(*a*) Inter salia præferenda nitrum, sal prunela, sal polycrestus . . . Inter sapones laudantur nativi, ut mel, sacharum, fructuum horæorum recentes succi, vel syrupi, sapæ . . . Omnium autem maxime, et summo quidem jure laudari solent decocta ex herbis illis amaris lactescentibus; quæ et frigidæ dicuntur, quia nunquam calorem augent, licet magna etiam copia sumantur, et potentissima solvendi vi pollent, dum nullas in corpore turbas excitant. Illis videtur etiam inesse levis anodyna vis, sed tuta neque unquam noxia (in lactuca præsertim) licet etiam majori copia usurpentur. Hinc tanti usus sunt in acutis æque, quam in cronicis morbis. Omnia autem hæc actu calida esse debent dum asumuntur ita tamen ut parum superent sani corporis calorem.

delirium, coma, pervigilium, convulsio, sudor, diarrhœa, pustulæ inflammatoriæ.

618 Quæ omnia (617) orta ex febre (581. 587.), ut sua causa, hac ablata (594. 595. 598. ad 617.) cessabunt; adeoque, si ferri queunt tam diu sine periculo vitæ, singularem curationem vix requirunt.

619 Quin sæpe oriuntur ex conatu vitæ se disponentis ad crisin, vel ad materiæ criticæ excretionem, tunc hanc præcedunt, comitantur, sequuntur, nec turbari debent (*a*).

620 Si vero intempestiva (*b*), nimis sæva, quam ut ferri à vita possint, aut ab ægri patientia (*c*), vel aliud gravius ma-

(*a*) Maxime ad ista adimplenda observanda distinctio inter symptomata critica, et morbosa. Vid. §. 936. Inst. Med.

(*b*) Ita dicuntur symptomata tali morbi tempore orta, quando nulla adhuc coctionis signa apparuerunt, in ipso nempe morbi principio, et adscensu, sudores, v. gr. alvi fluxus . . in febrium acutarum initiis *intempestiva* sunt.

(*c*) Quantum prossit pacata mentis serenitas in omnibus morbis curandis neminem latet; imo solis animi motibus validis febres, et alia mala excitari possunt. Hinc cogitur, sæpe Medicus lenire, vel et tollere quædam symptomata, quæ secundum artis regulas melius relinquerentur. Nihilominus memores omnes Medici debemus esse ægros omnes curandos *tuto*, *cito*, *et jucunde*, at-

lum (*a*) productura sunt, tum singula sunt lenienda suis remediis propriis, habita semper ratione causæ (586), et status (590) morbi ipsius.

APHOR. 599.

Vid. 28. num. 1. 4.

APHOR. 603.

Fomentum mucosum, anodynum, blandum, leniter aperiens.

R. Seminum pomorum Cotoneorum numero sex.
Cum aquæ stillatæ florum Rosarum, Sambuci singularum unciis tribus,
Fiat secundum Artem emulsio, cujus puro liquori admisce

que jucunditatem istam neque securitati, neque promptitudini sanationis obesse unquam posse. Prudentia hic severè consulenda.

(*a*) Febres ardentes aliquando felicissime solvuntur per largam narium hæmorrhagiam, quam Medici non impediunt. Verum, si vi, et impetu febris soluta in pulmone arteria hæmoptoen faciat ilico venæ sectione, aliisve succurrendum est, quia in ulcus, et phthisim degenerare poterit. Methastases ad subaxillas, inguina, pedes . . . fovemus; versus hepar, pulmones, cerebrum . . . omni molimine artis impedire conamur.

Spiritus vini rectificati unciam semis.
Tincturæ opii drachmam unam.

Unguentum Aureum.
Basilicum.
Diapompholygos.
Nutritum.
Populeum.
Rosarum.

APHOR. 605. NUM. 1.

Ptisanæ.
Decoctum laxans.

APHOR. 605. NUM. 2.

Mistura subacida, nitrosa in febribus à nimio calore.

R. Aquæ decoctæ hordei uncias viginti quinque.
Nitri puri drachmam unam.
Vini Rhenani uncias sex.
Rob Ribesiorum
Sambuci singulorum uncias duas.
Misce. Capiat omni quarta parte horæ unciam unam vel duas.

R. Aquæ stillatæ Cichorei
Fumariæ
Melissæ singularum uncias tres.
Spiritus salis communis drachmam unam.

Syrupi Mororum uncias duas.
Nitri puri drachmam semis.
Misce. Capiat cochlear unum omni semihorio.

Pulvis similis.

R. Chrystallorum Tartari drachmas duas.
Nitri puri drachmam semis.
Misce. Fiat Pulvis.
Capiat scrupulum semis omni trihorio ex Ptisana.

Reliqua vide in capite de Putredine alcalina, et de Excessu circulationis.

APHOR. 605. NUM. 3.

Pulvis temperans, aromaticus in Febribus ab aere humido.

R. Herbarum recentium majoranæ
Menthæ crispæ
Origani
Roris marini singularum manipulos duos.
Florum Chamæmeli romani,
Rosarum Rubrarum,
Tanaceti,
Lavendulæ singulorum manipulum unum,
Mari Syriaci manipulum semis,
Radicum Iridis Florentinæ,

Angelicæ sativæ
Imperatoriæ singularum uncias tres.
Rasuræ ligni Sassafras uncias duas.
Seminis contusi celeri uncias tres.
Conscissorum fiat pulvis spargendus in loco, ubi æger est.

APHOR. 605. NUM. 10.

Vomitoria lenia in febribus ex copia ciborum.

R. Aquæ decoctæ hordei levis uncias triginta sex.
Oxymellis squillitici uncias tres.
Tartari vitriolati non acidi drachmas duas.
Misce. Capiat uncias duas omni semihorio.

Vel.

R. Rob Sambuci uncias tres.
Aceti squillitici unciam unam
Aquæ stillatæ Melissæ uncias sex.
Misce. Capiat unciam semis omni semihorio.
R. * Tartari emetici grana quinque
Pro una dosi. (*cave!*)
R. Vini Emetici unciam unam, et semis.
Pro una dosi.
R. Radicis Ipecacuanhæ albæ scrupulum unum.
Fiat Pulvis pro una dosi.

Haustus emeticus ventriculo cibis nimium infarcto.

R. Radicis Ipecacuanhæ pulverisatæ scrupulos quatuor.
Vini albi uncias tres.
Coque in phiala alta per horas quatuor.
Colaturam exibe pro una dosi.

Vel.

R. Foliorum recentium Asari conscissi numero quinque.
Cum aqua fervida infusis spatio dimidiæ horæ absque ebullitione,
Succum expressum exhibe pro una dosi.

APHOR. 610.

Clysma motum temperans, refrigerans in febribus.

R. Nitri puri drachmas duas.
Mellis Rosarum unciam unam.
Seri lactis recentis uncias duodecim.
Misce.

Vel.

R. Aceti communis unciam unam.
Nitri nativi drachmas tres.
Syrupi Rosarum solutivarum cum senna uncias duas.

Aquæ decoctæ hordei uncias novem.
Misce.

Vel.

R. Lactis ebutyrati uncias decem,
Syrupi Rosarum pallidarum uncias duas. Misce.

Vel.

R. Decocti communis emollientis uncias undecim.
Nitri puri drachmas tres.
Mellis Mercurialis unciam unam, et semis. Misce.

APHOR. 611.

Medicamenta in Languore Febrili.

Mistura aromatica cardiaca.

R. Oximellis Squillitici uncias tres,
Spiritus vitæ Mathioli drachmas tres,
Aquæ stillatæ Menthæ uncias quatuor,
Cinamomi unciam unam.
Misce. Capiat unciam unam omni hora.

Similis calida.

R. Diascordii Sylvii scrupulum unum, et semis,
Theriacæ Andromachi drachmam unam, et semis,

Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas,
Aquæ stillatæ cardui benedicti uncias sex. Misce in eundem usum.

Conditum calidum, aromaticum, excitans, in eodem casu.

R. Confectionis Alchermes drachmam unam,
Zingiberis conditi drachmas sex,
Radicum contrajervæ,
Serpentariæ viginianæ singularum drachmam unam,
Syrupi quinque radicum apperientium quod suficiat, ut fiat Conditum.
Capiat drachmam semis omni quadrihorio.

R. Pulveris comitissæ Kent scrupulum unum, et semis.
Detur omni quadrihorio.

Pulveres similes in eodem casu.

R. Zingiberis albi,
Corticis Winterani,
Radicum Zedoariæ,
Contrajervæ,
Serpentariæ virginianæ, singularum drachmam unam,
Trochiscorum de viperis drachmas duas.

Misce. Fiat Pulvis tenuis dividendus in doses scrupuli dimidii.
Capiat unam omni quadrihorio.

Vel.

R. Salis cardui benedicti drachmam semis.
Cornu cervi albi drachmam unam
Coralli rubri scrupulos duos,
Olei stillati Cinamomi,
Corticis citri singulorum guttas tres.
Misce. Fiat Pulvis dividendus in decem doses. In eosdem usus.

APHOR. 614.

Amara lactescentia frigida.

Chondrillæ.
Cichorea.
Hieracia.
Intubi.
Lactucæ.
Scorzonera.
Sonchi.
Taraxaca.
Tragopogona.

FRIGUS FEBRILE.

621 Frigus (*a*) in febrium acutarum initiis ponit attritum liquorum in se mu-

(*a*) An frigus nostri respectu nihil sit positivum præter sensationem, quam ex imminu-

tuo, et in vasa minorem; motum circulatorium imminutum; liquidum ad extrema stagnans, cor minus contractum; minus evacuatum: spiritus cerebelli minus influentes.

622 Efficit, si diu manet validum, polyposas in vasis majoribus, circa cor, concretiones; in minoribus vero, expresso suo liquido, evacuationes; hinc multa, et gravia mala in utrisque.

623 Hinc patet, quid designet, quid præsagiat? et cur, quo majus initio frigus, eo periculosior febris? in peste incipiente frigus summum, progressa calor maximus?

624 Id frigus omni eo, quod valide stimulat, quocunque demum titulo, tentatum dedit sæpe insanabilem postea in-

to calore, corporis nostri percipimus? Videant phisici, et chemici. Istud frigus, de quo nunc, quod febres incipientes commitatur distinguitur à frigore quod accidit in febre ardenti critice solvenda, tunc enim illud quod circa ultimas arterias hæserat immeabile solutum transit in venas, unde sequitur mox liberrimus transitus sanguinis ex arteriis nunc perviis in venas fere vacuas, hinc atritus, qui antea in vasis obstructis sumus fuerat minuitur subito; tuncque salutaris in his morbis rigor cum frigore nascitur quamvis non minuatur cordis contractio, neque liquidum ad extrema stagnet.

flammationem (*a*). Hinc salina acria, aromatica, oleosa, vesicantia, et similia damnosa sunt.

625 Optime autem curatur potu aquæ calidæ nitrosæ cum pauxillo mellis et vini; balneo, vapore, fotu, lotione per similem liquorem; frictione blanda.

626 Quibus (625) statim applicatis sæpe maxima mala illico curantur (622).

APHOR. 625.

Potus in frigore febris sumendus.

R. Aquæ decoctæ hordei uncias triginta.
Nitri puri drachmas duas
Oxymellis simplicis uncias tres
Aquæ stillatæ Caryophylorum aromaticorum uncias duas.
Misce. Capiat uncias duas omni quarta parte horæ, calide valde sorbendas.

(*a*) Omnia hæc nocent, quia immeabiles humores in frigore febrili urgent versus cutim, et extrema vasorum impervia spasmo contracta, et dein solutis, caloris febrilis tempore his obstaculis nimiam jam sponte sua futuram circulationis velocitatem augent. Fervidissimi olei caryophyllorum guttæ quinque cum sacharo tritæ, et ante paroxismum tertianæ vernæ exhibitæ læthalem pleuritidem produxere.

Emulsio in eundem finem.

R. Quatuor seminum frigidorum majorum et minorum, singulorum drachmas duas.
Cum aqua fiat emulsio, cujus libris tribus admisce
Aquæ stillatæ fœniculi uncias quatuor,
Salis prunellæ scrupulos duos,
Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas,
Violarum unciam semis.
Usus idem.

Mistura similis.

R. Aquæ stillatæ Borraginis libram unam
Florum Rosarum unciam unam.
Florum Sambuci uncias octo.
Cinnamomi unciam unam, et semis.
Spiritus vitæ Matthioli unciam semis.
Syrupi Artemisæ Fernelii uncias duas.
Misce. Usus ut supra.
Decoctum Coffe.
Ligni Sassafras
Santali,
et similia hic valent, inprimis si pauxillum Aromatis circa finem addis.

Decoctum simile.

R. Ligni Santali albi, citrini, rubri singulorum unciam unam.
Fiat cum aqua decoctum spatio quartæ partis horæ, tum adde
Radicis Fœniculi uncias quatuor.
Rasuræ Sasafras uncias duas.
Glyzirrhizæ unciam semis.
Ebulliant iterum uno momento, dein
Decocti libras quatuor exhibe.
In eundem usum.

TREMOR FEBRILIS.

627 Tremor ponit musculorum vacillationem inter tonum, et laxationem, causas tendentes et laxantes brevi, et involuntarie sibi mutuo succedentes; influxus arteriosos, et nervosos nunc contingentes, nunc absentes; adeoque initio morbi quietem utriusque liquidi; in fine sæpe nimiam horum absentiam, post dispendia nimis magna.

628 Efficit diu perseverans impedimenta circulationi humorum, et vitia inde pendentia.

629 Inde diagnosis, et prognosis ejus habetur: et liquet cur tremor cum frigo-

re (621)? cur ingens tremor adeo malus? cur in animi affectibus majoribus tremor? cur circa mortem? cur evacuatione omni nimis magna? cur à nimio potu quocunque?

630 Curatur restituto æquabili fluore, et pressione liquidi arteriosi in arterias, cerebrosi, et cerebellosi in fibras motrices: id obtinet in morbi initio usu eorum, quæ lentorem solvunt, vires reddunt (606. ad 617.); in fine autem per ea, quæ liquida perdita subito restituunt, fibras roborant, et viscera (46. 47. 48. 49.) (*a*).

APHOR. 630.

Pro hujus Symptomatis curatione videantur loca in hoc Aphorismo citata.

(*a*) Sauvag. Cl. IV. Ord. II. Gen. XIV. *Tremor*. Species: Tremor à debilitate: Sentilis temulentus: à Coffea: Metallurgorum: coactus: vertiginosus: ab hydrocephalo: tendinum: scorbuticus: paralytodes: à saburra: à plethora, à pathemate *metu*, *ira*, *gaudio*, *libidine*...

Cullenius (Clase II. *Neuroses*. Ord. I. *Comata*. Gen. 43. *Paralysis* in fine) asserit, *Tremorem* semper esse symptomaticum vel Asthenia, seu debilitatis omnium artuum, vel paralyseos, vel convulsionis, et ideo in numerum Generum eum recipere non vult.

ANXIETAS FEBRILIS.

631 Anxietas pro causa habet sanguinis ex corde egressum impeditum; adeoque per fines pulmonales, aut Aortæ impossibilem transitum; hinc spasmum vasculorum contractorum, aut materiem inflammatam transire ineptam; similia orta vidimus ex impedito trajectu cruoris per Venam Portarum (*a*) ex iisdem causis; unde, quum omnis sanguis venosus, à coeliacis, et mesentericis arteriis allatus, redire non possit, stagnet, vasa extendat, arterioso fluxui resistat, et omnia hinc nata, et nascitura mala producat, liquet ambas has anxietatis causas in omni acuto morbo quam severissime observandas, et curandas esse.

632 Si anxietas ergo talis (631) diu

(*a*) Aliquando ventriculus, et Intestina per flatus distenduntur; hinc hepar validissime potest comprimi, quo casu retrogrado motu secreta bilis retropellitur in venæ portarum ramos, atque ex his, vel per venæ cavæ respondentes ramusculos in sanguinem reddit, vel et forte una cum sanguine venæ portarum retroprimitur in arterias. Hinc anxietas nascitur dum sic compressis vasis impeditur libera circunductio humorum; hæc autem anxietas crumpentibus flatibus levatur illico.

perstat, circa vitalia producet polyposas concretiones, inflammationes, gangrænas subitaneas cum intolerabili angustia, et morte cito subsequente; si autem hæsit in hypochondriis, tum maximum sensum ægritudinis circa stomachum pariet, reliquis visceribus minus acute sentientibus; dein putrefactiones subitaneas sanguinis in vasis his amplis, minusque validis; unde gangrænæ, hepatis putredo, dysenteria à putrefacto lethalis.

633 Inde optime novit Medicus, quid anxietas talis (631. 632.) pro sua causa, et natura ponat, quidque inde præsagiendum sit, simulque distinguet inter anxietatem ab uno affecto genere nervoso, absente febre antegressa, et inter eam, quæ ab inflammatione acuta, quæ tum per sua signa prius se prodidit; inde comparans hæc cum vehementia, duratione, loco hujus mali, cuncta prudenter detegere poterit: Cur in omni fere morbo circa mortis articulum anxietas ultimo tragoediam claudit? Cur spasmodica anxietas parum (*a*), inflammatoria maxime

(*a*) Licet spasmodica anxietas parum periculosa sit, plurima tamen inde mala metuenda, spasmi, dolores mirabiles, convulsiones multiformes . . . omnes fere morbos mentientes, et facile Medico fraudem facere potentes nisi sollicite ad omnia attenderit, et magna peritia va-

periculosa? Cur inquies, jactatio, suspiria, anhelatio, pervigilium in morbis inflammatoriis, suppuratoriisque, mortis prænuncia.

634 Inde etiam patet, quam varia (*a*) requiratur medela ad sævitiem hujus mali leniendam; quæ tamen omnis cognoscitur, et applicatur, cognita prius indole ipsius symptomatis. Ubi ergo advertitur affectio spasmodica causa esse, hæc tollitur leniendo acre irritans (603. 604.

luerit. Unde inique agitur cum hystericis, et hypochondriacis, dum amici, imo et sæpe Medici illos increpant quasi illorum culpa fieret, ut à levissimis etiam turbentur adeo. Est etiam parum periculosa, quia dum ista eo usque increvit ut in animi deliquium incidant ægri solvitur spasmus, quia cor tunc sanguinem versus encephalon pellere debita vi nequit; hinc nec illud spiritus movere per nervos; adeoque cesat inordinatus ille influxus spirituum in quasdam partes, et levatur anxietas.

(*a*) Nihil magis damnosum fuit Arti Medicæ quam generalia illa morborum nomina, quæ minus attentos in pessimos errores quandoque deduxerunt. Sit pro exemplo *Anxietas* ista. Si non attenditur ad causam, et anxietati inflammatoriæ applicantur remedia antispasmodica, et contra, malum immaniter augebitur; imo ægrotantes abibunt in ruinam. Distinctiones istæ Medicum efficiunt, earum inobservantia empiricum horrendum, exterminandum...

605.); id expellendo per vomitoria (*a*), purgantia, sudorifera, diuretica, abstersiva; diluendo aquosis calidis; sedando animi affectum; laxando fibras, vasa, viscera (35. 36. 54. 55.) compescendo vim liquidi nervosi per anodyna, et narcotica. Si ab inflammatorio viscido, id solvendo, diluendo, ejusque vasa laxando, impetum denique liquidi vitalis refrænando; huc maxime faciunt potus largus, calidus, aquæ mulsæ farinosæ nitrosæ subacidæ levissime aromaticæ; fotus, cataplasma, epithema, emplastra applicata locis affectis, quæ fiant ex diluentibus, laxantibus, emollientibus, anodynis; clysmatibus (*b*) sæpe, parva copia simul injectis, diu, si fieri queat, retentis, quæ fac-

(*a*) Remedia ista lenia sint, et adhibenda dum nervi per ventriculum, et intestina dispersi irritantur ab acribus, vel à sordibus hic collectis. Fortiora nimio tumultu augerent febrim, et anxietatem.

(*b*) Pulcherrimum usum habent clysmata, ubi in angustiis venæ portarum viscidum inflammatorium hæret, quia venis intestinorum in venam portarum directè se exhonerantibus recepta statim ad locum affectum vix mutata perveniunt.

Sauvag. Cl. VII. *Dolores.* Ord. I. Gen. V. *Anxietas.* Species: Anxietas febrilis, præcordialis, pulmonalis, epigastrica, spasmodica, agnostica, cardiaca, tibiarum.

ta sint ex iisdem ; vapore aquæ calidæ, emollientibus mistæ , per nares , osque, in pulmones assidue ducto.

635 Si vero usquam , hic profecto mali atrocitas citam , tutamque medelam efflagitat.

APHOR. 634.

Vomitoria in febre commoda.

R. Oxymellis scillitici uncias tres.
Aquæ stillatæ cichoræi uncias quinque.
Misce pro Haustu.
R. Foliorum Asari recentium numero octo.
Cum aqua stillata cardui benedicti
Fiat infusio spatio quatuor horarum, dein:
Expressæ tincturæ uncias quinque
Exhibe pro Haustu.
R. * Vitrioli albi grana viginti quinque.
Fiat Pulvis
Ex pauxillo cerevisiæ hauriendus.

Purgantia in febribus.

R. Chrystalli tartari drachmas quinque
Ex sero lactis tepefacto.

Pulvis lenissime purgans.

R. Chrystalli tartari drachmas duas,
Salis prunellæ grana duodecim
Polychresti grana decem et septem
Misce. Fiat Pulvis.

Haustus similis fortior.

R. * Scammonii grana septem.
Cum aquæ stillatæ cichorei uncia semis fiat secundum Artem emulsio, cui adde
Syrupi rosarum solutivarum cum senna drachmas duodecim
Fiat Haustus.

Decoctum simile.

R. Tamarindorum uncias tres,
Agarici trochiscati drachmas tres,
Foliorum sennæ drachmam unam,
Scrophulariæ majoris aquaticæ unciam semis,
Cum aqua decoctis, et expressis unciis octo adde
Salis Prunellæ drachmam semis
Syrupi rosarum solutivarum cum senna unciam unam et semis.
Capiat uncias duas omni semihorio donec purgari incipiat.

Decoctum simile.

R. Prunorum acido-dulcium uncias quatuor,
Tamarindorum unciam unam,
Foliorum sennæ drachmas duas,
Scrophulariæ aquaticæ drachmas sex.

Cum aqua decoctis spatio dimidiæ horæ, deinde per pannum expressis unciis duodecim admisce

Syrupi cichorei cum Rheo uncias duas.

Capiat uncias tres omni semihorio donec purgari incipiat.

Bolus purgans.

R. Electuarii Diaprunii Sylvii drachmam semis,

Foliorum sennæ pulveratæ scrupulum unum.

Misce. Fiat Bolus.

Electuarium Diapruni seu Cholagogum Sylvii *ad* unciam semis.

Confectio Hamech drachmas quatuor.

Hiera picra Galeni drachmam unam, et semis.

Electuarium lenitivum unciam unam.

Succi Rosarum unciam semis.

Sudorifera in Febribus.

Sunt semper diluentia, et aperientia.

Decoctum Sudoriferum.

R. Radicum apii unciam semis

Bardanæ

Chinæ singularum unciam unam

Cichorei

Graminis

Naporum
Petroselini
Raparum
Rusci singularum unciam semis.
Salsaparrillæ unciam unam
Scorzoneræ unciam semis
Foliorum Acetosæ
Cichorei
Endiviæ
Taraxaci singulorum manipulum unum.
Florum Sambuci uncias duas
Seminis contusi Apii
Petroselini singulorum unciam unam.

Cum aqua decoctas pintas tres exhibe.
Hauriat uncias tres calidas omni quadrante horæ, donec leviter sudet.
Ex hac formula infinitæ aliæ concinnari possunt.

Diuretica.

R. Hydrogala ex lactis recentis parte una, Aquæ partibus tribus.
Serum lactis
Lac ebutyratum
Lachryma Betulæ
Succi maturi recentes horæi aqua diluti
Sal nitrum
Nitrum antimoniatum

Sal Polychrestum

Decocta præcedentia sudorifera cum regimine ad diuresin.

Abstersiva.

Sunt eadem.

SITIS FEBRILIS.

636 Sitis siccitatem, liquorum immeabilitatem, acrimoniam salsam, alcalinam, biliosam, oleosam, putrida excrementa viæ primæ, pro causa sua habet.

637 Hinc semper fere præsentiam alicujus horum (633) indicat.

638 Adeoque signat, illa denunciari mala futura, quæ produci possunt ex iis causis, quas præsentes esse significat (636. 637).

639 Quare ei semper, maxime in acutis (*a*), succurrendum ilico est.

640 Quod fit: 1. bibendo aquosa,

(*a*) In iis febribus siccitas, humorum immeabilitas, et putredo per morbum ipsum augentur. Iis nostris temporibus felicissime evanuit quorundam crudelis sententia potum his febricitantibus negantium. Hippocrates victum humidum febricitantibus prodesse monuit, et tenues acidulos potus ex mulsa, oxymelle, hordei decocto . . . dedit, uti ex Lib. *de Dieta Acutorum* satis patet.

subacida, nitrosa, demulcentia, calida (*a*), sæpe, parva copia simul. 2. nares, os, fauces, simili potu fovendo, colluendo, gargarisando. 3. fotus, epithemata, et cataplasmata ex similibus, hypochondriis circumvolvendo. 4. Clysmatibus similibus injectis, et retentis.

641 Si vero valida sitis una comitetur summam debilitatem, tum vinosa, imo et sæpe spiritibus ditiora, prioribus (640) miscenda, propinanda tuto erunt.

APHOR. 640.

Potus commodissimi in febribus.

R. Aquæ hordei communis simplicis uncias quadraginta.

(*a*) Cum omnes, qui in febribus sitiunt frigidum potum appetant, hicque aliquando prosit, et aliquando noceat, in genere dicendum potum frigidum in morbis putridis præstare; in inflammatoriis vero calidum, vel tepidum. Utervis non affatim; sed parca copia, et repetitis vicibus sumendus.

Adipsia, seu sitis cessatio, hujus causis licet permanentibus perniciosa, delirium, convulsionem, gangrænam. . . indicans.

Sauvag. Cl. VIII. Ord. II. Gen. IX. *Polydipsia*, seu potulentorum appetitus immodicus. Speties: Polydipsia morbosa: febrilis: hydropica: fluxuum, à vesicantibus, à venenis.

Rob Ribesiorum uncias quatuor.
Spiritus salis tot guttas, quot sufficiunt ad gratum acorem.
Aquæ stillatæ Cinnamomi unciam unam.
Misce pro potu assiduo.

R. Gelatinæ Rob Syrupi { Ribesiorum; Pomorum Cydoniorum; Cerasorum nigrorum; Berberis; Mororum; Baccarum Rubi Idei; Pomorum Granatorum, Limoniorum, Citriorum, Aurantiorum chinensium } Horum cujuslibet uncias quatuor.

Præpara ut prius, v. gr.

R. Gelatinæ Cydoniorum unciam unam.
Diamori Nicolai uncias duas.
Syrupi Acetositatis Citri unciam unam.
Aquæ stillatæ Borraginis,
Mellisæ, singularum uncias quatuor.
Simplicis uncias viginti quinque.
Vini Rhænani uncias tres. Misce.
Hydrogala
Serum lactis,

Lac ebutyratum
Cerevisia tenuissima
Potus Coffe
Vini pars una, Aquæ puræ partes duodecim.
Succi citri parum.

APHOR. 641.

Decoctum in valida siti, et debilitate summa.

R. Pomorum electorum recentium citri, expurgatis seminibus numero duo.
Cum cortice conscissa, abjecta alba, fungosa carne, contusaque immite
Aquæ decoctæ Hordei simplicis uncias triginta duo.
Adde Syrupi Mororum unciam unam, et semis.
Vini Rhænani uncias octo.
Panis tosti uncias duas.
In vase fictili clauso serventur
Pro potu assiduo.

Vel.

R. Syrupi de limoniis uncias tres.
Spiritus vini puri unciam unam, et semis.
Vini Rhænani uncias quatuor
Aquæ communis puræ uncias quatordecim. Misce.

NAUSEA FEBRILIS.

642 NAusea irritum conatum vomendi significat cum idea horroris; causam ergo habet proximam fibrarum muscularium faucium, oesophagi, ventriculi, intestinorum, musculorum abdominalium leviorem convulsionem; hæc fit 1. ab acri, putri, bilioso, in vacuum stomachum pulso, in fauces adscendente, utraque vellicante, et irritante, unde reliqua eosdem sequuntur motus; cognoscitur ex inedia, halitu putri, ore, lingua, faucibus sordidis; vel 2. oritur à lenta, viscida, fluctuante materie, quæ in iisdem locis natando vellicat; cognoscitur ex signis glutinosi prægresi (69. ad 75.); aut 3. à ventriculo, oesophago, intestinis, et visceribus vicinis *leviter inflammatis*; quod scitur ex signis horum propriis 4. tandem etiam à memoria rei, quæ olim asumta similes nauseas creaverat; 5. denique et ab inordinato liquidi nervosi motu, undecunque excitato; cognoscitur delirio, spasmo, vertigine, tremore.

643 Si diu manet, producit inediam, abstinentiam à potu, et à medicamentis, dein vomitus, et quæ hinc produci possunt mala quam plurima, quorum præcipua debilitas, acrimonia alcalina putrida, siccitas.

644 Sistitur ex prima causa orta (642. num. 1.) usu acidi, salsi, aquosi potus, cibi, medicamenti; tum simili leni purgante exhibito; et acido austeris roborantibus fibras; aut, si his non cesserit, vomitorio dato. Quæ vero ex secunda causa (642. num. 2.) fit, illa tollitur, diluendo, attenuando, purgando, vomitum excitando. At, si ex tertia ortum duxerit (642. num. 3.), tum non cedit, nisi illis morbis curatis (*a*), juxta descriptionem pos-

(*a*) Summa animi attentione semper inquirendum est, an vel ex genio epidemici morbi regnantis, vel ex signis in ægro observandis constet inflammationem ventriculi, vel vicinorum viscerum nauseæ causam esse. Dolor harum partium cum febre continua, et pulsu duro, merito inflammationis suspicionem faciunt. Emeticum in tali casu datum summa damna facere nemo dubitat: validis enim concusibus partes inflammatas inflammabit ulterius, et abibunt istæ in gangrænam. Quod hac in re debet terrere est dificultas, quæ in his cognoscendis quandoque adest. Perspicacissimus, et experientissimus Sidenhamus etiam delusus fuit, et candide fatetur se vomitorio, quod satis commode ventriculi saburram elicuit, ægrotam febre ardenti vomitionibus importunis comitata laborantem, licet venæ sectio præcesserit interemisse. (Sect. II. Cap. II.) Mutavit ideo consilium, et in aliis ægris felix fuit valde. Felix ille, qui commisum errorem ilico detegere noscit, et corrigere statim, quod omnes Medici probi debent exequi.

tea in his secuturam. Quarta species oblivione ; et vitatione similium aboletur. Quinta autem per austera, quietem, narcotica, aquam frigidam.

645 Hinc intelligitur, cur in acutis, ubi nausea, purgatio initio data, ut et emeticum, adeo prosit, et in quo acutorum genere? (*a*) Cur ægri acutis cum febribus conflictati adeo horreant pinguia, carnosa, ova, pisces, et contra appetant aquam, acida, fructus horæos, frigida? Cur, nisi nausea superetur, nihil ægro prosint medicamina? Cur sæpe hoc symptoma incurabile (*b*) sit? Cur tales morbi tandem fere cum subito, insolito, mirabili appetitu secedant? (*c*)

(*a*) Hæc methodus frequentissime prodest in febribus autis acutumnalibus, quæ fere omnes continuæ remitentes sunt, et frequenter in intermitentium clasem se recipere solent. In acutis vero vernalibus plerumque falleret, quia nausea has febres comitans sæpius ab inflammatione ventriculi, vel vicinarum partium originem ducit.

(*b*) Aliquando vomica latens in hepate continuo stilicidio putridam materiam per ductum hepaticum in duodenum intestinum depluit, hinc nausea perpetua numquam curabilis, nisi putridus ille fomes in hepate sanari possit quod tamen sæpe fieri nequit. Nausea primo graviditatis stadio orta optimis etiam remediis resistit.

(*c*) Sauvagesius. Clase IX. *Fluxus*. Ord. II. Gen. XII. *Nausea*. Speties : nausea à tænia;

APHOR. 644.

Potus ad primum.

Vid. Aph. 640. 641.

Potus ad secundum, et Medicamina.

Vid. Aph. 634.

Ad quintam speciem.

Mistura austera anodyna.

R. Mivæ Cydoniorum uncias quatuor.
Syrupi Limonum uncias duas.
Aquæ stIllatæ vitæ Mathioli unciam unam.
Cinnamomi drachmas sex
Corticis citri uncias sex.
Tincturæ opii guttas sexaginta.
Misce accurate.
Capiat unciam unam donec nausea sedetur.
R. Aquæ stillatitiæ Menthæ fortis, quod sufficiat.

gravidarum : à pancreate : ex prolapsu ventriculi : ex compresso eodem : biliosa : nephritica: à semine corrupto : ab apostemate : à gastritide : à cacochylia : marina.

Cullenius. Cl. II. Ord. II. *Adynamiæ.* Gen. 45. *Dyspepsia*, easdem proponit.

Bibat unciam unam omni quarta parte horæ frigidam.

R. Mivæ Cydoniorum quod suficiat.
Assumat drachmam unam omni semihora.

Haustus anti-emeticus.

R. Succi recentis citri unciam semis.
Vini Rhænani, (*vel alterius ei similis*) unciam unam.
Bene mistis adde
Salis Absinthii drachmam unam.
In ipso actu effervescentiæ potentur.

R. Taleolas tenues citri, saccharo respersas, impositas linguæ ore detineat.
In omnibus interim jubant fere Epithemata, Fomenta, Cerata, Stomachica, inprimis ubi inflammatio abest.
R. Succi Menthæ cum aceto extracti.
Cum panne cocto applica.

Scutum Stomachicum ad Nauseam à motu liquidi nervosi inordinato ortam.

R. Pulveris Aromatici Rosacei
Diagalangæ
Diarrhodii abbatis, singulorum unciam unam.

Misce. Insuta sindoni applica epigastrio.

Emplastrum in Nausea Febrili ex liquido nervoso turbato, Stomachicum.

R. Cerati Stomachici Galeni quod suficiat, ut extensum ad alutam fiat emplastrum stomachicum.
Valet quandiu adhærescit.

Epithema ad Nauseam ab inordinato liquidi Nervosi motu ortam.

R. Aquæ vitæ Mathioli unciam unam,
Spiritus Radicis Angelicæ
Carminativi Sylvii
Menthæ, singulorum uncias duas.
Taleola panis triticei tosti bene irrorata his, applicetur calide epigastrio, superaplicetur vesica suilla oleo humectata, et dein supra hanc ligatura renovetur post duodecim horas.

RUCTUS ET FLATUS.

646 Ructus pro causa habet elasticam, calore, effervescentia, fermentatione, dilatabilem materiem, quæ uno momento coërcetur, altero, laxato claustro coërcente, exploditur cum sono, et impetu.

647 Hinc aër (*a*), sales oppositi, fructus horæi, humores putrescentes, vegitabilia fermentantia dant ructui, et flatibus materiem, cujus impetus, fœtorque pro varietate ejus indolis varius est.

648 Nec tamen omnia hæc (647), si libere exhalare queant, ullum dabunt impetum; unde liquet, spasmos (*b*) sphincteris

(*a*) Materia ructuum, et flatuum vel ingreditur corpus jam elastica, et calore dilatabilis, vel latens in quibusdam corporibus, unde extricatur postea. Aerem flatuum in corpore humano materiam esse iam monuerat Hippocrates Lib. de Flat. Cap. 2. Aer cum cibis in ventriculum ingreditur. Hic revera potest fieri materialis ructus, et flatus causa.

Dubitatur an Aer in liquidis vel aliis corporibus latens sic, ut aeris communis notas phy. sicas non amplius habeat possit aliquando ex iisdem dum in corpore nostro adsunt sic extricari, ut elasticitatem, et facilem illam à minimo caloris augmento dilatabilitatem acquirat, dum adunantur simul, quæ prius seorsim hæserant aeris elementa. Dicendum, aerem in humoribus nostris distributum non posse se natutaliter expedire sic, ut intra vasa collectus forma aerea bullas ibi faciat: et si aliquando hoc factum fuerit, cita mors sequitur ex Boerhaavio in Chemia. Aeris hujus elastici extricatio quam eficiunt efervescentia salium alcalinorum cum acidis, et cetera in textu memorata in primis viis frequenter observatur flatibus, et ructibus peculiariter fœtidis deservit.

(*b*) Elastica materies in iis locis oberrans

œsophagæi, œsophagi, oris superioris, et inferioris ventriculi, atque intestinorum semper concurrere simul, iterumque laxari; inde ructus, flatus, crepitus, borborygmi clausi.

649 Si concurrunt hæ duæ causæ simul (647. 648.), valide agunt, et diu perstant; tum elastica materies calore, motu, propria vi excitata in dilatationem, constricta in cavo, cujus fibræ convulsione constrictæ, membranas claudentes dilatat, tendit, dolere facit, vicina comprimit, unde dolores, anxietatesque oriuntur intolerabiles, mox ad emissos flatus cessantes. Vid. (220. ad 227. et 631. 634) Ad hæc autem vis febris (*a*) accedens inexplicabilia certe tormenta facit.

causa materialis horum est; eficiens vero spasmodica contractio earundem, sive ab acri irritante, sive ab inordinato spirituum motu facta. Constrictis v. gr. œsophagi fibris interceptus aer globum illum in hystericis fœminis exhibet, dum falso uterus huc adscendere creditur. Si succesive laxatis atque iterum constrictis fibris materia elastica in internis oberrat cum levi sonno, et murmure quasi *borborygmi* dicuntur.

(*a*) Ructus, et flatus prout à Boerhaavio tractantur non adeo ad febris symptomata reducuntur; sed tanquam morbi à materie elastica, et fibrarum spasmis producti. Varii effectus ab horum causis producuntur, et hic enumerantur, qui omnes in mulieribus hystericis ut plurimum ac-

650 Curatio hujus mali fit 1. auferendo materiem (647) per diluentia ; calida aquosa leviter aromatica dissipantia; salium æquilibrium (*a*) tollentia in requisitum præpondium ; putredinem corrigentia ; fermentationem sedantia. 2. Convulsiones sedantia ; lenientia acrium , compescentia spiritus huc revocanda. Quorum princeps opium , et lenia antihysteri-

cidunt , et utinam Boerhaavius de pasione ista hysterica peculiariter tractavisset. Omnia , quæ hic enumerantur per abdominalia viscera utplurimum vergunt. Nervi per ista dispersi mirabile imperium in vitales corporis humani functiones habent , hinc multa mala timenda his affectis. Intolerabiles anxietates , paralyses intestinorum , unde volvuli , sive susceptiones intestinorum dum dilatatum intestini locum proxima pars intestini , quæ non tumet ingreditur , gangræna , mors ipsa subita in colicis illis *clausis* dictis . . . tam facile oriuntur. Febre accedente dum spasmo constrictis his partibus interceptus aer clauditur , immaniter augebitur per calorem hujus rarefactio : si nondum adsit inflammatio , per febrim excitabitur ejusque pessimæ sequelæ timendæ. Hippocrates jam dixerat *in febribus inflata alvo flatum non erumpere malum.* (In Coacis prænotionibus.)

(*a*) Dum oppositi sales acidi v. gr. et alcalini inter se effervescunt copiosa fit elastici aeris generatio. Major copia alterutrius acidi nempe vel alcalici salem prævalentem mitigabit. Sapo venetus , diluentia magna copia , oleum amigdalarum dulcium . . . etiam prossunt.

ca (*a*). 3. Clysmatibus, fomentis, epithematibus, calidis laxantibus, anodynis, leniter aromaticis, ut et cucurbitis (*b*), sine scarificatu abdomini impositis.

651 Ex his ipsis (646. ad 651.) respondetur ad hæc, aliter obscura, quæsita: qui cibi, potus, venena, medicamenta flatulenta sint? Cur vacuis visceribus primis accidunt? Cur vulneratis? Cur arcte constricto abdomine? Cur hypochondriacis, hystericis, convulsis, colicisque accidunt? (*c*)

(*a*) Utinam, inquam, de malo isto hysterico, et de remediis antihystericis peculiariter Boerhaavius tractavisset, res enim ista difficilima est æque ac communisima.

(*b*) Frequentem satis harum usum apud Veteres fuisse patet ex Celso. Galenus per illas ilico dolores à flatulento spiritu ortos tolli ac si incantamento id fieret jam monuit. Cucurbitæ suos effectus præstare videntur dum humorum copiam, et impetum in illum corporis locum, cui immediate adhærent derivant, sicque à vicinis partibus avertunt; simul etiam nervi per partem cucurbitæ supositam irritantur, et dolent sæpe; atque ita possunt solvi spasmi in aliis locis corporis nati. Harum applicatio crudelem, et invisam plurimis inustionis methodum suplere poterit.

(*c*) Doctrina ista pro his morbis inteligendis maxime conducet.

VOMITUS FEBRILIS.

652 Vomitus, expulsio violenta contentorum ventriculo primo, dein etiam intestinis, tandem visceribus eo se evacuantibus, agnoscit convulsionem fibrarum muscularium faucium, œsophagi, stomachi, intestinorum, diaphragmatis, musculorum abdominalium, pro causa proxima; pro remota omne id, quod irritando fibras descriptas, vel facile convellenda visrcera, stimulat.

653 Ergo vitio stomachi convulsi, inflammati, suppurantis, scirrhosi, cartilaginosi, accedente febre acuta, aliquando accidit, pertinax est, ex idea ejus mali cognoscitur, eoque sublato demum tollitur: de quibus postea.

654 Vitio viscerum, et partium circumjacentium (*a*), similiter affectorum,

(*a*) Cartilago xiphoides introrsum præssa, sive ictu, sive alia causa ventriculum irritat, frequens inde sequitur vomitus, qui frustra remediis corrigi tentatur, non curandus donec perita manu cartilago ista restituatur.

Joan. Bapt. Codronchius Auctor Libelli optimi: *De christiana, et tuta medendi ratione*, scripsit etiam Tractatulum: *De morbo novo Prolapsu scilicet mucronatæ cartilaginis.* 1603. Hujus epitome videri potest apud Senertum. Tom. III Lib. II. Pract. Part. II. Cap. XXVI.

distento per ingesta stomacho irritatorum idem toties incognita (*a*) causa pertinacissimus accidit, accedente febre.

655 Vitio omnis causæ majoris nauseæ (642) unde cognoscitur, dirigitur, curatur.

656 Si permanet, producit atrophiam, ileum, convulsiones, et effecta nauseæ majoris, et pertinacis (643).

657 Si vitio causæ (653. 654.) acciderit, curatio ex historia illorum morborum petenda.

658 Si à causa (642. 655.) oritur, remedia eadem (644) huc in usum revocanda diligenter, maxime opiata (*b*), et epitemata corroborantia, atrahentia, dissipantia.

(*a*) Inflammatio hepatis licet levissima : calculus renalis ex pelvi in angustias ureteris delabens, hernia incarcerata . . . toties nauseam, et vomitum produxere necesario prænoscenda, ne in iis casibus naturam turpiter immitando vomitorio dato turpissime noceatur.

(*b*) Ante ista remedia remedium illud antiemeticum Riverianum dictum ex sale absinthii, et succo limonum, quorum efervescentia fit mirus stimulus, qui ventriculi nervis inducitur, atque illius spasmi, et convulsiones felicissime tolluntur, non expellendo, vel corrigendo materiam in ventriculo aut intestinis hærentem ; sed tantum mutando, et dirigendo nervosi liquidi impetum in has partes. Aqua frigida ex Celso prodest.

659 Hinc liquet ratio difficultatis sistendi vomitus in multis febribus acutis: tum falsitas, et periculum regulæ, *vomitus vomitu curatur* (*a*): Cur sæpe sudorifera vomitum tollant, ut in peste; cur sæpe sistatur ille facta crisi, ut in variolis? Cur sæpe missu sanguinis, ut in acutis inflammatoriis? Cur, quibus initio febris acutæ vomitus perpetuus sine causa inflammatoria (*b*), diarrhoea pro crisi, quæ caveatur dato in principio morbi emetico? Cur vomitus omnis ingesti, statim ac receptum est, pessimus in acutis fit? ex iisdem Singultus nasci, et sanari potest (*c*).

(*a*) Regula ista à multis pro axiomate generali practico habita falsa ita, atque perniciosa est. Prudentissime hanc regulam limitavit jam Hipp. dum dixit, tunc vomitum vomitu sedari, si una cum vomitu eluantur illa, quæ vomitum faciunt. Lib. de locis in homine Cap. 15.

(*b*) Hoc imprimis locum habet in illa febris continuæ specie, quæ autumnali tempore plurimum ocurrit, et illam constitutionem epidemicam commitatur quæ febribus intermitentibus producendis favet. Tota dificultas in eo consistit ut bene distinguatur an causa inflammatoria adsit necne. Sidenhamus ipse adeo oculatus in his rebus vomitorium ad præcavendam diarrheam præscripsit, et se deceptum fuisse ingenue fatetur ut jam dictum. Aph. 644. Not. a.

(*c*) Sauvag. Cl. IX. *Fluxus* Ord. II. Gen. XIII. *Vomitus*: speties: Vomitus à crapula: à sabur-

DEBILITAS FEBRILIS.

660 Debilitas ingens sequitur impeditum influxum et pressionem liquidi nervosi in musculos (*a*).

661 Quod impedimentum ab inanitate vasorum, exhausto liquido, ab immeabilitate liquidi, obstructione canalis, compressione hujus, maxime circa originem suam in cerebro et cerebello, debilitate cordis (*b*).

662 Priorem causam demonstrant symptomata magnarum evacuationum prægressa, et præsentia, ut est diuturnitas

ra : lacteus : à dentitione : verminosus : ruminatio : à veneno : à pyloro calloso : hypochondriacus : ab ulcere ventriculi : à steatomate : gravidarum : bezoarticus : rabiosus : atrabiliarius : ab hepate : à pancreate : gastriticus : nephriticus : œsophageus, à catilagine xiphoidea : à capitis læssione : iliacus, marinus pituitosus.

(*a*) Per debilitatem febrilem inteligitur hic impotentia exercendi motus musculares, qui à voluntatis imperio pendet. Influxus arteriosi sanguinis videtur tantum requiri ut musculus aptus evadat ita, ut possit affici à causa motus muscularis per nervos ab encephalo in musculum derivanda.

(*b*) Proponitur hic divisio illa utilissima, ac necesaria debilitatis *esentialis et per agravationem*. Aliquando adsunt in corpore quædam sa-

morbi ; hæmorrahagiæ morbosæ , artificialesve ; sudor ; diabetes, salivatio, diarrhoea; defectus cibi assumti , retenti , digesti , intropulsi ; pallor ; macies ; pulsus parvus; vasa collapsa ; musculi flaccidi.

663 Immeabilitas liquidi glutinosi, vel inflammati cognoscitur ex signis datis (69. 70. 71. 72. 73. 74.)

664 Canalis autem obstructio ex (107. ad 144.)

665 Cerebri et cerebelli compressio causa debilitatis perspicitur ex observatis iis functionibus simul læsis , quas ab iis integris pendere certo novimus ; ut si deliria , sopor , tremor , vertigo , tinnitus simul adsint.

666 Sed à debilitate cordis scimus ex signis deficientis circulationis (106).

667 Cibi liquidi, sanguini similes , arte digesti , gelatinosi , blandi , ex animalibus , vegetabilibusque , vinosis , et aromaticis, secundum artem misti , sæpe ; parva dosi dati , cum leni frictione externorum , repletionem efficiunt commodam;

tis mira , quæ debilitatem maximam producunt. A bile circa præcordia hærente non tantum convulsiones , sed et syncopem ortam fuisse observavit Galenus (de Locis affectis Lib. V. Cap. IV.) exclusa hac saburra per vomitum ilico cesabant omnia hæc mala. Idem observavit Sidenhamus.

inprimis si sumuntur ex idonea, contra morbi ingenium, materie.

668 Si ex immeabilitate liquidi (663) remedia adhibenda (75) et (132. ad 137), aliter enim nil contra hanc speciem prodest.

669 Ut et (664) curatio petenda ex (124. ad 144.)

670 Illa autem, quæ ex (665) oritur, ut plurimum tollitur his, quæ illi loco applicata, deobstruere possint impactum (124. ad 144.), et impetum avertere in alia loca. Id fit humectando nares, caput, faciem, os, collum, fomentis blandis; applicando pedibus epispastica.

671 Debile cor raro, nisi lente, juvatur; generalia vero dicta (667. ad 671.) prodesse possunt.

672 Inde (660. ad 672.) nobis constat, quam rarus sit Cardiacorum in acutis intellectus (*a*); quam sit debilitas in febribus malum sæpe insuperabile (*b*).

(*a*) In principiis morborum acutorum optimum cardiacum, quo debilitas tunc observata tolitur solet esse venæ sectio, quæ in debilitate in morbi fine observata noceret pessime. Hippocrates jam dixerat, debilitates istas maximè distinguendas esse: *Cum hæc cognita aut ignorata salutem aut mortem adferant.* Momentosa verba serio ab omnibus Medicis pensitanda. Vid. Inst. Med. §. 1098.

(*b*) Debilitas, quæ in febribus ab initio ob-

APHOR. 667.

Jus ex carne Bubula
Vitulina
Ovilla
Gallinacea, partes æquales.
Decocta in aqua resperge pauco sale, et succo citri.
Lac recens.
Decocta Aph. 28. num. 1.

CALOR FEBRILIS.

673 Calor febrilis thermoscopio externus, sensu ægri, et rubore urinæ internus cognoscitur.

674 Semper requirit majorem ignis copiam in illo loco, quem plus calefacit.

675 Quæ ortum debet violentiori par-

servatur ab aliquibus incautis pro malignitatis inditio indiscriminatim habetur. Hoc sensu sumta malignitas pulveris pyrii inventione læthalior est adnotante Sidenhamo: Cardiaca enim alexipharmaca quæ pro ista debellanda tunc exhibentur nocent pessime. Maximilianus Stoll post symptoma istud: *Debilitas febrilis* Boerhaavii aliud addidit sub hoc titulo: *Malignitas febrilis* in apendice transcribendum.

tium fluidarum in se mutuo, in vasa, horum in illas attritui (*a*).

676 Illa violentia à magno motu partium ex corde, et magna resistentia vasorum contra cor, oritur.

677 Magnus motus ex corde pulsi sanguinis æstimatur à densitate liquidi pulsi, et velocitate ejus per vasa.

678 Densitas scitur ipso conspectu extravasati, dissipatione prægressa rarioris, duritie pulsus.

679 Velocitas supputatur ex ictuum cordis numero, collato cum magnitudine pulsuum.

680 Magna resistentia cognoscitur ex mole movendorum inertium, et paucitate, vel angustia, vel immobilitate canalium transmissurorum.

681 Moles movendorum ingens percipitur ex signis plethoræ (106), cacochymiæ, vel solutorum jam cito liquidorum,

(*a*) *De igne adeo eleganter diseruit Clar. Boerh. ut fere tantum eadem repetere, pauca addere fas sit,* ait Petrus Van-Muschembroek Elem. Physic. Tom. I. Cap. 26. Nihilominus recentior Chemia consulenda. Videndum præcipue Doctoris Adair Crawfor opus super calore animali, et disertationes super eadem re, quæ extant in Analibus chemicis Lavoisierianis Tom. V. pag. 191. Attritus corporum solidorum ignem colligit, et excitat, unde calor nascitur pro ratione attritus præsertim inter corpora elastica.

quæ antea stagnabant ; ut in obesis : maxime inflatus venarum cum arteria voloce , et magna (*a*) simul ejus præsentiam docet.

682 Vasorum paucitas ex historia obstructionis (107. ad 124.), vel vulnerum (145. ad 331.), colligitur.

683 Angustia vasorum intelligitur conspectu, tactu, cognita temperie sicca, ad parva motus augmenta magno augmento caloris.

684 Immobilitas canalium, qua suæ dilatationi valde resistunt, cognoscitur omni signo rigidarum fibrarum, vasorum, viscerum (32. 33. 34. 50. 51. 52. 53.).

685 A tot causis proximis (674. ad 685.) pendet origo caloris febrilis ; quarum iterum infinitæ numero et varietate aliæ remotiores esse possunt.

686 Potest vero increscere ex incremento unius harum causarum solitario,

(*a*) Maximè notandum in summa plethora ob nimiam molem movendorum suffocato fere omni motu, et calorem, et pulsus auctam velocitatem vix observari, adeoque tunc hujus signi absentia quis falli poterit. Hoc casu potest in acuta febre calor esse adeo moderatus ut vix percipiatur ; sanguine autem aperta vena paulo copiosius educto febris emicat, et vehementior apparet, ut Sidenhamus vidit, et frequentèr contingit. Hoc casu solet ab ignorantibus culpari venæ sectio.

tumque se habet augmentum caloris, ut augmentum causæ.

687 Si rursum duæ causæ increscunt simul, habebit se auctus calor, ut productum incrementorum causarum, si multiplicentur per se mutuo.

688 Qui idem calculus in cæteris obtinere potest.

689 Calor auctus liquidissima dissipat ex nostro cruore, id est aquam, spiritus, sales, olea subtilissima, reliquam masam siccat, densat, concrescere cogit in immeabilem, irresolubilem materiem; sales, oleaque expedit, attenuat, acriora reddit, exhalat, movet; hinc minima vasa atterit, rumpit; fibras siccat, rigidas, contractasque reddit; hinc subito multos, celeres, periculosos, lethales morbos producit; qui à priori facile deduci possunt.

690 Ex his demum intelligi bene potest, quid requiratur ad mitigandum calorem, et quam varia eo remedia spectent.

691 Si sola velocitas aucta calorem facit, remedio erit quidquid eam minuit. Quies muscularis, et animi, missio sanguinis; levis brevisque compressio venarum in artubus, frigidorum (*a*) lenta et blan-

(*a*) Maxime notandum frigidum potum affatim imprimis haustum dum transit per œsophagum accumbentia ipsi vasa intercostalia, et

da applicatio interna atque externa, diacodiata prudenter assumta, primaria.

692 Si à densitate (678), curatur iis, quæ velocitatem minuunt (691); tum aquæ potu; et oxymelle; iisque, quæ vasa laxant.

693 Moles movendorum in plethora facile superatur (106. *d*); in cacochymia lente, et per vices evacuando, corrigendo; in solutis pinguibus, prius stagnantibus, maxima difficultas: tum aquosa, acida, mellita, vitelli ovorum, saccharina summi usus sunt, una cum evacuantibus assiduo usurpatis.

694 Obstructio calorem pariens (682) ex curatione obstructionis (125. ad 144), et ablatis vasis in vulnere supervenientium malorum sanatione, intelligitur.

diaphragmatica constringere, dein in ventriculum delatum frigore suo hepati ventriculo accumbenti, venæ cavæ sinui venoso adeo vicino pessime nocere posse cum sanguis noster in frigidam aquam demisus ilico coaguletur. Nonne frigidus aer calefacto corpori subito admisus adeo nocet, ut plures inde perire existimaverit Sidenhamus (Sect. VI. Cap. I.) quam peste, fame, et gladio simul? Præstat ergo prius tepida, et parum minus calentia quam corpus sanum applicare, atque sensim, et per gradus ad frigidiora descendere. Repetendum hic potum frigidum in morbis putridis; tepidum in inflammatoriis genericè præstare.

695 Ab angustia vasorum si pendet (683), requiritur horum dilatatio per laxantia (54).

696 Quibus iisdem (54) tollitur calor ex nimia vasorum rigiditate ortus.

697 Quoties autem excessus caloris ex combinatis oritur causis, toties remedia, hucusque descripta, (690. ad 697.) combinata inter se valebunt.

698 Ex tota hac doctrina Caloris (673. ad 698.) intelligi potest, cur febris calidissima sit acuta, celeris, putrida (*a*); et in calore summo pestifera? Cur lecti (*b*), aëris clausi, victus, medicamentorum calor adeo his noceant? Cur æstus circa cor,

(*a*) Ingens calor liquidissima diflat, sanguinem ejusque serum in concretionem vix resolubilem postea tendit, qui status inflammatorius dicitur. Si calor plus augetur sales, et olea expedit, attenuat, acriora reddit, exhalat, movet . . hoc est putrefacit.

(*b*) Quantum prosit per aliquot horas in morbis ardentissimis è lecto surgere, aerem renovare . . omnibus patet. Celsus in cura febris ardentis jam dixerat: *Etiam amplo conclavi tenendus æger quo multum, et purum aerem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus; sed admodum levibus tantum velandus est.* (Lib. III. Cap. 7.) Sidenhamus postea testatur se venæ sectione, aliisque artis auxiliis nimium febrilem impetum compescere non potuisse, si lecto incarcerarentur ægri, et stragulis obruerentur.

et hypochondria, tam malus? (*a*) Calor putrefacit, putredo facta ex se non calefacit.

699 Quin ex eadem perspicitur origo, natura, efficacia siccitatis; et curatio inde dirigitur, quæ potu, fotu, balneo, clysmate, gargarismate, ex aquosis, subacidis, mellitis, laxantibus fit.

DELIRIUM FEBRILE.

700 Delirium est idearum ortus non respondens externis causis, sed internæ cerebri dispositioni; una cum judicio ex his sequente, et animi affectu (*b*), motuque

(*a*) Calor in toto corpore sano est fere æqualis, si vero alicubi major resistentia liquidis per vasa propulsis ibi nascitur, sive vitio fluidi transmitendi, sive vasorum transmitentium, vel amborum simul hoc fiat augebitur attritus, adeoque et calor. Hippocrates jam dixerat: *qua parte corporis inest calor, aut frigus ibi morbus insidet* (IV. Aph. 39.) His sic stantibus hepar, lien friabilia viscera ab hoc attritu aucto inflammationi, rupturæ . . . aliisque malis erunt valde obnoxia. Hypochondria sedulo inspicienda esse vera suadet Medicina.

(*b*) Deliria, quæ animi affectus à grato vel ingrato ipsorum nati commitantur satis nota sunt; si vero ideæ perceptæ adiaphoræ sint, sive non habeant sibi adjunctum illud placens, vel displicens, et sint erroneæ dificile cognoscuntur, cum possit etiam sensorium commune illis af-

corporis inde sequente : atque his quidem per gradus auctis, solitariis, vel combinatis, varia deliriorum genera fiunt.

701 Ponit ergo semper cerebri medullosi affectionem morbosam ; quæ ab obstructione quacunque ; impedito influxu, trasfluxu, effluxu per cerebrum ; violentiori velocitate, stagnatione ; et plurimis sane causis (*a*) oriri potest ; ad quas in-

fectum esse in morbis sic, ut delirent ægri, quamvis nec animi affectus nec validi corporis motus deliria commitentur. Deliria ista obscura Medicos licet peritos aliquando fallunt, ad quod vitandum maxima requiritur prævidentia. Hippocrates dixerat : *in febribus mentis emotiones taciturnæ in eo qui voce privatus non est perniciosæ.* (Coac. prænot.) Hunc statum attonitum quasi, et taciturnum, et meticulosum horrendæ convulsiones sequi solent. Casum istum funestissimum ego vidi in Domina Excellentissima, atque coram Optimatibus aut optis ejusdem consanguineis, aliisque Professoribus pridem apertè, licet mœstissimè prænuntiavi!

(*a*) Delirium consideratum tanquam symptoma febrile frequentissime observatur adesse dum circa præcordia mali origo hæret : quo sublato, delirium tollitur licet capiti nulla medela adhibeatur. Revera sordes circa præcordia (cardiam nempe, hypochondria, epigastrium) hærentes, sive ex indigestibili materia asumpta, et hic corrupta ; sive à contagio morboso vel à sponte secretis liquidis, nec excretis tamen, sed hic stagnantibus, et corruptis omnes actiones cerebri turbare : deliria, furores, et alia pessima

vestigandas serio incumbendum, ut fiat curatio (*a*).

mala producere possunt. Hippocrates jam dixerat: *Singulæ corporis partes altera alteri cum huc vel illuc impetum fecerit statim morbum facit. Venter capiti, et caput carnibus ac ventri, et reliquæ omnes eadem ratione.* (De Loc. in hom. Cap. I.) Comunicationem istam ab Hippocrate cognitam alii per nervos, alii per vasa lymphatica, per textum cellularem alii explicare contendunt. Helmontius potestatem illam qua una pars affecta aliam distantem turbat *actionem regiminis* non inepte vocitabat. Medico sufficit novisse à talibus in his locis hærentibus fieri posse deliria, convulsiones, &c. quamvis ignoret qua lege hæc fiant, quia hoc cognito facile inveniet indicationem curatoriam, quæ jubet hæc illico tollenda esse.

An concentus musicus prodesse poterit? Celsus varia pro affectibus animi contrariis excitandis affert: *sæpius tamen* (concludit) *assentiendum quam repugnandum est*: paulatimque, et non evidenter ab his, quæ stulte dicuntur ad meliora mentem abducendam suadet.

(*a*) Affectio morbosa cerebri medullosi serio investiganda ut fiat illius curatio. Affectio ista adeo imminet, atque perniciosa est ut jam Medici veteres sedulo notaverint signa futuri delirii undecunque potuerint colligi. Hæc ex Semejotice in memoriam revocanda. Christiani Medici, quibus à Lege impositum est curationem animæ præponendam corpori hic peculiariter adstricti sunt de animæ curatione sagaciter deliberare. Et quoniam dubitari solet an Medici ore vel amicorum, propinquorumque ægrum de ipsius periculo conscium fieri debere, pla-

702 Nam pro varietate illarum (701) diversa remedia, et medendi methodus debent eligi: pediluvia, epispastica pedum et poplitum; frictiones harum partium; clysmata diluentia sæpe applicata; victus tenuis, potus sedans, deobstruens, diluens; medicamenta ad caput emollientia; emetica quandoque; purgantia; levia anodyna; cruoris ex pede emissio; hæmorrhoidum solutio; menstruorum laxatio, primaria habentur.

cet judicium Bassiani Carminati apponere his verbis comprehensum: *In hac autem re, de qua aliorum erit fusius disputare non una adductus ratione existimo, generatim præstare à Medico potius, quam ab aliis funestum morbi eventum cubanti declarari. Hic enim paulatim, et lenius quo fieri potest, dum id ipsum revelat, inspiciens quæ ægro accidant, funestum nuntium ita leniet, ut minus ipse convellatur, ac sanguinis, et necessitudinis vinculo non impeditus poterit majori animo argumenta infirmo suppeditare quæ, et quietem adducant, et spem futuræ felicitatis, quæ sit præmium laboris, atque virtutis.*

Hygiene . . . Tom. I. Cap. XII. num. 515.

COMA FEBRILE.

703 Coma est in febre assidua somnolentia cum effectu, vel sine eo (*a*); ponit ubique eum in cerebro statum, unde impeditur sensuum, motuumque animalium exercitatio; qui oriri potest à defectu appellendi liquidi arteriosi ad cerebrum, aut ab impedito ejus circulo per cerebrum, aut ab impedita secretione spirituum à sanguine in nervos; aut ab denegato horum per nervos fluxu, et refluxu.

(*a*) Valde notabilis est distinctio comatis in coma somnolentum, et coma vigil. Istud accidit quando ægri somnolentia insuperabili laborant quidem, verum in ipso quasi somni limine horrendis somniis perculsi mox evigilant summo cum tremore, et sæpe cum convulsionibus, moxque iterum in priorem somnolentiam relabuntur. Coma somnolentum accidit si omnes actiones animales æquabili impedimento sopiantur: Pervigil autem coma tunc videtur obtinere quando per quædam loca non impeditur subtilissimi liquidi illius motus, tunc tamen in reliquis, et plurimis hoc fit. Unde majori cum impetu, et inordinato motu quædam loca sensorii communis agitantur, et in quosdam nervos spiritus ruunt, hinc cum tremore, et motibus convulsibis excitantur tales ægri, mox iterum in priorem somnolentiam relapsuri: sicque alternis hisce malis maximè laborant, et curari debent.

704 Hinc plurimæ, diversæ, et sæpe contrariæ causæ hunc affectum in febre producunt, quales sunt omnes vehementes evacuationes, aut repletiones; omnes nimiæ sanguinis inspissationes glutinosæ, pingues, inflammatoriæ; omnes causæ cerebrum ipsum comprimentes, qualescunque fuerint; quæ eædem in nervos, si agunt, eadem fere efficiunt.

705 Unde iterum patet, à Medico per signa prius indagandam causam illam singularem esse, antequam definiri queat, quid applicandum sit, et quomodo: nam sæpe contraria exiguntur; et sæpe coma diu pertinax, irrito tentatis omnibus, sponte tandem cessat, pepasmo febris absoluto.

706 Illa autem, quæ delirio (*a*), hic apta (702), inprimis fomenta capiti, colloque applicata.

707 Si autem magnæ inflammationis signa adsint, curandum ut morbus princeps, de quo postea.

(*a*) Anodyna, quæ in delirio curando prudenter, et debito morbi tempore adhibita prossunt rarius hic usum habent; vixque adhibentur unquam nisi alium quodam symptoma hoc postulet. Diarrhœa, dysenteria . . vehementes ita, ut vitæ periculum immineat ea exigunt per clysmata præsertim injicienda. Si coma à nimia velocitate motus circulatorii nascitur, ut in

PERVIGILIUM FEBRILE.

708 Contrarium illi malo (703) est Pervigilium; unde intelligitur: et pro causa habet plerumque levissimæ inflammationis cerebri prima initia, quibus auctis in coma mutatur sæpe.

709 Curatur quiete musculari corporis; pace mentis; absentia objectorum sensuum; frigore modico; aëre humido; victu blando emolliente; potu farinoso, leni, emolliente; susurro leni, assiduo, grato, blande tinnulo; medicamentis farinosis, suboleosis, humectantibus, demulcentibus; odore vegetabilium soporiferorum; usu anodynorum, paregoricorum, soporiferorum, narcoticorum; præmissis semper, quæ inflammationi curandæ, et compescendo ejus incremento valent (*a*).

febre illa secundaria variolarum accidit anodyna præscripsit Sidenhamus, quibus furibundum illum orgasmum compescere satagebat.

(*a*) Ad inflammationem istam levissimam cerebri sanandam conducunt, imprimis pedum balnea, et frictiones, situs corporis erectus, epispastica partibus corporis inferioribus applicata. . quæ impetum à capite revellunt. Lintea posca madida fronti applicata, seu aqua rosarum stilatitia madida, et frigidè sincipiti, ac temporibus apposita prossunt.

CONVULSIO FEBRILIS.

710 Convulsio prius descripta (230. ad 239.) hic semper à vitio cerebri (*a*), quod vel ab inferioribus per nervos (627. 631. 632. 633. 642. 648. 649. 652. 653. 654.) cerebrum vellicantibus afficitur ; vel ex inordinato appulsu, transfluxu, egressu liquidi cerebrosi, quod oriri potest ex omni illa causa, quæ deliria, comata, pervigilia creare potest (701. 702. 703. 704. 708.), quare iterum magna hic varietas in ætiologia, et curatione.

711 Si diu perseverat, commercio nervorum facile totum genus nervosum afficit, unde tristia mala.

721 Si inflammationis cerebri signa prægræssa subsequitur convulsio, fere lethalis. Si post urinam crassam prius emissam mox aquosa, pellucida exit, dein convulsio fit, pessima est : si in febre post magnas evacuationes oritur convulsio, et hæc fere lethalis : ut et quæ cum delirio perpetuo.

(*a*) Convulsio febrilis de qua hic agitur in musculis mobendo corpori destinatis, et voluntatis imperio subjectis locum habet, adeoque semper à vitio cerebri pendet. Hoc vitium à læsione aliarum partium potest etiam provenire, ut alibi dictum.

713 In curationem prius pervestiganda est causa singularis (710), et locus primario affectus, unde convulsio ortum habet (710), dein ocyus medicamenta applicanda illa, quibus acre leniri, impactum resolvi, contractum laxari possit. Unde diluere, laxare, revellere, lenire (*a*), fere sanare solent convulsiones hasce; nec unquam specioso antispasticorum titulo fides adhiberi debet.

714 Si autem caput primario affectum deprehenditur, debet curatio fieri dicta (706).

SUDOR FEBRILIS.

715 Sudor in initio acutæ febris, cujus causa paulo pertinacior (*b*), pro causa

(*a*) Est unus vel alter locus apud Hippocratem. (V. Aph. 21. et 25.) ubi frigidæ copiosæ affusionem laudat ad convulsiones. In aliis reprobat. Si aliquando prodest erit fortè calorem revocando, vel stuporem nervis inducendo ex eodem. Convulsiones hystericæ aquæ frigidæ aspersione quandoque tolluntur. Horror subitus, et concusio totius corporis, quæ frigidæ affusionem sequi solent, poterunt mutare illam spirituum directionem, quæ jam adest, et convulsiones facit. In convulsionibus febrilibus curandis parum tuta videtur ista methodus.

(*b*) Per initium febris acutæ intelligitur hic

habet vasorum extremorum laxam debilitatem, cruoris circulationem vehementem, facilem aquæ ex reliquis sanguinis principiis expeditionem.

716 Si perennat, orbat sanguinem liquido diluente, reliquum inspissat, obstructiones facit lethales, sanguine postea vix diluentibus vel resolventibus auscultante; unde omne fere morborum acutorum genus produci potest (*a*).

717 Ergo initio semper cohibendus, nisi constet, materiem morbi adeo tenuem

totum illud morbi tempus in quo nondum apparet manifestum coctionis indicium. Hoc sensu initium febris acutæ sæpe comprehendit magnam partem illius temporis morbi, quod incrementum, vel ascensus solet vocari. In febre acuta à causa subtili orta sudor tertio die jam poterit esse criticus, si vero ejus causa paulo fuerit pertinacior erit symptomaticus. Causa sudoris triplex revera est, ut in textu innuitur.

(*a*) Idea per sudores in morbis acutis expellendi materiam morbosam, etsi non integre saltem pro parte perniciosa fuit. Sidenhamus generoso ausu primus, et solus fere se huic torrenti opposuit, et perniciosam hanc medendi methodum gravissimis argumentis debellavit; illique contrariam felici in periculosissimis etiam morbis eventu stabilivit. Quanta bona expectanda à Medicis qui pari audacia illustrata in aliis abusibus compescendis intendant! ¡Quanta bona attulit humano generi Sidenhamus iste Medicus incomparabilis non nisi summissa reverentia nominandus!

esse, ut cum primo sudore difflari possit (*a*).

718 Prohibetur (*b*) surgendo ex lecto; sedendo; corpus à nimiis integumentis liberando; aërem frigidiusculum admittendo; calidis, calefacientibusque abstinendo; potu plurimo leni, blando, frigidiusculo sæpe utendo, ut amissi damnum resarciatur cito, circulationem nimis velocem refrænando (102. ad 106).

(*a*) Exceptio ista vera est in peste, et in illis febribus pestilentialibus à materia adeo tenui, et mobili productis, ita ut primo sudore diffari possint ipso Sidenhamo ita anuente, et exequente. In mirabili illo morbo, qui Ephemera britanica, vel et Sudor anglicus vocari solet etiam prossunt. Electuarium cordiale Pharmacop. hispan. cum aliquot cochlearibus mixturæ aromaticæ . . . his casibus prodesse poterunt.

(*b*) Sudor in febrium initiis ortus omni arte, sed prudenter tollendus; sudantem enim ægrum subito è lecto educere, vix tecto corpore aeri frigidiusculo exponere . . nemo prudens suadebit. Abstersio sudoris ab Egineta laudata, et communiter in usum adducta non adeo proderit ac flabello leviter refrigeratus sudor; hic ipse adstringet vasa cutanea, et sedabitur. Adstringentia nimis laxa cutis spiracula roborare valent. Pinguia etiam prodesse quandoque possunt.

Sudores, qui in fine febrium diuturnarum nimii observari solent quinque vel sex cochlearibus vini malacensis annosioris mane, et ves-

719 Diarrhoea pro materie habet mucum, lympham, gluten (*a*), pus, saniem sanguinem, narium, oris, faucium, œsophagi, ventriculi, hepatis, vesiculæ felis, pancreatis, intestinorum, mesenterii; pro causa vires in intestina expellentes validas, dum in ipsis intestinis contrahentes vires debiles (*b*), vel in vasis intestinorum absorbentibus impedimenta, ne admittant.

peri curabantur à Sidenhamo. Salviæ infussum vino paratum, vel vini spiritu. . . proderit.

(*a*) Gluten est muco naturali tenacius, et quandoque ex hujus accumulatione, et mora diuturniori natum. Miras talis glutinis in intestinis concretiones offert historia medica. Legatus Caroli V. Imperatoris per sex annos tanquam schirro lienis laborans curatus fuit. Injecto tandem acriori clystere prodit corpus durum longum, atque repetitis clysteribus simili educta materie integre convaluit, ita Fernelio referente (Lib. VI. Path. Cap. 9.) Pituita illa vitrea, et alia similia huc referri possunt.

Ex hepate per porum biliarium, ex vesica fellis per ductum cysticum in intestinum duodenum via patet; unde diarrhœæ biliosæ, hepaticæ, atrabiliariæ. . fierit possunt.

(*b*) Advertendum hic non in omni diarrhæa per resoluta, et paralytica intestina dilabi contenta, verum etiam quatenus naturalis effectus contractionis illius, resorptio nempe liquidi per

720 Quare liquet, fluorem alvi in febribus multiplicem esse quoad materiem; causam; effectus; eventum; adeoque sæpe omnino incurabilem esse; et raro colliquativum, eumque vix unquam medicabilem (*a*).

721 Si continuatur diu, viscera abdominalia magis magisque in eundem morbum disponit; eadem labefactat; excoriat; inflammat; reliqua autem vasa et viscera emungit, exhaurit; hinc atrophia, macies, debilitas, dysenteria, inspissatio fluidorum per totum habitum corporis (*b*),

vasa absorventia minuitur, licet vi contractili intestinorum satis valida manente accelerato motu peristaltico expellantur contenta. Pariter de Lienteria intelligendum, quæ alias intestinorum imbecilitati tribuitur, alias mordacibus, acribusque humoribus ventriculum, et intestina irritantibus, ita Galeno pronuntiante.

(*a*) Hæc est illa diarrhœa, quæ in phthisi consumata morbo, et vitæ finem imponere solet. Similis et hydropicis sub finem vitæ contingit dum diuturna stagnatione corruptæ aquæ putrefecerunt viscera, quæ his alluuntur, tuncque miseri ægri sæpe optimam spem curationis concipiunt dum mors instat.

(*b*) Per diarrhœam sæpe evacuari constat de corpore noxios humores; quandoque, et nimiam bonorum humorum abundantiam minui, adeoque, et quandoque prodesse diarrhœam. His etiam casibus Hippocrates noluit ut ultra septimum diem [illegible]uxus excurreret. Celsus Hip-

solidorum laxitas ; fluidorum jactura ; leucophlegmatia ; hydrops ; tabes (*a*).

722 Sanatio absolvitur acris irritantis lenimine ; expulsu per emetica (*b*), purgan-

pocratis vestigia sequens dixit : *Sed uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est : atque etiam pluribus , dum febris absit , et intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus , et quod intus læsurum erat utiliter effunditur.* (Lib. IV. Cap. 19.) Si amplius continuatur in textu dicta mala timeri debent.

(*a*) Hoc casu illud quod remanet diluente vehiculo orbatum obstructionibus , et inflammationibus producendis aptissimum erit. Hinc patet ratio quare Hippocrates qui ophtalmia laboranti diarrhœam prodesse dixerat , alibi notaverit , *oculorum rubedinem ortam diuturnam alvi malignitatem significare.* (Coac. prænot. n. 220.) Ob eandem rationem in diuturna lienteria *rubet facies* , et quasi maculis quibusdam omnium colorum distinguitur ex Celso (Lib. II. Cap. 8.) In phthisicis desperatis : in hydrope inveterata post diarrhœas colliquativas pustulæ inflammatoriæ in facie nascuntur , quoniam ruber sanguis jam solus paucus quidem , sed immeabilis , et spissus circa arteriarum angustias hæret. Denique de diarrhœa pertinaci idem dicendum ac de purgantium abusu : *assuescit enim non ali corpus* (Celsus Lib. I. Cap. 3.)

(*b*) Vomitoria in diarrhœa tripliciter prodesse possunt 1. sursum educta materie circa ventriculum , et intestina superiora hærente , quæ continuo stimulo irritabat quidem intestina , nec tamen prompte poterat per intestina versus alvum propelli. 2. inter vomendum validis illis

tia, clysmata; corroboratione laxi; pacatione impetus per narcotica; determinatione aliorsum per sudores, urinasve; subductione materiæ morbosæ, correcto ejus fonte primo.

viscerum abdominalium concusibus mobilis reditur irritans materia, quæ hactenus fixa hærebat. 3. per vomitum invertitur intestinorum motus hactenus celerrime omnia contenta versus anum ducens. Hippocrates jam dixerat: *longa diarrhœa detento spontaneus succedens vomitus diarrhœam solvit.* (VI. Aph. 15.) *Cum quis alvum celerrime sistere volet deboratum cibum priusquam humescat, et deorsum detrahatur vomere oportet* (Lib. II. Cap. 10. de Victus ratione sanorum.) Ipecacuanhæ radix preferenda, quia non tam valide corpus turbat, quam antimonialia vomitoria. Purgantia eligenda illa quæ una cum vi purgante manifestam adstrictionem posident, et sanis hominibus data post absolutam purgationem alvum strictam efficiunt v. gr. rhabarbarum, rhaponticum . . In horum remediorum administratione debet adesse spes materiam irritantem sic expelli posse; simulque firma, et sana viscera sint ut horum actionem ferre valeant, et intestina minime inflammata sint, quod aliquando accidit sine ullo febris visibili signo exterius se prodente. Hoc observavit Sidenhamus in febre quadam continua, quæ variolas epidemice grasantes commitabatur, et inflammatorii generis erat, diarrhœam adfuisse: quinimo, et eodem tempore diarrhœa absque manifesto febris inditio epidemice grasabatur. Venæ sectione, medicamentis, diæta, et regimine

723 Pustulæ inflammatoriæ habent ut plurimum pro materie aliquid, quod minima vascula cutanea transire non po-

refrigerantibus, prompte curabatur hæc diarrhœæ species. Ubi vero rhabarbaro, aliisve catharticis etsi lenioribus, vel et adstringentibus cura tentabatur, levis ex sua natura morbus sæpissime evasit exitialis (Sect. III. Cap. 3.) Cave tamen ne diarrhœa, aut dysenteria intempestive sistantur; epilepsia enim, pleuritis, densa scabies læpræ similis; aphtæ; abscesus, surditas... aliave mala progerminari visum fuit. Notandum denique dysenteriam quando fœces sunt olidissimæ maxime esse contagiosam.

Sauvagesius Clase IX. *Fluxus* Ordine II. *Alvi Fluxus* Genere XVI. *Diarrhœa* Species: Stercorosa (à cibis corruptis), vulgaris, (à toto corpore sine febre) febrilis, pituitosa, carnosa, variolosa, acrisia, (hoc est intempestiva qualis accidit pueris dormientibus, aut sui nimium negligentibus) biliosa, arthritica, purulenta, chiliensis (iis endemica ab intestino recto inflammato pendens) colliquativa, verminosa, à dentitione, ab hipercatharsi, choleriodes, (choleræ morbo similis) adiposa, lactentium, febricosa (quæ intermitens kina curanda) pleuriticorum.

Cullenius Clase II. *Neuroses*, Ordine III. *Spasmi*, Genere LXI. *Diarrhœa*. Sub hoc genere comprehendit hic Auctor pasionem cœliacam, lienteriam, dysenteriam, hepatirrhœam... Vid. Inst Med. §. 814. Nota (*a*).

test, sed ibidem hæret (*a*); pro causa autem vim vitæ circulatoriam, secretoriam, excretoriam : unde pro variis hisce causis valde multiplices sunt, unde febres nomen dein accipiunt, erysipelatosæ, scarlatinæ, petechiales (*b*) rubræ, petechiales purpuræ, morbillosæ, variolosæ.

(*a*) Exanthemata sunt efflorescentiæ ex alto corpore in cutem pululantes, et pustulas excitantes, aut aspredines quasdam : stimuli in cute hærentes vascula constringentes. An non quandoque in aere nos ambiente isti hærere possunt? Ita videtur Reaumurio testante. Jam dixerat Hippocrates (Lib. II. Epid. initio) *Quod largi imbres cum ardoribus, et ventis austrinis pruritum fecerint, et phlygtænides ambustis similes, quibus sub cutim uri videbantur.* Observata docent quandoque illud quod pruritus, et exanthemata facit hærere in ventriculo, et circa præcordia; atque hoc excuso statim ista evanescere. An forte in febribus collectis circa præcordia malignis talibus sordibus quandoque exanthemata prodeunt? Evanescentia horum deturbatis his sordibus sursum vel deorsum, sponte vel arte, quæ aliquando contingit, id videtur suadere. *Anxiis alvi turbatæ suppressio, brevi vel ut culicum punctura efflorescunt.* (Hipp. Coac. prænot. n. 564.)

(*b*) Febres puncticulares utplurimum epidemicæ febres sunt perniciosæ, malignæ, et contagiosæ nimium, de quibus amplissima extant commentaria. Inter Hispanos eminet Aloisius Toreu in tractatu pereleganti de febre puncticulari vulgo *Tabardillo*. Hinc maxime notandum ingenium morbi, quod exanthemata commitantur. Ru-

724 De tribus posterioribus seorsum tractari solet : de tribus primis autem facile diagnosis, et prognosis formari queunt.

725 Curatio difficilis non est (*a*), quum raro quidquam requirant, nisi ut satis larga levis liquidi copia mobilis servetur materies, atque vis vitæ in justo moderamine perseveret assiduo ; tum enim brevi cum desquamatione epidermidis abeunt.

726 Reliqua febris symptomata (*b*) his similia, et agnata, vel ut morbi ipsi curari postulant.

ber color minus certe funestus. Regimen calidum exestuans improvide, imo perniciose in curationem adhibitum febrim exasperando quandoque producit ea, in quo regimine Medici peccant. Antonius Haen variis locis Rationis suæ medendi istud energice pertractat, reprobatque.

(*a*) Hic Boerhaavius unice considerat simplicissimam obstructionem in vasis cutaneis ut in scarlatina febre, quæ vix morbi nomen meretur ex Sidenhamo. Est etiam facilis sanatio si signa docuerint, circa præcordia hærere mali fomitem, tunc enim vomitorio leni, vel purgante dato sanabuntur.

De morbis aliis cutaneis ample, et utiliter tractavit Carolus Ana Lorry omnimode consullendus. *De Morbis Cutaneis.* Paris. An. 1780.

(*b*) Maximilianus Stoll de Aphtis hic tanquam de symptomate febrili tractat post exanthemata febrilia, et revera aphtæ utplurimum tales sunt. Boerhaav. alibi eas tractat. (Aph. 978.) ita exacte ut, literaliter ab Stollio transcribatur.

727 Hinc patet, quid sentiendum de febrium acutarum varietate; nam quæ motum febrilem semel excitatum uno impetu ad finem perducunt, Continuas vocamus; quæ per vices impetum remittunt, et denno excitant, ut semper duret febris, Continuas Remittentes; quæ per vices impetum remittunt, ut plena *apyrexia* inter duos quosque paroxysmos intercedat, vocantur Intermittentes (*a*).

Sauvagesius Clase I. *Vitia* de his symptomatibus cutaneis tractat, sed tantum hic proponit symptomata ista cutanea levidensia vel mechanicis chirurgiæ auxiliis curanda, ut sunt; efflorescentiæ, phymata, excrescentiæ, cystides, et ectopiæ, seu tumores à partibus à sua sede dimotis: et hi sunt sex hujus clasis ordines in quos ista distribuitur.

In Clase III. *Phlegmasiæ* Ordine primo proponit *phlegmasias exantematicas*, quas dicit esse: eruptiones cutaneas cum pyrexia sæpius maligna, cujus species sunt: variola, pemphigus, seu febris vesicularis, rubeola, miliaris, purpura, erisipelas, scarlatina, essera seu macula, aphta.

Cullenius Clase I. *Pyrexiæ*, Ordine III. *Exantemata*, quorum genera: variola, varicella, seu variola lymphatica: rubeola, scarlatina, pestis, erysipelas, miliaria, urticaria: pemphygus, seu tiphus contagiosa, aphta.

(*a*) Non incongruum hic videtur in Tyronum commodum innuere Sauvagesii, et Cullenii circa divisiones febrium sententias, et enar-

FEBRIS CONTINUA.

728 Continuarum simplicissima Ephemera, seu diaria, spatio 24. horarum iterationes antequam de febribus in particulari agatur.

Sauvagesius Clase II. FEBRES. Caracter: *Syndromes frigoris, succesivique caloris cum artuum debilitate, et pulsus vi adaucta sæpe quoad frequentiam.*

Ordo I. CONTINUÆ. *Pyrexia semel crescit, et semel decrescit in decursu ægritudinis.* Genera sunt:

I. *Ephemera.* Decursus ægritudinis intra dimidiam septimanam absolvitur. Vigor morbi subito accidit.

II. *Synocha*, decursus intra septimanam, incrementum succesivum.

III. *Synochus*, decursus intra duas saltem septimanas, pyrexia major.

IV. *Typhus*, decursus ad tres septimanas, et ultra, pyrexia nulla, aut exigua; debilitas maxima.

V. *Hectica*, decursus ultra mensem, pyrexia exigua, debilitas parva.

Ordo II. REMITENTES. *Pyrexia pluries in decursu morbi crescit, et decrescit, non omnino recedit, typus sæpe confusus.* Genera sunt:

VI. *Anphymerina*, remisio quotidianæ typum servat, frigus in paroxismis.

VII. *Triteophia*, remisionis typus tertianarius, frigus fere nullum.

tia, incrementa, statum, declinationem absolvens. Causas agnoscit solum motum vehementiorem, peccato sex rerum non

VIII. *Tetratophia*, remisio quartanæ typum servans.

Ordo III. INTERMITENTES. *Pyrexia pluries in decursu ægritudinis deserit, et recurrit cum intervallis lucidis.* Genera sunt:

IX. *Quotidiana*, accesus similes quolibet die accidunt.

X. *Tertiana*, accesus similes alternis diebus revertuntur.

XI. *Quartana*, accesus similes duobus interpositis diebus redeunt.

XII. *Erratica*, accesus similes distantes ad invicem pluribus quam quatuor diebus, aut typi omnino incerti.

Cullenius Clase I. *Pyrexiæ*, Ordine I. *Febres.* Sectio I. *Intermitentes.* Genera III. Tertiana: Quartana: Quotidiana.

Sectio II. *Continuæ*, cujus genera III. Synocha, typhus, synochus.

Iste Auctor aserit divisionem febrium continuarum ex duratione morbi, qua præcipue usi sunt Nosologi Sauvagesius, Linnæus, et Sagarus manifesto ineptam esse. Aliam itaque divisionem instituit iste Auctor à differentia symptomatum, et à natura morborum quantum de ea judicare liceat desumptam, secutus simul illam apud Britannos nunc maxime usitatam divisionem febrium continuarum in *inflammatorias*, et *nervosas.*

Synocham febrem vocavit Auctor iste illam in qua calor plurimum auctus; pulsus frequens, validus, et durus; urina rubra; sensorii func-

naturalium ortum ; vix ullam materiam. Cognoscitur ; à causa levi ; corpore puro, symptomatibus levibus ; crisi cita ; pulsu mox à febris exitu plane restituto (*a*). Curatio facilis , abstinentia , quiete , dilutione.

tiones parum turbatæ v. gr. Ephemera , et continua non putris Boerhaavi (Aph. 728. 9.) febris inflammatoria Auctorum. Vocavit *Typhum* morbum contagiosum , in quo calor parum auctus ; pulsus parvus, debilis , plerunque frequens; urina parum mutata ; sensorii functiones plurimum turbatæ , vires multum imminutæ. Hi typhi gradu variant. Febres nervosæ recentiorum sub titulo typhi mitioris colocandæ : putridæ sub titulo typhi gravioris recensendæ. *Synochum* vocavit morbum etiam contagiosum in quo febris ex synocha , et typho compossita , initio synocha , progresu et versus finem Typhus. Hanc dicit esse febrem continuam putridam Boerhaavii Aph. 730. Inter typhum et synochum limites acuratos poni difficile est.

Hecticam febrim licet nunquam idiopathicam , sed symptomaticam semper observaverit Auctor iste hic addit eam ita cum caractere definiens : febris quotidie revertens ; accesionibus meridianis , et vespertinis ; remisione , rarius apyrexia , matutina ; plerumque sudoribus nocturnis , et urina sedimentum furfuraceo-latericium deponente. Videatur Appendix de Febribus in fine hujus voluminis in quo harum divisiones amplius proponuntur.

(*a*) Hoc signo Ephemeram ab intermitentium febrium paroxismis distinguere poterit Medicus. Post finitum febris paroxismum si reversurus

729 Si protrahitur dicta febris (728) per plures dies, vocatur Continua non putris (*a*); causæ, signa, medela eadem; maxime venæ sectione larga, et refrigerantibus eget.

est iste pulsus debilitas, et aliqua celeritas deprehenduntur. Aliquando primus tertianæ vernæ paroxismus mitis sub ephemeræ specie fallere utcunque poterit; error tamen hic licet absque ægrorum detrimento honori tamen artis, et Medici famæ insidiatur, quæ sedulo præcavenda. Quod Medico maxime interest est primum tertianæ perniciosæ paroxismum sedulo, atque sagaciter dignoscere: ista enim inadvertentia cum maximo ægrotantis periculo patrabitur. Vid. Appendix.

(*a*) Febris ista dicitur Synochus non putris ut distinguatur à Synocho putri de qua statim dicetur. Dicuntur etiam Ephemeræ protractæ et sunt illæ *mitissimæ febres quæ in securissimis incedunt signis, et die quarto, aut ante desinunt*, ut ab Hippocrate in Prognosticis memorantur. Ephemera ista diutius protracta acceleratur motus sanguinis circulatorius, augetur, qui hanc commitari solet, calor, diflantur partes aquosæ sanguinis, hujus molleculæ cohærere incipiunt, et visciditatem inflammatoriam adquirunt: tunc simul sales, et olea sanguinis volatiliora redduntur; unde ex tali febre viscerum inflammatio, humorum acrimonia, putrescentia, aliaque mala timeri possunt ratione idiosyncrasiæ ad putredinem, inflammationem . . pronæ. Ideo larga venæ sectio hic convenit tanquam ad præsentem inflammationem eficacissimum remedium,

FEBRIS CONTINUA PUTRIDA.

730 Synochus putris (*a*) dicta fuit, quæ debetur causis inflammatione simplici majoribus, viscerum obstructioni, cutis op-

simulque ad illam, quæ futura metuitur tutissimum præsidium; hac enim facta sæpe illico febris sedatur uti Galeno accidit, de quo dicitur sanguinis missione ad animi deliquium usque hujusmodi febrem jugulasse. Videantur illa, quæ Aph. 691. et sequentibus de cura caloris febrilis dicta fuerunt. Videatur etiam febris inflammatoriæ descriptio, quæ traditur in Appendice in Tyronum gratiam, et utilitatem.

Sauvagesius Clase II. *Febres.* Ord. I. *Continuæ* Gen. I. *Ephemera.* Species: plethorica, nauseativa: à frigore: à calore: lactea: à phlogosi: sudatoria (sudor anglicus pestilens) menstruosa: aniversaria, hæmotydrotica (sudore sanguineo stipata): dichomene (menstrua duplex, seu quæ decimo quinto quovis die revertitur) periculosa.

Genere II. *Synocha* (ephemera plurium dierum, gravior illa) speties: plethorica: ardens seu biliosa: putrida: tragœda: (Abderitarum) catarrhalis: scorbutica: dolorum: cephalalgica:

Cullenius in hoc parum à Sauvagesio differt.

(*a*) Per putredinem in febribus intelligitur tantum degeneratio insignis humorum à conditionibus suis naturalibus. Putredo ista humorum, quæ fit in vasis similis est illi, quæ in abscesibus, et aliis tuberculis observatur, et adhuc varia est ista putredo prout natura, vel

pilationi, et capillarium fere omnium, acrimoniæ vero acutiori, sæpe prorsus singulari (*a*).

731 Cognoscitur calore digitum tangentem quasi pungente, pulsu febrili, sed et inæquali, et non ordinato, urina crassa, rubra, turbida, cruda sine sedimento, temperie, ætate, habitu, calidis, sanguinolentisque (*b*).

732 Hæc Homotonos, Epacmastica,

superat, vel superatur, ut alibi dictum ex Galeno.

(*a*) Acrimonia ista potest esse variolosa, maligna, pestilentialis... solis effectibus manifestanda. Humores quandoque inspissando se prodit, et inflammando; alias attenuando, hæmorrhagias producendo, eosdem fundendo, et ad putredinem disponendo. Hujus prosapiæ videtur fuisse ille morbus, quam sub *Typhi* nomine Hippocrates (Lib. de intern. affect. Cap. 41.) descripsit ex van-Swietenio. Hæ videntur etiam esse illæ febres acutæ, in quibus vididæ potio tanquam utilissima à veteribus Medicis laudatur. Maxima enim febrium continentium remedia duo esse dixit Galenus (Meth. med. Lib. IX. Cap. 5.) venæ sectionem, et potionem frigidæ. Spiritus ex sale marino, nitro, sulphure eliciti putridam istam humorum disolutionem coercere valent.

(*b*) Temperies debet esse bilioso-sanguinea; ætas consistens, habitus gracilis. Præter ista observanda respiratio, lassitudo, debilitas, mentis perturbatio, prostratio appetitus.. quorum gradus prognosim efformant ut mox dicitur. (Aphorism. 734.)

seu Anabatica, vel Paracmastica (*a*).

733 Ex quibus prior salutaris: pessima secunda: melior tertia.

734 Pulsus quo debilior, frequentior, inæqualior robore, inordinatior tempore, intermittentior ictu; respiratio quo difficilior, frequentior, anhelosior, cum narium pinnis magis motis, quo magis dolens circa vitalia, quo inordinatior; laxitudo quo vehementior, debilitas major, jactatio corporis frequentior, decubitus in dorsum, extensis membris, frequentior; rationis, affectuum, quo usus perturbatior, appetitus magis prostratus, digestio molestior, urina rubicundior, crassior, turbidior (*b*), cum sedimento minori, vel et

(*c*) Febris Homotonos seu Acmastica est illa, quæ principium, et declinationem brevissima habet, augmentum, et statum longiora, et æquabilia sine remissione ulla, aut saltem sensibili. Febris Epacmastica, seu Anabatica est illa, quæ paulatim increscit: Paracmastica, quæ decrescit.

(*a*) Huc advocanda semejotice, quæ de pulsu, urina . . pertractat. Legendus etiam, et serio meditandus Hippocratis Liber Prognosticon, quem in fine hujus voluminis transcribimus in memoriam, et contemplationem diuturnam merito revocandus.

De urina tantum hic dicendum, quod si ejus contentis saturatior sit (Inst. Med. §. 375.) crasior erit, verum quo validior febris fuerit eo major attritus, et degeneratio salium, et oleo-

tenuior, magisque aquosa, parcior, minus retinenda; motus quo magis tremuli, tactum refugientes, ludentes, carpentes (*a*); oculi, quo luctuosiores, involuntariis la-

rum sanguinis in majorem acrimoniam adsunt, adeoque eo major copia talium, quæ per urinam debent exire de corpore. Si tanta sit contentorum copia vel diluentis vehiculi in urina penuria, ut illa, quæ in urina soluta hærent æquabiliter sustineri nequeant turbatur urina, et opaca redditur citius vel serius pro varia contentorum copia et indole, et majori minorive frigoris gradu cui talis urina exponitur. Videmus enim hyemali sub frigore sanorum urinam turbari, et crassam fieri, quæ tamen aucto calore iterum limpida, et tenuis redditur. Idem etiam æstivis caloribus per sudores diffata sanguinis aqua contingit dum sic rubra, et acris urina redditur, quæ quandoque satis cito turbida, et opaca fit; affusa vero aqua calida reddit pelluciditas, vel etiam si postea dilutior, et calida urina addatur: unde sæpe mirantur ignari dum urinam vesperi ante somnum emmissam turbidam mane redditam vident, atque paulo post iterum pellucidam cum recens, et calida urina illi admiscetur . . tales ergo crassæ urinæ cruditatem magnam morbi designant in febribus, et validum impetum quo natura in morbi materiam agit, et sic periculosæ.

(*a*) Hæc est illa carphologia, de qua Sauvagesius Clase IV. Ordine III. Genere X. quam ita definit: Est motus velut convulsivus manuum, quo ægri floccos è vestibus evellere, paleas colligere, muscas venari, &c. videntur, quo tendinum subsultus referri possunt.

chymis humidiores (*a*), eo morbus hic (730) pejor, lethalior.

735 Sed ubi somnus difficilis, et male cedens, pustulæ purpureæ, vel lividæ corpus deturpant, hypochondria tensa, et inflata (*b*), fere moritur.

736 Curatio ante tradita pro indicantium varietate (*c*); symptomatum vehe-

(*a*) Ad omnia hæc attendendum est : unde optime Celsus jussit ut *Medicus neque in tenebris, neque à capite ægri resideat, sed illustri loco adversus eum ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat.* (Lib. III. Cap. 6.)

(*b*) Hoc casu inflatio ista fit vel à putrefactis humoribus elasticam materiam generantibus; uti etiam ab inflammatoria distensione hepatis, et lienis, qui casus letalis est. In moribundis sæpe totum abdomen in æquabilem tumorem attolitur, et inflatur. Hoc accidit à resolutione ventriculi, et intestinorum, unde non amplius dilatantibus causis resistunt, sed miro modo expanduntur. *Natura quandoque universi potestatem non superat* jam dixerat Hippocrates. (De diebus judicatoriis vers. 15.) In hoc casu enim ab universi potestate, hoc est à qualitatibus physicis aeris v. gr. pondere, elasticitate, calore . . superatur.

(*c*) In synocho à naturali statu plurimum degenerant humores ; quandoque in spissitudinem inflammatoriam tendunt, aliquando etiam in nimiam dissolutionem vergere observantur; adeoque et morbus quamvis nomine idem, diversam omnino medelam requirit prout vel in inflammationem, vel in putrefactionem vergit.

mentia, ægri conditione, statuque morbi variata nihil singularis (*a*) requirit.

737 Has dixit *synochos* Vetustas, Continentes Schola, quia nulla in his fervoris remissio: *synechees* (*b*) vero, sive continuas (727), quæ Continuæ remittentes.

(*a*) Curatio febris continuæ putridæ in gratiam tyronum hic amplius esset declaranda.

Et quoniam res ista maximi est momenti, et hæ febres valde communes sunt in Appendice ulterius ista proponenda et commentanda.

(*b*) Vox ista græca, qua unice usus fuit Hippocrates significat febres continuas quæ remissiones sive notabiles admodum, vel minus notabiles habent. Posteriores Græci invenerunt vocem *Synochus* per quemdam solecismum, qua volunt significare febres ita continuas ut vel nullas, vel inconspicuas remissiones habeant, et ideo continuas continentes vocavere. Sed dubium unice in vocibus existit. Difficultas notabilis hæret in distinguendis febribus remittentibus inflammatoriis à putridis; et quando remittentes istæ ad intermittentes veras licet fucatas reducendæ vel ad vere continuas. Hic enim periculum maximum in æquivocatione existit; si enim unice remittentes sint tanquam continuæ pertractandæ, quibus peruvianus cortex vix confert; si vero revera intermittentes sint cortice fugandæ isto; et ex hujus omissione ægri quam maxime periclitantur.

Archiater Senac in opere ipsi tributo; *De recondita Febrium intermittentium tum remittentium Natura, et Curatione.* Lib. II. Satis amplè

FEBRIS ARDENS.

738 Quas inter Causos, sive Ardens dicta febris meretur singulatim discuti ob frequentiam, discrimen, sanandi laborem (*a*).

et utilitèr hac de Re agit. Postmodum (Not. in Aph. 748.) quæ ad id necessaria Tyronibus proponemus.

Sauvagesius Cl. II. *Febres.* Ord. I. *Continuæ* Gen. III. *Synochus* (febris continua putrida) speties : sanguinea : sudatoria : variolodes : dysenteriodes : pleuritica : ardens (biliosa), rheumatizans : hiemalis (catarrhalis), aniversaria: spermatica (castis?) tarantata (musicis familiaris) : soporosa : scorbutica : miliaris.

Cullenius Clase I. *Pyrexiæ.* Ord. I. *Febres.* Gen. 6. *Synochus* morbus contagiosus : febris ex Synocha et typho composita, initio synocha, progressu, et versus finem typhus, febris continua putrida Boerhaavii. Dubitat de Synoco anniversaria, spermatica, et tarantata Sauvagesii.

(*a*) Si causa excitans febris biliosæ (in Appendice describendæ) fuerit gravior, diutius applicata, polycholia (multa bilis) mole major, mora, indole acrior, præter illius symptomata produxerit inflammationem universalem, vel etiam topicam quamcunque, acutissimam tamen erit *febris ardens* quæ inter continuas remittentes meretur singulatim discuti ob frequentiam, discrimen, sanandi laborem.

Ea ergo consideranda velut ex pluribus fe-

739 Hujus symptomata primaria, Calor ad tactum fere urens, inæqualis diversis locis, ad vitalia ardentissimus, in extremis sæpe remissior, imo aliquando frigus, ipsum aërem exspiratum incendens; siccitas in cute tota, naribus, ore; lingua; Respiratio densa (*crebra*), anhelosa, cita, Lingua sicca, flava, nigra, exusta, aspera; sitis inexplebilis, sæpe subito sublata; fastidia cibi, nausea, vomitus; anxietas, inquietudo, lassitudo summa; Tussicula, vox clangosa (*a*); delirium, phrenitis, pervigilium, coma, convulsio, diebus impariibus exacerbationes.

740 Causa labor nimius, iter longum, æstus solis, sitis diu tolerata, usus calefacientium, fermentatorum, aromaticorum acrium, Veneris nimiæ, delassatio immodica, maxime æstate, &c. (*b*)

bribus conflata *biliosa* nempe et *inflammatoria*, utraque solito validiore, accutiore: queis juncta *tertiana*, stadio frigoris deficiente. Hæc Stollius.

(*a*) Hæc fit dum præ summa siccitate arefactis faucibus vox non transit per mollia, et humida loca ut in sanis fit; sed resonat, ac si per tubam metallicam siccam, et glabram expelleretur.

(*b*) Ætas juvenilis, virilis: solidorum fabrica rigida, fortis, tensa: fluidorum indoles dura, compacta, acris, biliosa.. ad istam febrem concipiendam etiam disponunt.

741 Decursus talis, tertio et quarto die sæpe letalis, septimum raro transit si perfecta (*a*); solvitur sæpe hæmorrhagia, quæ si tertio vel quarto die parca, letalis; hæc prænunciatur (*b*) cervicis dolo-

(*a*) Divisio febris ardentis in perfectam, et exquisitam, et imperfectam, seu spuream est attendenda. Hic à Boerhaavio exquisita potius describitur. In hisce ambæ discriminantur: exquisita juvenibus, et æstati communis; spuria pueris, senibus, autumno, hyemi, veri ipsi. Illa vomitibus incipit; ista non, vel remissioribus. Illa siti, et ardore ingentibus; ista mitioribus fatigatur. Illa linguam aridam fere ab initio ipso reddit; ista albam, et humidam, et in progressu lentores circa dentes producit. Illa quatuordecim diebus finitur; ista viginti, vel viginti septem. Illa per hæmorrhagias, sudores, diarrhœas biliosas; ista per urinas, dejectiones serosas, pituitosas, abscessus, parotides . . . utplurimum terminatur.

(*b*) Per hæmorrhagiam simpliciter nominatam intelligitur illa, quæ per nares fit sanguinis eruptio, et hæc præcipua febrium ardentium exquisitarum sanatio. Aliæ etiam quandoque prossunt ut quæ per hæmorrhoides, menstruorum evacuationes . . fiunt. Hæ hæmorrhagiæ debent esse copiosæ, non stillatitiæ; et cum tanta bona ab his expectanda non mirum est si tanta cum cura inquisitum fuerit in illa signa, quæ hanc evacuationem præcedere solent, et brevi adfuturam esse nunciant. Cave ne venæ sectionibus repetitis hæmorrhagias istas supplere coneris attentam horum signorum in morbis observationem fastidiens; pessime enim decipieris,

re, temporum gravitate, tenebricosa caligine, præcordiorum contentione sine doloris sensu, invitis lacrymis sine letali signo alio, rubore faciei, pruritu narium, optima fit die decretorio; solvitur et die decretorio (*a*), vomitu, alvo, sudore, urina, sputo crasso; accessio die pari pessima,

et pessumdabis ægros. Signis hæmorrhagiæ futuræ à Boerhaavio propositis addendum illud quod ex pulsu resiliente seu dicroto desumsit hispanus Medicus (Solano) qui ex intervallo, quod inter pulsus illos resilientes intercurrebat tempus secuturæ hæmorrhagiæ determinabat; sic ut si trigesimo quoque pulsu circiter talis resiliens pulsus animadverteretur post quatriduum narium hæmorrhagiam expectaret; post triduum si decimo sexto quoque pulsu recurreret; si octavo, post biduum, si citius intra nyctemeri spatium. Medici in morbis observationes istas minime despiciant; imo promoveant.

(*a*) In morbis absdubio observantur quædam temporum intervalla in quibus materia morbi mutata, subacta, et mobilis reddita vel expellitur de corpore, vel ad alia loca deponitur. Sedula igitur horum observatio summi usus est in morbis curandis, ne intempestivo sæpe artis molimine noceamus, dum expellere, vel retinere nitimur naturam indebite turbantes. In morbis longis etiam Hippocrates dies criticos observavit, et per vigesimos definivit, ut ex Aphorismis, et Prognosticis patet. Crisium, et dierum criticorum observatio sedulam curam, et attentum ad omnia animum requirit, hinc ne-

si id ante diem sextum ; urina nigra , pauca , tenuis huic letalis ; letale sanguinis sputum ; letalis sanguinis mictus ; deglutitio læsa mala ; extremorum refrigeratio pessima ; facies rubra , et sudans mala (*a*);

mini mirum videbitur quod aliqui Medici hæc neglexerint. Dificultas eligendi tempus oportunum cibandi ægros coegit Celsum ad ita pronuntiandum : *ex his autem intelligi potest ab uno Medico multos non posse curari : eumque si Artifex est idoneum esse , qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæstui serviunt quoniam his major ex populo est libenter amplectuntur ea præcepta , quæ sedulitatem non exigunt* (Lib. III. Cap. 4.) Quanto graviora posset de Re ista protulisse! Obiter advertendum ex Galeno ita rationabiliter hac in re se explicante : *coctionis signa nunquam male apparent , decretoria vero est ubi male* (appareant) *neque enim in augmentis , neque in principiis ; sed in statibus illa apparere convenit.* (Lib. I. de crisibus cap. 8.) Semper etiam observanda illa Hippocratis sententia : *Acutorum morborum non omnino certæ sunt prædictiones , neque mortis , neque sanitatis.* Herofon præter Hippocratis expectationem ex periculosissimo morbo sospes emersit. Cave tamen ne doctrina ista patulos expectatores Medicos efficiat. Remedia lenia , et apposita crises non turbant , sed expediunt. Medici illi , qui quoties ad ægrum accedunt toties peccant turbabunt istas , et ægros in præcipiti constituent.

(*a*) Sudor iste particularis , et frigidus sudor est , de quo mira phrasi dixit Helmontius: quod non sit tam latex in sua natura quantum ros alimentarius resolutus , cui mors imperat.

parotis non suppurans exitialis ; alvus nimis fluxa letalis ; cum tremore abit in delirium , inde in mortem , transit in peripneumoniam sæpe cum delirio (*a*) ; post ingentia alvi tormina quæ oritur pessima; solvitur critice cum rigore (*b*).

742 Quibus explanatis haud difficulter morbus præsens cognoscitur : neque de ejus causa propiori , et proxima ambigetur ; est enim à cruore orbato parte blandiore , liquidiore , inflammatione per universum corpus , viribus validioribus (*c*): Quin præsagia haud infirma hinc deducentur.

(*a*) Hippocrates binorum horum concursum letalem verissime pronuntiavit dicens : quibuscunque in febre non intermittente expirandi dificultas fit , et delirium letale (Lib. V. Aphorism. 50.)

(*b*) Febris ista aliquando in intermittentem quamdam , vel et suppurationem terminatur. Solutio ejus cum rigore critica erit ; si brevi sequitur eum æquabilis per universum corpus calor ; tunc enim indicat restitui liberum humorum motum per vasa , mobiliorem factam fuisse materiem , et evacuationi aptam : si enim extremorum frigus excipit dum immeabilis redditus sanguis ad extrema usque corporis propeli nequit rigor iste non criticus ; sed ominosus judicandus.

(*c*) Humor densus inflammatorie crasus, acris ; rigida solidorum structura . . hujus febris ardentis etiam causæ sunt.

743 Curatio (*a*) exigit aërem purum, frigidum, renovatum sæpius; integumenta minime suffocantia, vel aggravantia corpus; situm corporis erectum sæpe; potus copiosos, blandos, demulcentes, subacidos, aqueos, calidos (*b*); cibos leves, farina-

(*a*) Indicationes curativæ in hac febre sunt: liquidissimas sanguinis partes instaurare: concreta crassiora solvere: impetum, et attritum humorum minuere: acrimoniam et putredinem humorum imminentem arcere, et avertere: jam conceptam tollere.

(*b*) Antiqui potus frigidos in febre ardente laudaverunt. In hac re Hippocrates, Galenus, Celsus, Aetius, Rhazes . . . eminent. Hi tamen non largis haustibus, sed parca dosi seu paulatim, ut Hippocrates; non in principio, sed cum jam mediocriter concocti essent humores, ut Galenus; plurimis cautelis adhibitis ne temere hæc in omni casu tentarentur ut Celsus; noxas vitando, quæ inde quandoque contingunt in principio, vel augmento præsertim in quibus *aqua fracta* præstat, sed prætenuatis jam humoribus, ut Aetius; summere in potu aquam frigidam si non fuerit quod prohibeat, ut Avicena; si laborans sanitatis suæ tempore in nullo viscere abscessum expertus fuerit, neque in ventriculo, neque jocinere ullam imbecilitatem, ut Rhaces.. determinarunt.

Notandus tamen Galenus, ejusque aseclæ etiam animadvertendi, qui intempestive, imo periclitanter coctionis signa ad exhibendam istam patuli expectabant in calamitatem miserorum torrefactione miserrime occumbentium. Pro dolor!

ceos, hordeatos, avenaceos, ex fructibus subacidis confectos; Venæ sectionem (*a*), si

Viginti tres potiones frigefactorias proposuit Hipp. (Lib. III. de Morbis) in febribus ardentibus, quas *quando voles* (hoc est juditio Medici, non intemperantia ægri) *bibendas dato.*

Alibi jam dictum in morbis inflammatoriis potus tepidos, in putridis vero frigidos præstare. Aer frigidus aptissime laudatur in hoc morbo, nam aer longe rarior aqua calescit ilico dum inspiratur; et tamen nemo prudens gelidissimum hyemali bruma aerem æstuanti à febre ardenti corpori applicabit sed tantum nimis æstuantem aerem grato refrigerio temperabit.

Nihilominus in regione nostra admodum fervida potus frigidi in hisce febribus ab ipso initio conveniunt. Ita sanguinis caloricum exuperans in æquilibrium juxta legem ei à Creatore impositam ad frigidam aquam tendet, et inter alia hujus beneficia, sensim illud temperabitur, imminuetur. Ad calorem febrilem temperandum frigidorum lenta, et blanda applicatio interna atque externa proponebatur à Boerhaavio (Aphorism. 691.) Num hic error subest in textu?

(*a*) Nimias forte cautelas proponit hic Boerhaavius pro venæ sectione exequenda, cum tantum aliquando nocere possit. Dum circa vitalia viscera immeabilis jam redditus sanguis incipit colligi, et ingentem quidem æstum circa præcordia facit, verum in extremis corporis simul frigus adest novimus paululum sanguinis tantum adhuc versus extrema propelli, omnemque fere sanguinem in systemate arterioso colligi. Si ergo in tali casu vena secatur tollitur pauculus

morbi initium, plethoræ indicia, inflammationis singularis signa, calor intolerabilis, rarefactio nimia, revulsio necessaria, symptomata urgentia, neque alio remedio facile superanda, hanc exigunt; Clysmatum blandorum, diluentium, laxan-

ille sanguis, qui ex arteriis in venas transire potuit, et quo solo adhuc vita sustentabatur; adeoque summus metus est, ne pro remedio mortem venæ sectio adferat. Unde patet, quare id initio morbi, quando, nondum diffata parte tenuissima, sanguis adhuc satis meabilis est venæ sectio imprimis locum habeat, per quam, et crasissima sanguinis pars evacuatur, diluentibus, et attenuantibus remediis locus, et facilior miscella paratur, et futura inflammatio optime præcavetur.

Febris ista quando solvitur per alvum, urinam, sudorem, sputa .. raro periclitatur, et si ista excedant facile compescuntur. Hæmorrhagia quandoque tam furibundo impetu procedit ut ex soluta in naribus arteria sanguis erumpit ita ut pauco tempore ad plures libras exeat, et metus est ne ex subita et valida illa inanitione syncope aut convulsio fiant. Tunc curanda ista abnormis hæmorrhagia. Venæ sectio in juvenibus, verno vel æstivo tempore talibus hæmorrhagiis alias assuetis proderit, non alias. Artuum ligaturæ leves, quæ venas tantum comprimant .. cucurbitæ magnæ hypochondriis applicatæ, frigida posca nare attracta, spongia frigida mulsa imbuta fronti apposita, anodyna, purgantia antiphlogistica .. proderunt. His minime proficientibus turunda vitrioli albi meracis-

tium, antiphlogisticorum, refrigerantium applicationem repetendam, prout vis ardoris, siccitas alvi, revulsio, requisita imperat: Humectationem totius corporis (*a*), hauriendo aërem fumo calidæ blandum per nares, colluendo os, et guttur, lavando pedes, manusque tepida, fovendo spongiis calidis loca, ubi plurima vasa contactui magis exposita; Medicamenta aquosa, blanda, nitrosa, grato acore sapida, alvum lenissime laxantia, urinæ materiem suppeditantia, supplentia, sudori vehiculum copia præbentia, non acrimonia, omnem contractionem fibrarum, cras-

sima solutione (Aqua arteriali, seu styptica Pharmacop. hispan.) madida naribus profundissime immisa, et ibi per unum alterumve diem relicta eficacissimum erit remedium. Animi deliquium quandoque istam sistit hæmorrhagiam ex Hippocrate VI. Epid. Sect. VII. 2.

(*a*) An humectatio totius corporis hic imperata utilissime consequetur balneis universalibus, aut saltem semicupiis tepidis, aut etiam frigidis? Certe nisi plenitudo, cruditas, diarrhœa, debilitas... obsint proficua valde censentur. Hieronimus Ximenecius hoc statu *frigidi balnei adeundi peroportunum tempus erit si modo et calidus, sicusque cœli status sit, et eusarco, quadratoque æger habitu. Plerique enim à balnei frigidi usu mox sudore profusso; alii etiam bile per alvum egesta à febri protinus convaluerunt.* Inst. Med. Lib. IV. Cap. IV. pag. 275.

sitiem liquorum, acrimoniam eorumdem solventia, diluentia, temperantia (*a*).

744 Quibus qui adjunxerit dicta in regulis universalibus de cura acutarum, harumque symptomatum, et secutura de acutis in perniciem viscerum singularium tendentibus, liquido perspecta habebit Ardentis Febris cujuslibet remedia.

745 Quin et reliquæ febres acutæ singulares ex dictis intelliguntur, vel ad symptomata singularia (*b*) pertinent, vel sunt alius morbi acuti effectus.

(*a*) Præter remedia ista alia regulariter exigunt febris ardens, ejusque symptomata. Acetum, acida mineralia, cortex peruvianus, nitrum, confectio cardiaca, hirudines, moschus, camphora, vesicantia, kermes minerale... pro variis indicationibus necessaria sunt.

(*b*) Quandoque febres istæ ardentes exquisitæ, vel etiam spureæ adeo vehementes sunt ut vel inflammationem in aliqua parte determinata efficiant, vel symptoma aliquod ita perniciosum producant ut ulterius periculosæ evadant, et dicuntur epialæ, lipiriæ..vid. Appendix.

Sauvagesius Clase II. Genere VII. *Trytheophia* seu tertiana continua. Specie II. proponit trytheophiam *causon* Hippocratis Lib. III. Epid.

Hippocr. plurima de febre ardenti *Caûso* loqutus fuit. Vid. Franc. Puente Med. Doct. et Professor. Celtiberi. *Ars Hippocratica*. Sect. II. de febribus. pag. 66. Marinelli commentaria in Hipp. Verb. *Causus* et *febris ardens*.

FEBRIS INTERMITTENS.

746 Febris Intermittentis definitio jam data (727.) hujus diagnosis sponte patet, distinctio (*a*) in varias classes facilis, utpote soli temporis differentiæ innixa, septenaria exquisita quandoque accidit, ut vidi.

747 Tamen scire est, hanc in genere esse Vernalem, quæ à Februario in Augustum, et Autumnalem, quæ ab Augusto in Februarium dominatur. Distinctio-

(*a*) Aliqua subest dificultas in dignoscenda febre intermittente in paroxysmo primo, et in distinguendo an quotidiana, tertiana, quartana . . futura, an tertiana complicata, deceptiva . . Galenus ausus fuit dicere quod *tertianam quidem à quartana, qui primo statim die nescit distinguere, neque omnino Medicus est.* In intermittente benigna nihil officit deceptio ista nisi honori Medici; in perniciosa vero ægrotantis vitæ ulterius insidiatur.

Quotidiana febris à tertiana duplici facile distinguitur. In illa calor humidior est, sitis parva, vomitus pituitosus, parvus æstus, paroxysmi æquales . . . tertiana majori cum rigore, vomitu bilioso . . incipit, brevi magnitudine et vehementia increscit, calor magnus, sitis insatiabilis, accesiones tertio quoque die sibi respondent. Complicatæ, et deceptivæ intermittentes sedimento lateritio, aliisque distinguntur.

ne necessaria ob varios mores (*a*), symptomata, exitus, durationem, curationemque febris; quin una aliam fugat.

748 Quin et sæpe initio autumni æmulantur exacte indolem continuarum (*b*), ob

(*a*) Distinctio intermittentium in vernales et autumnales adeo necessaria est ad prognosim, et curationem ut dixerit Sidenhamus: *febres illæ tota sua natura sive essentialiter distinguntur.* Verno tempore solvuntur illa quæ hyemali otio accumulata fuerant in corpore lenta, et viscida: adeoque cum ipsa febre anni constitutio conspira ut cito solvatur febrilis materia. Ad id simul faciunt salubrium vegetabilium tunc germinantium succi, qui tam ciborum quam remediorum titulo adhiberi solent. Postquam vero æstivis caloribus exusta corpora fuerunt liquidissimis dissipatis major humoribus nascitur tenacitas; bilis acrior fit; et spissior; et aeri adest inæqualis temperies, unde incautos toties matutina, et vespertina frigora lædunt, qui diurni caloris impatientes corpus non satis vestibus tegunt, et morbis plurimis ocasio nascitur; simulque auctum quotidie frigus à morbo resurgentibus toties recidivam generat. Præter vernum teporem, quo languentia diuturnis morbis corpora tam pulchre reficiuntur mutata epidemica diathesis facit ut una aliam fuget, ut dicitur in textu, seu quod intermittentes autumnales Vere desinant.

(*b*) Observatione constat per calida nimis remedia data febrim intermittentem mutari posse in continuam. Nonne à nimio æstatis calore febres, quæ initio autumni intermittentes fo-

longiores, et duplicatos paroxysmos, dum tamen indoles, et curatio plane (*a*) diversæ sunt.

rent in continuas mutantur? Ita videtur. Vitanda igitur medicamenta ista nimis æstuantia.

(*a*) *Plane*, prorsus, omnino, penitus diversæ sunt indoles sive natura, atque curatio febrium intermittentium, et continuarum, Boerhaavio hic vere, et utiliter pronuntiante. Quid igitur faciundum erit Medico in intermittentibus larvatis, degeneratis, continuas febres æmulantibus, mentientibus? Quid in intermittentibus cum continuis complicatis? Magna artis salutaris peritia nedum theoretica, sed potius clinica huc advocanda, consilia dum fieri poterit expetenda . . ne nubem pro Junone præcipitanter accipientes Medici præsertim cursores ægros suæ curæ creditos non curent, interitum permittant, imo necent.

Revera est res ista valde ardua. Galenus ipse vir si quis alius perspicacissimus in discriminandis similibus intentissimus, et in tractando isto similitudinum negotio (Lib. præsertim De Placitis Hipp. et Platonis) difusissimus, et profundissimus difficultatem istam jam agnovit, et consilia minime nobis spernenda reliquit. Nos ea, et aliqua quantum notulæ brevitas permittit proponemus.

Notandæ juxta Pergamenum, et introspiciendæ febres illæ simplices in simplicitate sua ipsa, quæ cum intermittentibus consociari, ipsasque fucare, ac veluti delere solent. Cognoscendæ in primis febris vere continua, sive continuitatis essentiales caracteres; et intermittens febris, hujusve intermittentiæ pathognomonica

749 Incipiunt cum oscitatione, pan-

symptomata. Cognoscenda itidem continuarum sanatio generalis, quæ venæ sectiones, temperantia, anti-septica, nervina, alexipharmaca.. exigit, et respuit corticem; et etiam intermittentium, quæ illa fere omnia respuit, et unicum fere corticem expostulat. Hoc, et illud est admodum difficile. Pro illo utcumque declarando Cullenius istam intermittentium descriptionem characteristicam proposuit: *febres miasmate paludum ortæ paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita cum exacerbatione notabili, et plerunque cum horrore redeuntibus constantes: Paroxysmo quovis die unico tantum.* Continuas ita descripsit: *Febres sine intermissione, nec miasmate paludum ortæ, sed cum remissionibus, et exacerbationibus, parum licet notabilibus perstantes: Paroxysmis quovis die binis.* Intermittentium principium miasma paludum agnoscit; continuarum, contagium humanum sæpe ad minus manifestum, maximeque frequens.

His utcunque sic stantibus cognoscendæ ulterius febres illæ continuæ, quæ frequentius cum intermittentibus junguntur. Tales sunt quotidiana, pituitosa, messenterica, catarrhalis, nervosa.. In quarum complicationibus, quas inter præsertim hæmitritea insurgit placet regulam Ellerianam præscribere: *quod illa febris species quæ prius invadit, vel quæ periculosior et gravioribus stipata est symptomatibus in curatione potissimum attendenda sit, et remedia eorumque applicandi modus ad illam abigendam dirigenda: ita febris acuta inflammatoria methodo huic febri convenienti, tractanda exiguo respetu habito ad intermittentem, quæ illam quandoque commitatur, et*

diculatione, lassitudine, debilitate, frigo-

sic de reliquis. (Joan. Theodor. Eller Observationes de cog. et cur. morb. Sect. V. Pag. 111.) Placet etiam Francisci Home similem regulam in complicationibus febris inflammatoriæ cum maligna, malignæ cum nervosa, et nervosæ cum inflammatoria adoptantis proponere : *hæ sana mente et summa peritia Medici indigent, cujus officium est speciei prævalenti ideoque periculosiori, altera haud omnino neglecta, succurrere.* Princip. Medic. Libr. II. Part. II. Sect. IV.

Intermittentes continuas æmulantes ab istis per hæc discriminantur : observatione nempè exactissima constitutionis epidemicæ intermittentium, et non continuarum. Si intermittentes incipiant licet in continuas postea degenerent intermittentium naturam servant ; si vero continuæ incipientes à vera intermittentium causa ortum trahunt difficilius agnoscuntur. Constitutio inquam prænoscenda : status atmosphæræ calidus, et humidus : fructuum comessatio : locus aquis stagnantibus inquinatus : paroxymi seu accessiones et remissiones tribus, quatuor, aut quinque primis diebus sagaciter observandi. Itermittentium paroxysmi frigore vel horrore incipiunt ; cito satis augentur, et *acmen* attingunt: sitis, calor, anxietas . . immaniter opprimunt. An inter ista omnia, incerta, et inconspicua aliquid attendendum, quod instar Ariadnæ filum à tanto labyrintho feliciter nos poterit extricare atque expedire? An urina rubicunda, saponacea, et spumescens in fundo vasis magnam copiam sedimenti deponens, quod colore suo laterum coctorum pulveratorum, vel boli armenæ pollinem referens *lateritia* vocatur de intermit-

re, horrore, rigore, tremore (*a*), pallore extremorum, respiratione difficillima, anxietate, nausea, vomitu, pulsu citato, debili, parvo, siti maxima.

Hæc prout majora, pluraque simul, eo febris pejor, atque in subsequente tempore calor, et cætera symptomata pejora: et hic

tentis natura securos nos reddere valebit; ejusque absentia naturæ continuæ? Utinam. Sidenhamus latentes sub aliena larva has febres hoc in primis signo tales judicabat, quo casu remittente paroxysmo corticem peruvianum feliciter exhibebat. Curiose igitur investiganda urina, quæ licet tale sedimentum in intermittentibus vernis, exquisitis, autumnalibus levioribus. non offerat, et in scorbuticis febre intermitente licet non laborantibus appareat, optimum tamen, et fere perpetuum intermittentium signum declarandum.

Cl. Senac postquam longo sermone super istis toto Libro II. operis jam citati de *Recondita* &c. versatus fuerit sic tandem concludit; *multa profecto occurrunt in arte quæ suspicari tantummodo possumus, ex suspicione autem ad pleniorem naturæ cognitionem assurgere licebit; incumbendum observationi ad obductam morbis caliginem depellendam; et sic ad ignota fiet sensim additus.* Cap. IX. p. 193.

(*a*) Pleraque hæc symptomata docent liberum, et æquabilem spirituum motum per nervos tum turbari, et impediri: simul etiam vitales functiones turbantur per minorem influxum spirituum cerebelli per cordis irritationem, et arteriarum minimarum renitentiam.

gradus febris primus, Incremento respondens continuarum, et reliquorum maxime periculosus; Urina tum ut plurimum est cruda, et tenuis.

Incidens cadavera mortuorum in primo hoc stadio febris intermittentis, post anhelitus, suspiria, ignaviam, inveni sanguinem crassum, impactum pulmonibus, semper tum fuerant pulsus parvi, frequentes, inordinati. Harv. exercit. anat. Cap. 16.

750 Hunc statum (749) excipit alter, incipiens cum calore, rubore, respiratione forti, magna, liberiore, anxietate minori, pulsu majori, robustiorique, siti magna, dolore artuum, et capitis magno, Urina plerumque rubra, respondet *acme* febrium continuarum.

751 Tum ultimo ingens plerumque sudor, remissio omnium symptomatum, Urina crassa, sedimentum lateri contuso simile, somnus, *anorexia*, lassitudo, debilitas.

752 Sæpe abeunt in acutas, periculosas; quod calori nimio, et motui excitato nimis, ut plurimum debetur.

753 Febris intermittens sua tria tempora (749. 750. 751.) percurrens, fibris minimis vasculorum, et viscerum magnam infert vim, stagnando, obstruendo, coagulando, pellendo, resolvendo, attenuando; hinc debilitantur vasa, morbosa fiunt liquida, eo inprimis genere mali, quo par-

tes minus assimilatas, nec æqualiter mistas habent ; ex quibus simul acrimonia exoritur.

Unde ab omnibus simul facillima in sudorem proclivitas multum debilitans, ipso viscido sanguinis transsudante ; tum urina mire crassa, turbida, jumentosa, pinguis ; similis saliva ; inde debilis, solutus, vix cohærens cruor optima parte spoliatus, residua acer et crassus simul; adeoque ex laxis vasis, et crassis acribusque liquidis hæ febres diuturnæ dein terminantur aliquando in Chronicos, scorbutum, hydropem, icterum, leucophlegmatiam, tumores scirrhosos abdominis, et quæ hinc sequuntur mala.

754 Cæterum, nisi malignæ (*a*) (753),

(*a*) Præcipua harum febrium divisio est in benignas, et perniciosas. *Benignæ* sunt quæ regulariter, et sine periculosis symptomatibus incedunt. *Perniciosæ*, quæ prava, deleteria, discriminis plenissima accidentia tanquam ex Pandoræ pixide prodeuntia offerunt.

Boerhaavius hic vocat *malignas* febres intermittentes, quæ non perniciosis, sed gravibus tantum symptomatibus stipantur. Talia sunt illa quæ Aph. antecedenti proponuntur, hicque citantur. In Inst. Med. §. 919. de malignitate morborum agens similia symptomata proponit non perniciosa et deleteria, sed gravia tantum atque periculosa ; et hoc in Prælectione et notis ibi declaratur. Debilitas ingens, maxima, et præ-

corpus ad longævitatem disponunt, et depurant ab inveteratis malis.

sertim incongrua illis omnibus addenda, quæ in primis, et præcise malignitatem declarat: perniciem vero ista debilitas et alia etiam symptomata deleteria, formidanda! In Appendice de istis intermittentibus perniciosis pertractabitur.

Si tertianæ gravibus minime stipentur symptomatibus, imo simplices sint, paroxysmi mediocres, sudor criticus, et moderatus, debito victus regimine utantur ægri, medela simplicissima, corpore sano in flore ætatis constituto, tempore verno.... facile tolerantur, plus boni, quam mali facere solent, et minime Medici eas aggrediantur, sed tolerent. Amplius. Observatum est quod post quartanas febres nullis validis remediis turbatas, sed bona diæta, et verno tepore sensim solutas, firmiora fuerint inventa hominum corpora, et morbis longe minus quam ante obnoxia. Quartana diuturna sæpe totum corpus ematiat dum omne pingue solvitur, et per urinam aliasve vias educitur de corpore æque ac per argentum vivum; vel per decocta sudorifera fit, unde mutatio fere radicalis humorum per resolutionem succedentem obtinetur; sicque optime disponitur corpus ad expulsum veterascentis, et instaurationem novæ vitalis materiæ; adoque corpus prudenti talium febrium regimine ad longævitatem ducitur.

Si jam consideretur, quod in frigore febrium intermittentium totum corpus tremat, et concutiatur valide sæpe per horas æque fere in internis, quam externis partibus, et contractæ arteriæ extremæ contentos humores in latiores truncos retroagant uti docet pallor, sicque obstructio-

755 Unde post accuratum examen totius historiæ intermittentium (746. ad 755.), causa proxima (*a*) constituitur, visco-

nibus circa fines arteriarum hærentibus resolvendis optima nascatur oportunitas, non mirum videbitur posse solvi, et expediri sæpe talia, quæ nullis aliis remediis obediunt; præcipue cum paulo post sequatur rapidus adeo per omnia vasa motus, qui illa, quæ visceribus infarcta hæserant per concussus illos jam mobilia reddita ulterius expediat.

Hinc apparet quare febres illæ toties ab inveteratis etiam malis corpus liberent, quæ frustra aliis remediis tentata fuerant. Convulsiones, cephalæa inveterata, palpitationes cordis, podagra . . dum quartana adest, silent; imo quandoque per istam visum fuit tolli, et jam Hippocrates quia etiam ista viderat asseveravit (In Epid. Aph. &c.) An tertianæ, pestilentiæ tempore, à peste præservant ut Vander Mye (Lib. de morb. bredanis pag. 5.) dixit? Cauti igitur sint Medici in istis inconsulto, atque extempore averruncandis.

(*a*) Pro causa febrium intermittentium statuenda proponitur hic sistema vasculare, et etiam nervosum, quia in utrisque vitium observatur, ut jam dictum §. 749.

Causa tam subitæ mutationis an in potentiis moventibus humores per vasa hæret? an in illo *impetum faciente* Hippocratis, quod tam facile, et à levissimis causis mutabile esse novimus? Exemplum sanissimæ virginis glire conspecto territæ quæ illico primum paroxysmum habuit quartanæ tota hieme durantis, quæ verno tepore soluta post binos menses mala fortuna iterum à petulanti puero mortuo glire in

sitas liquidi arteriosi, forte et nervosi tam cerebri, quam cerebelli, cordi destinati inertia, superveniente dein causa quacunque velocioris, et fortioris contractionis cordis, atque resolutionis ejus quod stagnaverat.

756 Adeoque, quum ordo hic (749. 750. 751.) semper in febre intermittente obtineat, videtur is, qui primum tempus (*a*) (749), et primam causam (755), su-

vestes projecto territa quartanæ plures paroxysmos iterum passa fuit, id videtur suadere. Borellus primam, et immediatam causam in succo nerveo possuit . . Causa efficiens ab omnibus hodie admissa sunt paludum miasmata, quæ omnino vitanda.

Van-Swietenius postquam longo sermone de causis disputavit, tandem concludit: videtur ergo potius ab epidemico miasmate excitari febris intermittens, simulque imprimi spiritibus, nervis, vel horum origini communi talis character, per quem stato tempore paroxysmus renovatur. An ergo febres intermittentes ex se spirituosæ dicendæ forent? Galenus jam dixerat: febris fit ex humorum putredine, vel solo spiritu alterato (Lib. II. de Crisibus. Cap. 7.)

(*a*) Aliqui persuasum habent vitato vel superato frigore vitatum iri paroxysmum. Hoc fine diæta tenuis, diluens, aperiens, sudorifica . . præscribitur, frictiones, balnea. . . adhibentur. Hæc non officient, si vero calidissimis aromatibus frigus illud febrium intermittentium superari, vel præcaveri tentatur insanabiles inflammationes, aliaque mala procreabuntur.

perare possit, etiam totum illum paroxysmum posse tollere.

757 Dein, quum infinitæ causæ, eæque satis exiguæ, possint primum statum (749) febris perfecte intermittentis (727. 737), ejusque causam (755), producere; atque tales plurimæ in ipso corpore nasci, crescere, et dato tempore adolescere queant, ut in omnibus in corpore natis, atque secretis liquoribus fit; difficilius est ex infinitis possibilibus natam jam distinguere, quam unam possibilem excogitare, qua posita ratio periodorum dari ex legibus œconomiæ nostræ possit; id autem examinanti patescit.

758 Curatio (*a*) ergo exigit, ut aperien-

(*a*) Omnium optima methodus curandi febres intermittentes illa videtur, quæ conspirat cum febre ipsa ut solvat concreta, reseret obstructa, sicque æquabilem humorum per omnia vasa motum restituat. Pro varia autem anni tempestate, ægrorum diversa temperie, et ætate, epidemica constitutione, &c. diversa remedia conveniunt. Verno enim tempore, et in juvenili ætate à calidioribus abstinendum; autumnales contra febres in primis in hiemen usque protractæ calida aromatica, ut sunt contrayerva, serpentaria virginiana . . exigunt.

Aliquando aperientia, et attenuantia nocent. Teneræ puellæ, debilis temperiei homines adstringentia, et incrasantia, simulque solidas corporis partes roborantia exigunt. Cortex tamarisci, capparidis, peruvianus . . . una cum

tibus salinis, alcalicis, aromaticis, mineralibus, diluentibus, oleosis blandis, calore, motu, fotu, frictione utamur tempore *apyrexias*, vel et in statu descripto (749.)

759 Quin abundanti colluviei in primis viis purgans, vomitoriumve (*a*) sæpe prodest tollendæ; dando ante paroxysmum eo spatio, quo ante hunc effectum præstat. Id faciendum cognoscitur ex victu, morbis, symptomatibusque prægressis, nausea, vomitu, ructu, tumore, halitu, sordibus linguæ, gutturis, palati, *anorexia*, amarore oris, vertigine tenebricosa; et absoluta operatione dato opiato sedatus ante febrem tumultus sit.

760 Ut et prodest idem (759), dum stimuli (*b*) instar movet utrumque (759).

aromatibus vino austero rubro infusi pulcherrimum tunc remedium dant; nimiam humorum solutionem emmendant, sudores profussos præcavent.

(*a*) Vomitoria, et purgantia ex se in intermittentibus potius nocent, quam prossunt, ut mox dicetur. Casu vero colluviei in textu memoratæ absolute necessaria sunt. Attendendum igitur ad illa signa quæ docent talem saburram in primis viis hærere, vel non hærere, ut remedia ista utiliter administrentur, vel omittantur ea methodo, quæ in textu præscribitur.

(*b*) Vomitoria, et purgantia hac intentione præscripta magnam exigunt circunspectionem

761 Aliter nocet (759), dum debilitat, liquidissima elicit, digestiones hic inprimis necessarias, turbat; sicque diuturnitatem morbi, vel et mortem producit. Frigus, et Febris sudorifero (*a*) hic tollitur sæpe, dum aliquot ante tempus cognitum futuri paroxysmi horis liquido aperiente, di-

atque prudentiam; nam miro sæpe stimulo, et violento movere, et turbare totum corpus, ut mutetur, imminuatur, vel deleatur illa dispositio, ille character omnino latens, à quo febrium intermittentium paroxysmi renovantur arduum est, incertum, atque periculosum. Consilium Galeni mitius est dum de tertiana febre agens dixit: *Vomitus autem post cibum adeo utilis est sane illis quibus hæc febris inveteraverit, ut multos norim statim post vomitiones à febre esse prorsus liberatos* (Lib. I. Method. med. ad Glaucon. Cap. 11.)

(*a*) Si primum febris tempus frigus nempe febrile, et prima illa causa, viscositas memorata liquidi arteriosi, et forte etiam nervosi tolli non potuit, quæ erat prima methodus sanandi febres tertianas; neque purgantibus, et vomitoriis, quæ erat secunda; sudoriferis aggrediendæ prout hic præscribitur, et erit tertia, quam impense laudavit Sidenhamus (Sect. I. cap. 5.) in tertianis autumnalibus fugandis. Serpentariæ virginianæ penetrabili aromate dives radicula ex vino (vel aqua) decocta huic scopo præferenda. Tamen febres tertianæ, et quotidianæ recentes adhuc, et in continuitatis vicinia hærentes, temperies debilis, sanguis dissolutus in sudorem pronus istam methodum abhorrent.

luente, leviter narcotico, repletur corpus ægri, dein una hora ante malum excitatur sudor, et continuatur, donec binæ ultra tempus initii paroxysmi elapsæ sint horæ.

762 Hinc et venæ sectio nocet per se semper, prodest alias casu (*a*), ut et tenuis exactaque diæta.

763 Dum febris in statu, (750) indicantur aquosa, calida actu (*b*), subacidis

(*a*) In tertianis vernalibus, in juvenili, et plethorico corpore, dum metus est ne tempore caloris febrilis rarefactus sanguis plena nimis vasa rumpat, vel dum ingens capitis dolor ab eadem causa urget.. venæ sectio prodest. Si emetico opus sit præmittenda ista ne inter vomendum sanguine distenta vasa in pulmonibus, et in primis in capite violentis illis nixubus rumpantur. Tenuis et exacta diæta in his febribus ut plurimum diuturnis nocet, præsertim in juvenibus naturæ biliosæ, qui in syncopen facile dilabentur si tempore apyrexias non aliquatenus refecti fuerint. In ipsis tantum paroxysmis subtrahendum cibum jussit Hippocrates in Aph. (I. 11.) et nihilominus aliquando in decremento paroxysmi cibandus æger biliosus, debilis, &c.

(*b*) Status secundus febris intermittentis est tempus ebulitionis, sive fermentationis, qua natura utitur ut in febribus morbosa materia expellatur è corpore. Status iste respondet certe vigori febrium acutarum; differt tamen in eo quod istarum *Acme* seu vigor est maxime periculosus, in intermittentibus vero periculum tunc jam non adest cum adfuerit tempore frigoris, seu

aperientibus nitrosisque permistis, vel et cichoraceis, similibusque blandis aperientibus. Quiete, calore moderato tunc æger eget.

764 Ubi crisi paroxysmus solvitur

exhorrescentiæ. Hinc licet hoc tempore febris intermittentis talis gradus caloris observatur, qui periculosus foret in febribus continuis, et venæ sectionem, clysmata, aliaque debilitantia remedia posceret, quæ febris nimium impetum refrenare valent; tamen his raro indigemus nisi in valde plethoricis. Sufficit ergo talia ingerere, quæ aquosa, diluendo, et attenuando humorum auctam per calorem, et circulationis velocitatem, cohæsionem tollere, vel cavere possunt: adduntur iis subacida, quæ putredini ab iisdem causis metuendæ resistunt; simulque pulcherrime molestam hic sitim levant. Cichorea, hordeum, avena, scorzonera, radices graminis, taraxaci . . decocta, addito nitro, succo citri, limonum, rob sambuci, ribesiorum . . . optima hic sunt. Difficultas est an ista *calida actu* ut in textu dicitur summenda, vel *actu frigida*. Hippocrates Lib. II. de Morb. versu 78. in curatione febris tertianæ notæ hæc habet: *Altera vero die qua febris detinet aquam frigidam quantum bibere volet dabit. Ubi vero remisserit febris ptisanæ succum, aut milium tenue sorbeat, et vinum album odoratum aquosum insuper bibat.* Petrus Salius in Commentario (pag. 229.) ait quod altera die, qua febris detinet (hoc est in tertiana non singulis, sed alternis diebus affligente) aqua frigida pro libitu ad extinguendum febris fervorem tradatur, nam frigida in die accessionis, et in vigore febris est exhibenda. Hippo-

(751), prodest, ptisana vinosa, jusculis carnium, decoctis temperatis, sudori, urinæque reddere materiem; sicque hæc non vi caloris, medelæ, stragulorum exprimere, sed copia aucta promovere quam blandissime, et diu (*a*).

765 Porro symptomati urgenti (*b*) occurratur juxta regulas in acutis datas (617. ad 726).

766 Sublata febri, victu analeptico,

crates alibi (Lib. II. De Victu Acutorum. text. 49.) ait: *cum caliditas ad pedes descenderit tunc potum dare expedit.* In casu isto caloris jam per totum corpus diffussi potus *non nimis frigidus* ex Heredia nostro (cap. XL. de febribus. Sect. IV.) imperandus, cui ego assentior.

(*a*) In tertianis vernalibus blandi sudores diu possunt relinqui, cum aliquando per istos copiosiores sanentur; in autumnalibus vero cum moderamine sustinendos esse, et procurandos. Justo enim copiosior sudor in fine paroxysmi intermittentem febrim in continuam periculosam, ita observante Sidenhaamo, mutare poterit.

(*b*) Symptomata urgentia febrium intermittentium aliquam exigunt distinctionem ab acutis cum febris à qua illa pendent remedium specificum exigat, et possideat, à quo febris et symptomata tolluntur. Sic sopor, et appoplexia ipsa non unice venæ sectionibus, vesicatoriis . . . aggredienda, sed cortice peruviano præsertim et eodem tempore originaria causa debellanda. Hydrops ab iisdem secuta non purgantibus, diureticis . . sa-

medicamentis corroborantibus æger reficiundus, dein aucto robore purgandus (*a*) per alvum aliquoties.

767 Si autem febris autumnalis vehemens; corpus ex ægritudine debile; morbus jam aliquo tempore duravit; neque signa adsint internæ inflammationis; neque collecti alicubi puris, neque obstructi admodum hujus illiusve visceris, Cortice Peruviano (*b*) abigetur, pulveris,

nanda, sed amaris, et aromaticis cum salibus lixiviosis, vino simul infusis, et cortice ipso peruviano medenda.

(*a*) Medicamenta purgantia in intermittentibus autumnalibus, et in ægris provectioris ætatis febre penitus depulsa, et transacto ad minus uno mense fructuose administrantur. Sidenhamus ex omissione hujus post febres autumnales præsertim periculosum aliquem morbum postea secuturum pertimescebat. Dabat igitur catharticum, et finita hujus operatione paregoricum non omittebat.

(*b*) Boerhaavius hic plurima requirit ad corticis peruviani administrationem, qui methodice, debitis cautelis, à prudenti Medico, non empirice, et indiscriminatim exhibendus. Cortex peruvianus ex sua indole innoxius est, hominibus debilissimis hypochondriacis, hystericis . . . adhibetur cum fructu. Van-Swietenius ipse refert se sumpsisse mane jejunum bihorii spatio integram corticis peruviani in pollinem contriti unciam, neque aliquid inde detrimenti percipere potuisse.

infusi, extracti, decocti, syrupi forma,

Nihilominus Ill. Senac prudenter monet corticem istum amarum, adstringens, tonicum, et aromaticum medicamentum esse; certis ideo in casibus, aut temperamentis si exhibeatur calorem accendere, siccitatem in universa cute efficere, stomachum lædere, dolores in eo, et aliis etiam partibus excitare, pulmonem simul attingere, et inde non raro sanguinis sputum . . producere. Ph. Model in cortice isto invenit ferrum, substantiam resinosam, terramque calcaream. (Recreat. physiq. tom. 1. p. 350.) Tom. VIII. Anal. Chemic. Lavoisierii . . . extat exactissima corticis hujus analysis merito videnda. Hippol. Franc. Albertinus plurima adversus corticem etiam proposuit. Nos certiora seligemus. Si evacuationes aut excretiones ante febrim aut ejus vi cohibitæ fuerint ut in juvene scabie laborante, et simul salivæ profluvio, quæ accedente febri intermittenti evanuerunt, fugata ista febre per corticem prodiit parotis cum inflammatione, dolore, et febre acuta. In fistula ani ichorem fundente, pedibus tumentibus, insueto quotannis cutis rubræ prurigine, et bullulis inde se eferentibus: in podagra retropulsa . . si isti febre intermittente obsideantur pessime cedit cortex iste peruvianus inconsulto præscriptus. Legi digna sunt quæ adducit Senacus Libri IV. cap. VI. *de corticis peruviani non innoxiis effectibus*, et cap. VII. *quænam cautelæ adversus noxios corticis peruviani effectus adhibendæ* sint, ne tam eximiæ panaceæ usus in abusum vertatur ut ait iste pag. 335.

Hæc pro Tironibus sufficient, ne in usu hujus corticis inconsulto præcipitentur.

cum propriis additis requisitis, tempore

Inquirendum igitur inter alia sedulo an aliquid lateat in corpore, quod febrim exigit, ut cito et tuto tolli possit; uti etiam an à febre si relinquatur expectari possit insignis quædam utilitas sive in tollendis inveteratis malis, sive mutando corpore ita ut ad firmam valetudinem vel et longævitatem disponatur. In his enim utilitèr cortice abstinendum. Præcipuæ autem rationes, quæ hujus remedii usum postulant, variæque cautelæ in ejus usu observandæ hac enumerantur paragrapho. *Velox pigritia* medicastrorum ajebat alibi Boerhaavius (§. 1153. Inst. Med.) ad auditam vocem febris intermittentis continuo quinquinam inclamat.

In tertianis autumnalibus vehementibus necesarius est cortex, et licet ita non sint, si jam ægrum debilitaverint corticis inquam jam adest necesitas. Vernæ tertianæ ita vehementes regulariter non sunt, et ideo corticem non ita præcipitanter exigunt. Tamen sicut in tertianis autumnalibus levibus non adeo necesarius cortex, in vernalibus gravioribus ad eum confugiendum.

In tertianis regularibus non statim sanatio procuranda; sed aliquæ accessiones permittendæ ante corticem. In usum revocanda interim illa omnia jam dicta ut diluentia, apperientia, venæ sectio, vomitoria . . juxta exigentiam, quibus vel febris ipsa tollitur, vel ita corpus ægri præparatur, ut cortex vires suas salutiferas exerceat sine damno ullo. Maximi momenti hæc regula est, ait hic van-Swieteenius, qua neglecta mors quandoque, sæpius autem dira, et anomala penitus symptomata secuta fuerunt ipsa certe febre longe pejora, ut

apyrexias debito ordine, dosi, regimine, adhibito.

abdominis tumores, aphonia, intolerabilis anxietas . . icterus, hydrops, asthma, nervosi systematis totius mira ataxia, dolores vehementissimi vagi . . quandoque imprudentem talem corticis peruviani usum secuta fuisse observationibus medicis constat. (Vid. Essais et observations de Medicine de la Societe d' Edimbourg tom. IV. pag. 512.) Hinc summa ratione consuluit Sydenhamus *ne præmature nimis hic cortex ingeratur . . nisi colabescentes et jam fractæ ægri vires eundem temporius summendum esse dictaverint; alias nedum ineficax, sed ne de vita ægri agatur, si sanguini omni fermentationis nixu se despumanti eam derepente injiciamus remoram* (Sect. I. Cap. 5.) Quarta, vel quinta tamen accesio ut plurimum usum corticis jam permittit vel exigit. Si aliquod symptoma in ipsa prima accesione bene cognita perniciosum appareat in eadem ipsa, vel immediate post ipsam magna dosi cortex præscribendus.

Quando aliqua adest inflammatio interna cortex iste suspendendus donec tollatur, vel mitigetur illa. Levior hepatitidis species aliquando intermittentes autumnales epidemicas commitatur, quo casu semper pessime cessit corticis usus. Hoc igitur maxima cura observandum ante corticis exhibitionem.

In tabidis sæpe observatur febris quotidiana quandoque omnino intermittens, aliquando remittens tantum, quæ à pure quotidie facto, et dein per sputa educendo nasci videtur. Per talem febrim fit hujus puris concoctio, quæ si cortice peruviano dato tollatur pessime sem-

768 Quin et Epithemata sæpe juvant;

per se habent tales ægri, et summam patiuntur anxietatem, adeoque si vel minima suspicio collecti alicubi puris adsit à corticis usu abstinendum est. Tinctura hujus corticis tamquam roborans, et sanguinem à purulentia præservans poterit ut plurimum convenire.

Obstructiones viscerum abdominalium admodum magnæ fiunt dum fervidisssmæ æstates liquidissimam sanguinis partem dissipant, residuum spissum, et tenacius difficilius per hepatis angustias transire faciunt. Pariter summi illi æstus ad febres intermittentes epidemicas in autumno disponunt. Rebus sic stantibus lenia emetica, decocta graminis, et aliorum apperientium cum sale polychresto . . præmittenda, solvendæ ita viscerum obstructiones, et cortex eo usque retardandus; nisi magna debilitas aut aliud symptoma urgens inducias, sive coactam curationem expostulent.

Cortex peruvianus in substantia seu in pulverem redactus præstat quando totæ suæ vires necessariæ sunt. Si ratione idiosyncrasiæ alvus perturbatur, vel excitatur vomitus molestus theriaca, seu diascordium ei admiscenda. Si aliquod symptoma perniciosum se se ofert hujus correctivum ei addendum v. gr. si syncops, aliquod cardiacum, vinum . . si cholera morbus, opiata . . Sales alcalini fixi additi cortici dum in aqua decoquitur coccineum colorem coctioni conciliat. Cortices citri, aurantiorum, cinammomum . . saporem emendant.

Remedium istud tempore apyrexias, seu inter duas accesiones intermedio præscribendum. Uncia una sex, vel octo dosibus regulariter suf-

et Inunctiones spinæ dorsi ; et adstringentia epota (*a*).

ficit. Ut recidiva præcaveatur ulterius procedendum usque ad tres uncias partitis vicibus diebus præsertim respondentibus continuanda. Regimen seu alimentorum, et potulentorum administratio arbitrio Medici relinquenda.

Remedium istud variis modis potest exhiberi. Clysmata ex quatuor vel quinque unciis aquæ, et tripla corticis dosi, tribus nempe vel quatuor drachmis in intestina prius alio clystere eluta, injecta, et quoties opus fuerit repetita æqualiter fere prossunt, ita Helvetio aseverante. Balnea pedum à Cl. Alexandro laudantur cruribus postquam probe fricata fuerunt immersis in vas angustum decocto ex libra una corticis et sufficiente quantitate aquæ repletum. Hæc in pueris, et morosis tentanda. Vid. Murray Apparatus Medicamentorum Tom. I. pagin. 475.

(*a*) Cum alibi jam dictum fuerit causam proximam intermittentium esse characterem subtilissimo fluido, et nervis impresum, aliquando iste mutari poterit sive deleri per talia, quæ subtili fragrantia in nervos, et spiritus nervosos agere possunt. Hinc cardiæ, carpis, poplitibus, vel axillis imponi solent *epithemata* aliquot horis ante paroxysmi futuri tempus.

Ad eundem finem *inunctiones*, seu liniimenta ad spinam dorsi applicantur. Fuliginem cum terebinthina, millefolium sacculo inclusum . . laudavit Boileus. Erigerum sive senectionem vulgarem dictum in pultem contusum frigide applicatum cardiæ die intercalari febres intermittentes curasse legitur. Hæc in junioribus, qui

769 Ut singularis fiat curatio singu-

sæpe pharmaca omnia respuunt, et aliunde mobile genus nervosum habent, à quibus possunt affici, aliquando profuerunt. Ista innocua censentur. Alia etiam laudantur, quæ partes, quibus applicantur stimulant, irritant, inflammant, imo et erodunt sæpe, et in toto corpore majori calore excitato frigus incipientis paroxysmi præoccupant. Ranunculus pratensis in pultem contritus intra manuum digitos alligatus aliquando profuit. Hæc tamen curatio crudelis, raro utilis, et sæpe noxia.

Adstringentia jam ab Hippocrate laudata fuerunt (Lib. II. de Morb. Cap. XIII.) Pentaphylli radices acetabuli quantitate (ad uncias duas) ex aqua tritas dabat. Quando ægri vel ex propria temperie, vel per morbum ipsum nimis disolutos humores habent, et profusis sudoribus diffluunt . . adstringentia prosunt; si vero sanguinis adest crasities nimia vel viscera obstructa, ista nocent, et attenuantia, et resolventia præferenda ut jam dictum.

Cave tamen ne in hisce inutilibus utplurimum tempus nimium insumatur: aliquando enim accidit post aliquot accesiones quantunvis regulares inopinato accesionem perniciosam supervenire, quæ ægrum è medio tollat, vel in præcipiti periculo constituat. Cortex peruvianus mirabile ipsius DEI donum his omnibus præferendum, et eo ipso tempore quo applicantur ista innoxia in ægrorum tutamentum administrandus. His nostris temporibus laudantur sacculi, epithemata, balnea . . cortice isto peruviano parata; sed etiam ista omnia utplurimum insuficientia.

larum, notetur 1. intermittentes veras quo minori spatio quiescunt (*a*), eo finiri citius, et contra. 2. eo itidem plus accedere ad acutarum genium, et in has mutari. 3. causam eo mobiliorem forte, et copiosiorem habere. 4. hinc vernales, superveniente calore, sponte solvi. 5. autumnales, accedente frigore, increscere. 6. inde liquere, quibus febribus (*b*) medicina faciunda, et qualis (*c*).

(*a*) Quotidiana febris videtur hujus regulæ exceptionem facere, cum parvo spatio quiescant inter se paroxysmi, et nihilominus non cito, sed tardissime finiatur. Tertianæ autumnales sæpe etiam productos et geminatos paroxysmos habent, continuas febres æmulantur, et longissimæ sunt.

(*b*) Vernæ febres intermittentes benignæ, in corpore juvenili, sano . . vix ullam medelam requirunt; autumnales longe dificiliores sunt magnam sæpe Medici attentionem, et multa artis molimina exigunt pro vario constitutionis epidemicæ genio, ætate, temperie.

(*c*) *Qualis* medicina, sive quæ methodus in intermittentibus curandis adhibenda sit notari debet. Ad id præ oculis habenda duplex illa methodus, quam optime propossuit Sidenhamus, nempe *methodus, qua se natura* liberare solet ab his morbis . . vel illa, qua in ipsam causam specificam agens Medicus remediis eficacibus, ac *specificis*, seu illis quæ absque ullis turbis vel evacuationibus agunt cortice nimirum peruviano curatio perficiatur.

De hemitriteo (semitertiana) et tertianis perniciosis in Appendice agetur. Circa quartanam febrim aliqua huic capiti de febribus intermittentibus adjicienda.

Facile cognoscitur ista febris accesionibus quarto quoque die invadentibus duplici die intercalari libera. Autumno sunt febres istæ frequentes. Horrore, frigore, et aliquando rigore longo; et molestissimo incipiunt, calor ustivus et sitis immanis sequuntur, dolores per varia corporis loca adsunt. Per quindecim vel decem et sex horas protrahuntur. Profusis sudoribus, et dejectionibus nigricantibus terminantur. Urinæ paroxysmis primis tenues: circa quartum vel quintum lateritiæ jam solent apparere.

An bilis crasa, adusta, inflammata, vel putrefacta harum est causa? Antiqui ita senserunt. Causa ista, et harum febrium pertinacia, in corpore impuro, hypocondriaco . . eam gravem, et timendam offerunt, senibus præsertim.

Curatio aliquando diæta severissima ab initiis obtinetur, quæ semper ita instituenda. Morbus iste ex se venæsectionem non respuit. Quæ per sanguisugas vasis hæmorrhoidalibus applicatas exercetur præferenda. Incidentia, diluentia . . salia neutra, succi depurati cichoracei, et antiscorbutici, gummata, sapones . . adhibenda. Emetica præstant, purgantia attentis circunstantiis administranda. Cortex peruvianus apparente præsertim urina lateritia præscribendus, et ad quatuor ad minus uncias partitis vicibus continuandus.

Cortex iste cum sale cichorei, absinthii, tartaro martiali solubili . . sociandus. Hinc decoctum febrifugum *salsum* laudatur. Cascarilla ab aliquibus ipsi cortici pro quartana debel-

landa præfertur. Serpentaria virginiana fortasse validior. Sal ammoniacum est etiam optimum remedium. Nitrum iis mediis calefacientibus miscendum. Electuarium febrifugum Pharmacop. Hisp. (vulgo antiquartanarium) ex tartaro emetico, crystallis tartari, cortice kinæ, et aceti syrupo confectum remedium est herculeum. Mercurius dulcis cortici mixtus, egregius. An opium pariter? His omnibus incasum adhibitis ad aquas thermales vi purganti donatas confugiendum.

Sauvagesius Cl. II. *Febres*, ordine III. *Intermittentes*. Genere X. *Tertiana*. Species: legitima (duodecim horarum) spuria (viginti) petechialis, pleuritica, arthritica, asthmatica, emetica, hysterica, scorbutica, carotica, ab scabie, accidentalis, (levissima) duplex (quæ quotidie) duplicata (quæ accesus binos habet alternis diebus ut prima et tertia, nullum vero die secunda, quarta, &c.) triplex, epileptica, syphlitica, verminosa, subcontinua (subintrans in continuam facile transiens) hemiplegica.

Cullenius Cl. I. *Pyrexiæ* Ordine I. *Febres*. Genere I. *Tertiana*. Species additæ: semitertiana primi ordinis Galeni, hemitriteus Celsi . . tetanodes, cholerica, sive dysenterica, suberuenta sive atrabiliaris, cardiaca, assodes, typhodes, elodes, sincopalis, algida, epiala, leipyria, perniciosa ex Ludovico Meccato Lib. VI. de Febribus, pestilens ex Petro Salio Diverso de febri pestilenti cap. X. maligna pestilens Riverii.

Quartanæ species eædem fere sunt. Addendæ tamen: splenetica, cataleptica, nephralgica, infantum, triplicata . . continua?

APHOR. 758.

Medicamenta hùc referenda.

Sales herbarum Tacheniani omnes, quorum præcipui ex Absinthio
Carduo benedicto
Stipitibus fabarum..
parantur.

Nitrum.
Stibiatum, et
Stibium Diaphoreticum non ablutum.
Sal Ammoniacus
Prunellæ
Polychrestus.
Tartarus regeneratus
tartarisatus.
Sal Tartari cum oleo Terebinthinæ in saponaceam massam redactus.
Herbæ omnes Aromaticæ in omnibus suis partibus. Vid. totum Aph. 75. N. 5. Aph. 54. N. 4. maxime ad titulum *Resolventium.*

APHOR. 759.

Vomitorium in febre intermittente.

R. * Tartari Emetici grana quinque.
Fiat Pulvis.
Una dosi sumendus.

Pilulæ Emeticæ.

R. * Tartari emetici grana quinque
Micæ panis quod suficiat,
Ut fiant Pillulæ numero quinque
Pro una dosi.

Haustus emeticus, valde movens.

R. * Vini emetici uncias duas,
Oxymellis scillitici drachmas sex.
Misce. Fiat Haustus.

Bolus emeticus.

R. * Tartari emetici grana quinque
Gelatinæ Ribesiorum unciam semis.
Olei Cinnamomi guttam unam.
Misce. Fiat Bolus.

Purgans.

Pulvis.

R. Pulveris cornachini scrupulos duos.
Pro una dosi.

Potus.

R. * Pilularum cochiarum majorum scrupulos duos

Syrupi Rosarum solutibarum unciam semis,
Aquæ stillatæ florum Sambuci uncias duas.
Fiat Haustus.

Pilulæ.

R. Aloes lotæ grana duodecim,
Mirrhæ grana decem,
Opopanacis grana quinque,
Salis Gemmæ grana quinque.
Misce. Fiant pilulæ numero novem.

APHOR. 761.

Sudoriferum Antipyreticon raro fallens, Misturæ forma.

R. Salis Polychresti drachmas duas
Syrupi quinque radicum aperientium uncias duas.
Opii puri grana duo.
Aquæ stillatæ fermentatæ Cardui benedicti, Absinthi, Rutæ, Majoranæ, Menthæ singularum unciam unam.

***** Doses hujus Tartari emetici hìc; et etiam in Pharmacopœa hispana, immodicæ.

Pilulæ cochiæ majores, et minores drasticæ sunt, acerrimæ; et ideo vitandæ.

Extracti absinthi uncias duas.

Misce. Capiat cochleare unum omni quadrante horæ; superbibendo uncias quatuor sequentis decocti post singula quæque.

Simile, Decocti forma.

R. Radicis Imperatoriæ drachmas sex.
Ligni Sassafras,
Santali Rubri singulorum uncias duas.
Foliorum virgæ aureæ manipulos duos.
Florum centauræ minoris unciam semis.
Seminum contusorum Dauci Cretici drachmas sex.

Infusa vase arcte clauso per horas duas absque ebullitione, sed fere fervida, dein parum ebulliant, tum Decocti pintas duas Exhibe.

APHOR. 763.

Vid. 634. 640.

APHOR. 767.

Pulvis in febre autumnali diuturna corpore debilitato, sumendus.

R. Corticis Peruviani boni unciam unam.
Fiat Pulvis dividendus in duodecim doses.

Capiat omni bihorio unam ex vino.

Decoctum in eodem casu.

R. Corticis Peruviani uncias tres.
Aquæ communis uncias duodecim.
Infusa spatio duarum horarum, dein per horam ebulliant, tum adde
Vini Gallici uncias quatuor.
Ebulliant rursum parum in vase alto; dein
Decoctum purum exhibe.
Capiat unciam unam, et semis omni bihorio.

Vel.

R. Corticis peruviani uncias tres.
Vase clauso spatio duarum horarum in aquæ communis decoctæ unciis sexdecim exhibe.
Capiat ut præcedens.

Extractum simile.

R. Decoctum præcedens.
Exhala ad mellis spissitudinem.
Sumat divisum in quatuor doses.

Vel.

R. Extractum præcedens.
Dilue in syrupi quinque radicum aperientium uncia una.

Erit Syrupus.
Usus ut extracti.

Vel.

R. Extractum præcedens.
Admisce pulveris glyzirrhizæ quantitatem sufficientem,
Ut fiant pilulæ, granorum quatuor.
Consumat omnes spatio apyrexiæ.

APHOR. 768.

Linimentum calidum ad spinam Dorsi inungendam.

R. Olei scorpionum
Castorei
Baccarum Juniperi
Camphoræ de radicibus cinnamomi
Laurinum
Terebinthinæ
Balsami Sulphuris Terebintinæ singulorum unciam semis.
Misce. Pro linimento descripto.

Decotum adstringens.

R. Plantaginis totius latifoliæ uncias decem.
Radicis Tormentillæ recentis uncias duas.

Decoctum in aquæ pintis duabus exhibe.

Bibat uncias tres omni bihorio.

Pulvis similis.

R. Aluminis rupei drachman unam,
Nucis Myristicæ drachmas duas,
Pulveris Boli armenæ grana duodecim.
Misce. Fiat pulvis.

Hora una ante paroxysmum hauriendus.

Epithemata.

R. Uvarum Corinthiacarum,
Summitatum Lupuli,
Salis marini, singulorum uncias duas.

Contusa in pultem pulsuum locis applica ad Arterias.

R. Summitatum Rutæ viridis uncias duas,
Seminum sinapi drachmas duas.

Contusa exhibe ad Epicarpia.

APHORISMORUM, ET MAT. MED. PRIMÆ PARTIS.

FINIS.

APPENDIX

AD TRACTATUM

DE FEBRIBUS,

IN QUA DIVISIONES ALIQUOT, SYMPTOMATA DUO FEBRILIA, ET FEBRES ALIÆ IN COMMODUM TIRONUM APPONUNTUR.

Febris est : Morbus cujus ideam pulsus naturali velocior absolvit, et quem læsio functionum aliarum utplurimum committatur.

Ipsa pulsus velocitas major jam aliqua functio læssa est.

Divisiones febrium in acutam, et lentam : communem, seu epidemicam ; et sporadicam, seu huic illive homini singularem, et subdivisio febrium acutarum in continuas continentes, continuas remittentes, et intermittentes, quas Boerhaavius proponit sunt omnino retinendæ.

Inter continuas continentes, quæ uno veluti ictu suum cursum absolvunt proponitur primo diaria seu ephemera, quæ vigintiquatuor horis terminatur. Si hæc ad duos vel tres dies extenditur non dicetur

ephemera, seu unius diei, sed diaria extensa, sive synochus pura.

Febris continua inflammatoria, seu synochus non putris, quæ etiam est continua continens brevissime à Boerhaavio pertractatur Aph. unico 729.

Febris ista inflammatoria hac nostra Regione calida frequens valdè est, ideo amplius pertractanda. Mox igitur uberior hujus febris descriptio proponetur.

Quando calor in febribus acutis inflammatoriis, putridis, ardentibus, et intermittentibus etiam ad summum æstum adscendit sive á putrefactione, sive ab inflammatione, sive ab utrisque simul varia symptomata terrifica observantur, quæ harum febrium divisiones utiles eformant. Tales sunt:

Febres *Epialæ*, in quibus frigus, et æstus cutaneus alternatim velociter transeundo ex uno ad aliud observantur. Hæ ab humore erisipelatoso interno vago, et carbunculoso procedere creduntur. Periculosum est istud symptoma, et fere semper letale. Videatur infra febris erisipelatosa.

Febres *Lypiriæ*, in quibus summa sitis, et calor internus summus cum tepore cutis observantur. In his inflammatio caustica aortam, venam cavam, portamque circa cor, et jecur ocupare creditur, cum circa istas partes summus æs-

tus observetur, et sanguis ejusque calor ibi remoram passi ad cutim non perveniunt, hincque in ista frigus, vel ad minus tepor observatur. In iis remedia suprema antiphlogistica statim adhibenda. Inflammatio ista in gangrænam præcipitato tendit.

Febres *Assodes* in quibus anxietas summa, jactatio, et inquietudo cum perpetuo stomachi fastidio, et nausea. Hæc omnia ab acerrimo humore ventriculi orificium vel ejus tunicas mordente, seu ab inflammatione ustiva in arteriis cysticis, hepaticis, cæliacis.. procedunt ut anatomia demonstratur. Copiosus sudor, et diarrhœa biliosa circa diem quartum advenientes proficiunt, et ista fortase solvunt. Venæsectio, emetica, acida mineralia, balnea vaporis, sanguisugæ, epispastica, cortex peruvianus.. prodese poterunt.

Febres *elodes* sunt illæ, in quibus præter symptomata inflammatoria sudores coliquativi ab initio ipso observantur, vires dejicientes, linguam exicantes, interna adurentes. Venæsectio in ipso initio, cortex peruvianus acidis mixtus.. sunt remedia unica; utplurimum tamen insufficientia.

Febres *phricodes* seu horrificæ et algidæ hæ dicuntur in quibus horrores frequenter solent accidere. Ex mixta materia biliosa scilicet, et pituitosa emergeg

creduntur. Difert ab hemitriteo quod quotidie rigores longi paroxysmum committentur ; alternis vero diebus in hemitriteo. Cortex peruvianus est unicum auxilium. An Bezoardicum jobiale Riverii à Sauvagesio citatum proderit?

Omnia ista symptomata terrifica, atque deleteria nedum febres inflammatorias, putridas, ardentes.. commitari possunt, sed etiam intermittentes, tertianas præsertim quas omnimode perniciosas efficiunt. In his cortex peruvianus raptim, et affatim exhibitus ab orci faucibus miseros eripere fauste poterit.

Notæ etiam sunt divisiones aliæ febrium v. gr. febres eruptivæ ut variolosæ, morbilosæ miliares, petechiales.. nosocomicæ, carcerariæ .. De his postremis nuperrime scripsit Sebastianus Cera brevem, sed tamen dilucidum tractatum. An. 1792.

Divisio febrium in diurnas, et nocturnas proponitur (ex Hipp. Lib. I. Epid. et aliis locis) ab Antonio Gometio Pereyra Tractatu de Febribus cap. XLV. pag. 314. et à Pet. Mich. Heredia cap. LV. Sect. IX. pag. 264.

Sunt etiam febres quotidianæ, pituitosæ sive mesentericæ, suppuratoriæ, hecticæ, catarrhales benignæ, malignæ, lacteæ, puerperales...

Divisio febrium continuarum iis nostris temporibus usitatissima est in sy-

nochum seu inflammatoriam; et typhum, seu lentam nervosam, et aliam ex utraque mixtam. De Morbo *Typhus* jam Hippocrates tractavit (Lib. III. de inter. affection.) Sed tamen videndi Recentiores Cullenius, Huxhamus, aliique qui spartam istam amplius exornærunt.

Denique observantur, et observatione exactissima dignæ sunt febres *stationariæ*, et *annuæ*, de quibus mox ex Maximilliano Stollio, cujus etiam en duo symptomata febrilia, *malignitas* nempe *febrilis*, et *status nervosus*, quæ scitu sunt admodum necessaria, et de quibus non agit Boerhaavius inter sua symptomata febrilia verè OPTIMA!

MALIGNITAS FEBRILIS.

Debilitas *vitalis* in principio febris, sponte orta absque causis cognitis debilitantibus, plethora, inflammatione maxime abdominali, gangræna, saburra turgente, jactura humorum gastricorum per vomitum, secessum, sanguinis; hysteria, hypochondriasi, &c. *malignitas* appellatur, cuicumque febri, frequentius tamen putridæ sociata, non bene quæsita in syndrome symptomatum magnorum, numerosorum, insolitorum; nec in abnormi de-

cursu morbi ad exquisita remedia pervicacis, ejusque magno discrimine.

Hinc synochus putris cum hac vitæ debilitate invadens *cat' exochen* (eminenter) *febris maligna* erit.

Sunt ergo febris malignæ, et communia putridarum symptomata, et pathognomonicus character *virium vitalium prostratio vera.*

Hanc produnt subita non prævissa debilitas, lassitudo, dedolatio, cum vertigine, carebaria (*capitis dolore*), sensibus internis, externisque tardis, obtusis, confusis; aspectu lugubri, lacrymoso, desperabundo, vel ob morbosam indolentiam indifferenti (unde fallax morbi perniciosi lenitas non raro); pulsu molli, tenui, debili, parvo, accelerato, remittente, intermittente, omni modo inæquali, situs erecti impotentia ob metum lypothymiæ letalis.

Ubi hæc in morbi exordio adsunt, erit *Malignitas vera, primaria*; rarus morbus.

Ubi vero synocho putri serius superveniunt, sponte, mala medicatione, malignitas *secundaria, spontanea*, aut *factícia*; utraque non rara.

Causa proxima *malignitatis protopathicæ* ignota, atque anonymos, sola effectu enervante, mortificante se manifestans, cordis, et vasorum arteriosorum irritabilitatem, atque adeo vitam ipsam aggreditur directe.

Hujus vero, uti et *deuteropathicæ*, remotiores causæ sunt, evacuationes prægressæ, et presentes, magnæ, repetitæ, diu continuatæ, spontaneæ, artificiales, sanguinis, seri, bilis, seminis, spirituum, sudor, diabetes, salivatio; diarrhœa; defectus cibi assumpti, retenti, digesti, intropulsi; humores circumeuntes acri quocumque infecti, eorundem discrasia, undecumque nata, causæ febrium biliosarum, putridarum, plures, graviores, diutius applicatæ, vitium epidemicum, endemicum.

Ex hac idea malignitatis notio practica, directrix, nascitur, unde agenda, et agendorum rationes.

Convenit ergo, quidquid in amplissima classe titulo cardiaci venit, potissimum vinosa, spirituosa, aromatica, roborantia, adstringentia, acida mineralia dulcificata, salia volatilia acida, alcalina, media: cortex peruvianus, serpentaria virginiana, contrajerva, angelica, hisque similia quamplurima, ori ingesta, ano immissa, naribus, locis subaxillaribus, scrobiculo, abdomini adplicata per modum potus, odoramenti, enematis, epithematis, frictionis, cataplasmatis, epispastici, rubefacientis, vesicantis.

Debilitatem non febrilem, virium animalium, et vitalium, in convalescentibus tollunt cibi liquidi, sanguini similes, arte digesti, gelatinosi, blandi ex anima-

libus, vegetabilibusque, vinosis, et aromaticis, secundum artem misti, sæpe, parva dosi dati, cum leni frictione externorum, repletionem efficiunt commodam, in primis si sumuntur ex idonea, contra morbi curati ingenium, materie, si et conveniens corporis exercitium, habitatio, et anni tempus opportunum accedat.

Ex his omnibus liquet cur febris maligna absque artis subsidio non sanetur, et cur cum eodem tam dificulter, ut vel probe curata occidat sæpius.

Cur in constitutionem putridam frequentius cadat, quam sub dominium aliarum febrium?

Stabilito discrimine causarum utriusque debilitatis (*essentialis*, *et grabativæ*) intelligi facilius potest, quomodo vi vitæ aucta, actiones animales persæpe debilitentur: cur in summa virium vitalium debilitate, præsente gangrena, pulsu celerrimo, debilissimo, vix micante: artubus frigidis, sudore frigido manantibus, facie hipocratica, nihilominus actionum animalium stupenda integritas, facilitas, quin et mentis subinde vis major, ad mortem perfectam usque?

Apparet quoque, quanti intersit, utramque speciem debilitatis (*mox dictæ*) accurate distinguere, cum quæ in una prosint, in altera plerumque noceant, et cum Medicus nullo instrumento metiri vires pos-

sit, quantopere adlaborandum sit illi, ut usu multo discat virium quantitatem juste æstimare? quam rarus sit cardiacorum in acutis intellectus? quam sit debilitas in febribus malum sæpe insuperabile? Cur lassitudo diuturna ante morbum, eundem gravem futurum prænunciet; cur diutissime affligat post putridas, malignas, non diu post inflammatorias?

An etiam alia febris maligna datur à volatili, et contagioso miasmate oriunda, ut quidam volunt, sudoribus motis, diu protractis sananda? an febres hac methodo sanatæ fuerunt vere malignæ?

STATUS NERVOSUS.

Symptomata systematis nervei, illius partis præcipue, quæ actionibus animalibus præest, irritati, peculiaria, plura, diutius durantia, per febris decursum varia (et inde vitalium quoque, et animalium functionum pendentes turbæ), *Status nervosus*; ipsa vero febris, quam is status commitatur, *nervosa* audit, nunc forte frequentior, quam olim.

Hæc vero sunt: tremores, horrores vagi, spasmi, palpitatio cordis, anxietas sæpe terrifica, imaginatio multipliciter læsa, animi pathemata varia plerumque tristia, validaque, desperatio.

Delirium multiplex, risus, ploratus, pavores, tendinum saltus, convulsiones, per vices, universales, partiales, temporariæ, opisthotonos.

Paralyses, semiparalyses, stupores, aphoniæ, cito evanidæ, cum aliis symptomatibus alternantes.

Pulsuum perpetuæ vicissitudines, in mollem, durum, celerem, tardum, parvum, magnum, remittentem, intermittentem, et varium omni modo, &c.

Horum causa *proegumena* morbida mobilitas (*eumetablesia*) excedens, deficiens, abnormis, systematis nervei, facultatis præprimis animalis.

Hanc dedit gentilitia labes; educatio delicatula; exercitia mentis præmatura, nimia, nocturna, aesthetica, vina, venus, edaces curæ, &c.

Superveniens febris, qualiscumque, undecumque nata, instar stimuli peregrini agit, vices supplens *procatartices* causæ.

Hinc febris inflammatoria, biliosa, putrida, pituitosa, hæcque frequentius, præ ceteris, et ipsa subin intermittens, *nervosæ* fiunt.

Nec semper abest in convalescente, ob febrim prægressam longam, evacuationes in ea magnas, neglectum curæ confirmatoriæ, labores mentis citius resumptos.

A statu nervoso febres exleges, coc-

tiones impeditæ ; crises laboriosæ , imperfectæ , suppressæ , per loca incongrua, metastaticæ , periculosæ ; convalescentia tarda, difficilis ; relapsus , nervorum mala.

Igitur cito , et efficaciter medendum, remediorum princeps est ipsius febris curatio apta.

Cæterum prosunt virosa , blanda narcotica , exhilarantia , tonica , castoreum, moschus , camphora , cortex peruvianus, valeriana sylvestris , opium prudenter exhibitum , &c. *Si ea simul poscat , aut admittat natura febris.*

Spes salutis , et confidentia in Medicum hic sæpe optimum cardiacum nervinum.

Ex his liquet quæ sit idea febris *nervosæ* verior , in praxi utilior?

Cur febris nervosa non sit specifica, suique generis , sed revocanda ad alias febres, et ex earum præceptis sananda? (*Num ita? Dubito.* Vid. infra *Febris nervosa.*)

Quanam ratione conciliandi observatores , hic tam diversa sentientes?

Quæ sit differentia inter *malignitatem*, et *statum nervosum* , et cur utriusque connubium pessimum?

Cur frigido humidoque cœlo , cur in sexu sequiore , in urbibus frequentior?

Item quanti momenti sit tum hic , cum in aliis nervorum malis , exacte distinguere inter *emetablesian* (mobilitatem exceden-

tem) cum atonia fibrarum; et eam cum harum nimia elasticitate, rigiditate? et cur ibi (*virosa*, *blanda narcotica*..) ut prius nominata, hìc vero blanda farinosa, emulsa, tepida, potu, fotu, enemate applicata, *nervina* sint?

FEBRIS STATIONARIA.

Stationaria certo annorum curriculo continetur, sensim increscit, viget, atque iterum decrescit: alteri alterius indolis subnascenti locum concedens.

An *eædem* stationariæ post aliquot emensa annorum curricula certo ac stabili quodam ordine recurrant; num earum definitus quidam sit numerus, an vero novæ subinde nascantur, determinari non potest ob defectum observationum multis annis continuis, per industrios medicos, eodem in loco capiendarum, et cum aliis, alibi institutis, comparandarum.

Hinc ignoratur hucusque indoles, numerus, extensio, periodus febrium stationarum.

Id solum constat per observationes sydenhamianas, et nostras febrim stationariam omnibus omnino febribus, et febrilibus morbis, seu sint ab annua mutatione, seu à causa quadam singulari productæ,

dominari, eosque in suam potestatem redigere.

In chronicos quoque, seu febriles illi sint, seu febris expertes, magnum imperium esse stationariæ febris.

Febris stationaria varios sæpe lusus habet, variosque morbos mentitur, utut eadem ubique sit et indoles morbi, atque eadem ubique medendi ratio.

Cognosci autem stationariæ natura potest, 1. ex spontanea morbi sibi relicti solutione solius naturæ viribus peracta, ejusdemque eventu vario, spontaneo, 2. ex juvantibus et nocentibus forte adhibitis, 3. ex analogia cum aliis febribus, aliunde cognitis.

Hinc intelligitur, quid agendum sit, in novæ febris ingressu.

Cum sub iisdem aeris qualitatibus sensibilibus diversæ nihilominus subinde stationariæ febres sint observatæ, patet, alias quoque dari, atque hucusque ignotas causas febrium popularium.

FEBRES ANNUÆ.

Annuæ febres dicuntur, quæ singulis annis constanti quadam lege recurrunt, seseque excipiunt, nisi quædam temporum anomalia, cœlique mutationes ab-

normes intercurrant, et hanc annuarum successionem turbent.

Sunt autem hæ annuæ: febris inflammatoria, biliosa, pituitosa, quæ quasi principes et febres cardinales considerantur, itemque intermittens.

Quarum singulæ tam late patent, ut innumeræ aliæ febres ad aliquam ex hisce reduci possint, ad eam videlicet, quacum major affinitas, et analogia intercedit.

Quælibet harum cardinalium definitæ anni parti respondet: inflammatoria adultæ hyemi, et veri primo: biliosa æstati vigenti, atque inchoanti autumno: pituitosa vero istius fini, et initio hyemis, item veri in æstatem vergenti. Intermittens in ver atque autumnum cadit.

Quod si tempora anni consuetum suum tenorem non observent, alius quoque erit febrium habitus ad anni partes.

Varia erit cardinalium harum duratio, intensio, modificatio, lusus, successio, degeneratio, complicatio, et inter sese, et cum aliis morbis, quæ omnia summam medentis attentionem petunt.

Hæ quoque, quemadmodum stationariæ, sensim increscunt, vigentque, ac sensim iterum decedunt, seu multitudinem ægrorum spectes, seu morbi vim.

Tum vero circa constitutionum annuarum initia, exitusque medium quod-

dam, compositumque genus febrium observatur.

Quælibet harum cardinalium morbos suos subalternos habet. Sic cephalalgiæ, lippitudines, anginæ, tusses, fluxus alvini, &c. tanquam ægritudines subalternæ febrim principem seu cardinalem sequuntur, eadem, ac febris dominans, ratione sanandæ.

Morbi quoque alii sub annua dominante observati aut ejusdem indolis sunt cum febre annua; aut, utut à causis singularibus producti, ab eadem nihilominus reguntur. Exemplo appoplexiarum, abortuum, arthritidis, hypochondriaseos, hydropis, pthiseos, multorumque aliorum.

Unde maximi momenti lex sequitur, ut eidem ad speciem morbo sub differentis febris annuæ dominio non eandem medicinam facias.

Febres annuæ suam denominationem sæpe à quodam prædominante symptomate trahunt, unde pleuritica, peripneumonica, rheumatica, miliaris, petechialis, variolosa, morbillosa, scarlatinosa, erysipelatosa, tussis convulsivæ, dysenterica, &c. constitutio audit.

Nihilominus notio practica, et directrix morbi, non tam ex ejusmodi symptomate prævalente, quam ex annuæ febris natura, cum stationaria collata, desumi debet.

Atque universim, qui febri medetur, et *annuæ* simul, et *stationariæ* rationem habere debet: cum eadem licet stationaria, diversis anni partibus, diversa annua, diversimode alteretur.

An febres annuæ nonnunquam suos limites egrediuntur, vice temporum non suppressæ? an tunc in alias anni partes, aliis febribus dicatas proferuntur, atque ita stationem diutius obtinent, *stationariæ* effectæ?

FEBRES SPORADICÆ, ET SINGULARES.

Febres annuæ, et stationariæ nonnumquam *solitariæ* comparent, extra tempora sui principatus, ob causas peculiares iisdem gignendis aptas: *sporadicæ* vocantur.

Qui vero annuas, et stationarias populariter grassantes exacte didicerit, easdem ipsas non prætervidebit, utut solitariè visas, et tempore non suo.

Aliæ quoque subinde febres occursant, horarum omnium; nulli certæ temporum constitutioni unquam alligatæ; à domestica, singulari origine natæ, idcirco *singulares* dictæ.

Huc febris lactea, puerperarum, vulneraria, &c.

Hæ vero propriam licet, et originem et naturam nactæ, nihilominus vim epidemici experiuntur, in eundem commutandæ, eidem sociandæ. Inde ingens nonnunquam in eadem ad speciem febre curationis diversitas.

Idcirco in *singularium* curatione est inquirendum, 1. qua cum *cardinalium* major intercedat analogia; et 2. quæ sit potestas epidemici in *singularem.*

Ex hac comparatione *singularis* cum quadam *cardinali*, atque ex morbi simul popularis indole perspecta, velut ex duplici fonte eruitur notio practica proposita *febris singularis*: unde indicationes et indicata. Exemplo sit febris lactea, puerperarum.

FEBRIS LACTEA.

Foetu excluso, et utero contracto mutatur humorum circulantium dispensatio, uteroque exclusi mammas petunt impetuosius.

Inde febris, minor, majorve intra paucas subinde horas conclusa, nychthemeron vix egrediens, lacte ad mammas conjecto veluti crisi terminata, *ephemera lactea.*

Non reditura, nisi metastasi facta imperfecta ob excipientis ineptitudinem, vel molem excipiendi.

Tum vero mammis ob applicatas fas-

cias, thoraculos angustiores, pinguedinem multam, tumores, cicatrices, gentilitiam, nativam structuram, humoris velocius allati vim nimiam, ineptis suscipiendo toti lacti, fit turgor, plethora lactea, lacteo-inflammatoria, et effectus ejusdem varii, quorum princeps febris *lactea protracta*, seu *secundaria*.

Estque acuta in non lactantibus, vel non sufficienter, continua remittens, cum accessione quotidiana, horrore longo, calore insequente, et sudoribus largis diu protractis. Periculosa est inepte curata, aut in consortio alterius, tum forte epidemicæ grassantis.

Terminatur, 1. sudoribus sub finem accesionum, 2. spontaneo vel artificiali lactis fluxu è mammis, 3. lochiis profusioribus, lactiformibus, 4. urinis, 5. alvo, 6. miliaribus, crisi ambigua, 7. metastasi lactea, inflammatoria, ad encephalum, thoracem, abdomen; supremum femur, &c. eventu vario.

Inde deliria, convulsiones, apoplexiæ, peripneumoniæ, asthmata, hydropes lactei, purulenti, et abscessus in locis variis.

Subinde in morbos chronicos abit, maniam; febrim hecticam, arthritidem; fluorem album; concipiendi impotentiam utero laxato; concepti emissionem; abortiendi proclivitatem.

Comparatur protracta lactea cum febre plethoricorum, inflammatoria; synocho imputri; atque ad hanc, tanquam ad febrim illam *cardinalem* quacum est major similitudo reducitur; hinc ergo indicationes, et tota medendi ratio petenda.

Prior medelam non petit; posterior sanatur

1. Vitando frigida, aromatica, vinosa, calorem nimium foci, lectique; medicamenta calida, utut specioso aristolochicorum titulo superbientia; animi affectus validos, iram, terrorem præprimis, quiete corporis, animique conciliata.

2. Minuendo plethoram:

a Diæta tenui, antifebrili;

b Excretiones sollicitando varias, scilicet: *a* lactis efluxum è mammis suctu tempestivo, indolente; earum fotu, epithemate laxante. *b* perspirabilis materiæ tepore lecti, potusque emollientis, sambucini, copiosi. *c* alvi ope enematum, salium mediorum, magnesiæ muriæ, &c. *d* lochiorum non aristolochicis; sed fotu emolliente hypogastrii, pudendi, vaginæ, uteri; injectione ex emollientibus. Quo autem natura vergit, eo præprimis ducendum.

c Mittendo sanguinem, fovendo partem dolentem, in motu febrili nimio, nimium diuturno, inflammatorio; dolore alicubi fixo atque inflammatorio.

Medendum et mammis nimium repletis, turgidis, tensis, dolentibus, inflammatis, tempestivo suctu, non violento, priusquam inflammatio accesserit; omisso, si doleant: tum vero fotu, aut cataplasmate emolliente applicato: tandem, inflammatione remissiore, emolliendo discutientibus.

Est autem (quod maximi faciendum) in tota curatione inquirendum simul, an aliquid, et quantum accesserit huic febri ex morbo populari, annuo æque ac stationario, atque inde quoque agendorum rationes capiendæ.

FEBRIS PUERPERALIS.

NUlla febris est, quæ non aliquando in puerperam cadat; ea vero præprimis *quæ constitutioni præest.*

Hanc autem excitant in debiliore, quocumque puerperii tempore, subinde ultimis diebus graviditatis, præ ceteris partus ipse laboriosus, manu rudiore, ferro absolutus; fœces antiquæ tempore graviditatis collectæ, acres, commotæ; abusus oleosorum, opiatorum, absorventium, aristolochicorum, stragulorum; errores diætetici; aer non renovatus; febris lactea validior, diuturnior, male curata.

Hinc patet, male semper uteri, ejus

appendicum, intestinorum, mesenterii, omenti, peritonei inflammationem statui pro hujus febris causa; neque ubique aut saburralem, aut putridam esse.

Atque universim, non esse *specificam* febrim puerperarum; sed *eandem cum regnante, modificatam solum à puerperio.*

Inde ratio quoque dissensionis inter practicos.

Tamen pauperiores; hinc parce, maleque pastæ; vel et aliæ ex causâ quacunque antecedente debilitatæ; tempore austrino, molli, aut pluvioso, subfrigido; in depressis habitantes, febrim pituitosam, longam, miliarem in puerperio sæpius experiuntur.

Practicorum examini subjicitur an materies lactea corpus oberrans toties, ut arbitrantur, ad diversas partes corporis deponatur?

An vero sæpius ob febrim auctam varia loca, præprimis glandulosa, aut antea obstructa, inflammentur, suppurent, aut lympham phlogisticam crisi erronea in proxima cava dimittant? ut idcirco aut pus, aut materies inflammatoria pro semicoagulato lacte imposuerit?

Id quidem frequenter accidisse expertus novi.

Hucusque Stollius in Aphorismis de cognoscendis, et curandis febribus.

Quæ sequuntur ex Medicina clinica Christiani Theophili Selle transcripta sunt.

DE FEBRIBUS CONTINENTIBUS.

Experientia docuit, febres eo proniores esse, uno tenore ac sine intermissione adscendere, et judicari, quo magis causa proxima in sanguine ipso continetur. In omnibus illis casibus, in quibus materia febrilis non in ipso sanguine nata est, sed semper demum in vasorum systema infertur, febres in remissiones atque exarcerbationes sunt proclives. Febres ex humoribus acribus in primis viis, aut ex ulcere, aut ex obstructionibus oriundæ numquam sunt indolis continentis.

Hæ febres nostro ævo sunt multo rariores, quam pristinis temporibus fuisse dicuntur, quia nostra vivendi ratione primæ viæ tantopere debilitantur, ut hæ semper fere officina materiæ febrilis sint, aut saltem naturam febrium immutent. Verum tamen hæ manent ideale, quod theoria necesariò determinare debet, et sine illo praxis longe vaga esset.

Felix in his febribus exitus à viribus unice pendet. Crisis semper fere contingit per sudorem atque urinam. Raro materia febrilis è sanguine in primas vias deponitur, raroque inde per vomitum aut alvum evacuatur.

Noxia igitur in his febribus sunt om-

nia medicamina evacuationem primarum viarum perficientia. Atque est princeps canon practicus : tanto in febribus cum remediis evacuantibus cautiores esse debere, quanto magis illæ indolis sunt continentis.

Dantur quidem febres continentes è remittentibus oriundæ, colluvie in primis viis contenta in sanguinem migrante, materiamque febris continenter agentem præbente. Hic autem quoque evacuationes primarum viarum raro sunt adhibendæ, in his enim casibus vires ita fere sunt debilitatæ, ut illæ talibus evacuationibus minime sufficiant.

Duæ sunt species hujus febris naturales, febris *inflammatoria*, et *putrida*.

FEBRIS INFLAMMATORIA SIMPLEX.

Hæc febris ab auctoribus nuncupatur *synochus imputris* seu *simplex*. Melius, et significantius vocatur ea *febris inflammatoria simplex*.

Hæc febris præsertim subjecta robusta ac sensibilia, tempestate in primis existente frigida, tempore hiberno invadit. Ea plerumque è refrigerio nascitur, nonnumquam etiam ex irritationibus externis, e.

g. è vulneribus, subinde è missione sanguinis neglecta, aut hæmorragiis consuetis suppressis. Ea subito sine multis nunciis præcurrentibus invadit.

Pulsus est durus, plenus, celer et regularis. Lingua est pura, et muco tenui dumtaxat albo obducta, gustus est naturalis, urina ruberrima. Signa putredinis, et saburræ primarum variarum desunt. Oritur quidem subinde vomitus, aut diarrhœa, cui tamen aut irritatio prima, aut vero materia è sanguine depossita occasionem præbet. Sanguis è vena missus est spissus, et plerumque crusta alba, viscida obductus, quæ etiam propterea *simplex inflammatoria* vocatur. Symptomata hujus febris sibi invicem respondent. Sitis e. g. conditioni linguæ, calor pulsui est proportionatus.

Methodo medendi existente apta, raro hæc febris est periculosa. Crisis præter sudorem, atque urinam fit nonnumquam per hæmorrhagias, excreationem, raro per diarrhœam. Sudorem imminere criticum animadvertitur è secretione urinæ parciori, è cute pruriente sed molli, è pulsu molli atque undulatorio.

Hæmorrhagiam narium criticam imminentem prænuntiant rubor oculorum, gravitas in temporibus, et dolores capitis. Exitu infelici fit quædam species suppurationis universalis. Post mortem demum

hoc in casu deprehenditur, omnia intestina materia purulenta esse obducta, quæ è vasis sanguiferis expulsa atque illuc est deposita.

Methodus medendi hujus febris requirit:

1. Ut humores, quantum fieri potest, solvantur, atque attenuentur.
2. Enitendum est, ut irritabilitas partium solidarum imminuatur.
3. Opera est danda, ut transpiratio atque urina propellantur.

Ut his requisitis satisfiat, prima cura medici esse debet, ut massa sanguinis imminuatur, ut deinde restans eo facilius resolvi, atque attenuari possit, et generatim ut efficaciæ remediorum adhibendorum locum faciat, sequelisque eorum noxiis occurratur. Missio sanguinis proinde primum et princeps est remedium in hujus febris medendi ratione. Quæ vero vehementiæ febris, et viribus ægri debet esse conformis.

Nonnumquam sensationis ægroti, et pulsus ratione debilitas adesse, et venæsectioni contraindicare videtur. Quodsi autem constitutio corporis aliter bona, et robusta est, quodsi nullæ imprimis debilitantes causæ sunt prægressæ, et constitutio epidemica est indolis inflammatoriæ, tunc credere possumus, quod vires non revera desint, sed tantum sint sup-

pressæ, atque hoc in casu venæsectio elevat pulsum, et vires.

Omnibus reliquis requisitis potus duntaxat decocti avenacei cum oxymelle simplici permixti sufficiens sæpe respondet, quo humores attenuantur, corpus refrigeratur, transpiratioque promovetur. Victus debet esse tenuis, aer purus, et calor tam aeris, quam cubiculi ægroti quam temperatissimus.

Ubi hoc non sufficit, nitrum quotidie à drachmis duabus ad unciam unam in auxilium adhibetur, quod in potu solvitur, atque in forma diluta propinatur. *Mixtura temperans ex Nitro, oxymelle simplici, et aqua borraginis, vel alterius utilissima est.*

Quod si autem irritatio sit nimia, nec cutis facile reddatur humida, simulque congestiones versus caput observentur, requiritur num adhuc missio sanguinis iteranda. Quod si pulsus adhuc valde plenus, fortis, et durus est, vena iterum aperitur, ac mixtura diaphoretica (*ex nitro antimoniato, spiritu Mindereri, aqua sambuci*) exhibetur. Si neque per hoc diaphoresis benigna efficit possit, his remediis camphora quotidie ad grana aliquot additur, fomentationesque calidæ circa extremitates, et truncum fiunt.

Quod si denique neque hac ratione pulsus fiat mollis, nec ullus sequatur sudor,

vesicatoria ad suras applicantur, atque ita aut natura febris immutatur, aliamque penitus requirit curationem; aut suppuratio oritur universalis, aut evacuationes criticæ, et cum illis sanitas subsequuntur.

Opera dedita hoc de morbo ætiologicè prius agere nolui, quam rationem ejus medendi indicassem, quoniam ex hac sæpe plurimum de causarum natura colligi potest.

Quæritur scilicet, num causa hujus febris nimia humorum spissitudo sit. Hoc cum quadam veri specie è crusta sanguinis inflammatoria, secretionibusque suppresis deducere voluerunt. Quod si interim consideres secretiones æque per irritationem posse supprimi, sanguinem, quandiu is in corpore hospitatur, nulla inertiæ vestigia ostendere, neque generatim circulationem sanguinis impeditam esse videri, phoenomenon crustæ sæpe à circunstantiis accidentalibus pendere, sæpe eam deesse, et semper fere in morbi vigore animadverti, et frequenter non tantum in sanis, sed etiam in aliis morbis deprehendi, qui methodo antiflogisticæ toto cœlo oppositam requirant medendi rationem, plurimum hæc opinio de verisimilitudine sua, quam prima fronte habere videbatur, amittit.

Ut experimenta recentiora taceam, secundum quæ crusta inde plane oriri di-

citur, quod sanguis nimium sit tenuis, atque hinc globuli sanguinei eo citius fundum petant, lymphamque coagulabilem in superficie relinquant. Crustam inflammatoriam è lympha coagulabili constare, quæ in febribus inflammatoriis majori in copia adesse videtur, atque à cruore, et sero separata in aere coalescit, per experimenta recentiora evictum est. Hæc lympha tamen semper causa febris potest esse, quum ea potius ut ejusdem sequela paullatim nascatur, atque in corpore ipso quam maxima gaudeat fluiditate.

Semper quoque hanc sanguinis constitutionem inflammatoriam observaremus, quod si ea sequela spissitudinis ejusdem esset, in talibus subjectis, quæ frequentibus tenuiorum humorum spissitudinibus laborant, quod tamen experientiæ non respondet.

Causa hujus febris igitur verisimiliter in acrimonia humorum peculiari est sita, quæ stimulo suo circulationem sanguinis adauget, secretiones moratur atque earum loco majori lymphæ coagulabilis secretioni ansam præbet, unde iterum, iterumque fit credibile, hanc acrimoniam sedem suam in systemate vasorum lymphaticorum habere, aut certe in primis in illud agere.

Ceterum hæc febris tam sincera, sicuti eam hoc loco descripsi, rarissime con-

tingit. Plerumque ea plus minusve ad febrem biliosam accedit. Frequentissime ea existit in nexu cum inflammationibus topicis, rheumatismis, catarrhis, dysenteriis, exanthematibus.

FEBRIS PUTRIDA.

Hæc febris ab auctoribus nuncupatur *synochus putris*, à recentioribus plerumque *synochus putrida*; à quibusdam ea febris *maligna* quamvis perperam salutatur. Plurimi auctorum febres cum impuritatibus putridis in primis viis, resolutione sanguinis putrida, vehementi intemperie in systemate nervoso stipatas combinant, et febrem vocant putridam. Hic nunc de ea tantum febre est sermo, in qua putredo in secundis viis generatur, cui tamen minime colluvies primarum viarum occasionem dedit, aut saltem nunc jam non ab ea pendet.

Hæc febris facillime nascitur, ubi partes solidæ nimium sunt debilitatæ, humoresque sunt acres, et resoluti. Exhalationes putridæ tempestate existente calida et sicca, victu animali pravo, eam crebro producunt. Dantur etiam contagia resolutionem humorum putrilaginosam dispositione corporis præsenti, parientia.

Denique methodo medendi minus recta ea sequela alterius febris esse potest (*a*).

Hac febri fastigium suum pertingente, pulsus est celer, et spasmodico-durus, calorque tam ingens, ut is contingentibus mordens esse videatur; lingua est pura, sed in siccitatem prona; sanguis forte è vena missus non facile coalescit, sæpe cuticula variis coloribus ludente est tectus, humores excreti odorem emittunt acido-cadaverosum, facile hæmorrhagiæ symptomaticæ, et petechiæ nascuntur. Postre-

(*a*) Febrem istam præcedere solent temulentia capitis, anorexia, os insipidum, amarum, præcordiorum oppressio dolores vagi artuum, somni turbati, gravitas totius corporis, morositas.

Coortus intensior calor, aut horror validior auctis ceteris, præsentem febrim docent ad speciem subinde mitem, pulsu debili, simulque accelerato, functionibus tamen reliquis multum læsis. Quandoque pulsus ab initio plenus, et validus est ita ut febris inflammatoria videatur.

Magna artis peritia hic requiritur ad venæsectionem imperandam, statim enim debilitas insolita, insignis animi abjectio . . sequuntur.

In augmento calor ad tactum mordax, cutis sicca, imperspirabilis, præcordiorum opresio major, subsultus tendinum, oculi rubicundi non à distensione vasorum inflammatoria, sed sæpe à lympha sanguine dissoluto tincta: alias oculi flavi sunt non à bile resorpta ut in ictero, sed ab eadem sanguinis dissolutione.

mo oculi ofuscantur, reddunturque impuri, lingua fit nigra et dura, pulsus et vires labascunt, symptomata oriuntur nervosa, et non multo post sequitur mors.

Causa hujus febris proxima acrimonia humorum ad resolutionem putrilaginosam disponens esse videtur, quæ autem à scorbutica essentialiter differt.

Ea plerumque per sudorem, et urinam solvitur. Petechiæ rarissime sunt criticæ, in primis si illæ non sunt rubræ, sed lividæ, ubi illæ magis resolutionem humorum universalem indicant. Quamprimum pulsus atque vires labascunt, status est periculosissimus.

Quum causa hujus febris proxima in ipso sanguine sita sit, non magis hic evacuantia locum habent, quam in febri prius dicta inflammatoria continenti. Casus etiam ipse, quod in hac febre diarrhœa critica locum habere possit, non nobis jus dat ad eam arte producendam, quandoquidem hac in febre præsertim conservatio virium præ oculis sit habenda.

Missio sanguinis etiam initio tantum febris locum habet, et quidem solummodo ubi plethora adest manifesta.

Emetica principio possunt esse utilia, partim ad cruditates tollendas, partim ad impetum versus cutim promovendum. Nonnumquam hoc natura facit ipsa præsertim ubi contagium evenit.

Initio diaphoretica duntaxat lenia acidula propinanda sunt. Quem in finem oxymel sæpe sufficit. Ratio autem ad contagium suspicandum adest, quod nervos facile invadere posset, emetico adhibito subito enitendum est, ut transpiratio per camphorata conservetur.

In febris vigore acida exhibenda sunt mineralia (*a*), et simul enitendum, ut diaphoresis semper conservetur.

Quamprimum observatur pulsum, et vires labascere, ante meridiem cortex peruvianus cum vino præbetur, post meridiem exhibentur alexipharmaca, inter quæ in primis valeriana, atque angelica insignia sunt (*b*).

Vesicatoria non prius, quam hoc in ultimo morbi stadio locum habent, quia illa irritatione sua utilia esse possunt, quæ in primo stadio adhuc evitanda erant, ubi ista simul proclivitatem ad resolutionem augent, quod quidem etiam in ultimo sta-

(*a*) Præter ista actu frigida, glacies, posca frigida forma potus, lotionis, epithematis.. Hæc, et aer frigidus in febribus putridis æstivis cum æstu magno, delirio feroci sine inflammatione mire componuntur, mentem restituuntur, diras cephalalgias sedant.

(*b*) Potio alexipharmaca *ex angelica, valeriana, floribus sambuci.. decoctis, additis camphora, spiritu Mindereri* (acetite ammoniacali) valde proderit.

dio contingit, tamen propter vim irritantem superantem minus est noxium.

Ceterum evenit hæc febris, uti inflammatoria, cum aliis præcipuis atque eminentibus symptomatibus, quæ postea tamquam genera singularia in medium proferam.

DE FEBRIBUS REMITTENTIBUS.

Auctores has febres quoque vocant *synochas*, seu *febres continuas remittentes*. Illæ remissionibus, atque exacerbationibus gaudent. Priores post evacuationes quasdam criticas nascuntur, et posteriores subinde rursus cum frigore, subinde statim cum calore aucto incipiunt. Hæ exacerbationes nonnumquam sunt typicæ, sed non semper, quamvis eæ semper sint regulares, atque aut quotidie, aut tertio, aut quarto die fiunt. Quædam inter febres acutas, aliæ inter febres lentas referuntur. Nobis hic tantum de febribus prioris generis sermo est.

Causa hujus febris non in ipso sanguine prognata, sed è primis viis illuc delata esse videtur. Suspicio, quæ è phænomenis et methodo medendi confirmatur. Ex hac ratione à variis scriptoribus illæ etiam *febres gastricæ* sunt appellatæ.

Quo magis materia morbi in primis

viis contenta humoribus admiscetur, eo magis remissiones, atque exacerbationes fiunt incertæ, et febres tum indolis continuæ esse videntur. Hic casus in ultimis febrium putrido-biliosarum stadiis, ubi initio remedia evacuantia neglecta fuere, obtinet.

In his febribus observatur in primis viis aut colluvies *biliosarum*, aut abundantia *mucosarum* impuritatum, atque hoc in respectu quoque has febres consideremus.

DE FEBRIBUS BILIOSIS.

Omnes febres remittentes, in quibus (*polycholia*) abundantia bilis, tamquam perpetuum atque essentiale symptoma observatur, appellantur *febres biliosæ*. Hæc bilis abundantia pro sedis illius differentia duplici modo sese prodit. Bilis per varias causas humoribus nostri corporis immisceri potest, sine effusione in intestinis.

Quo in casu ea, lingua pura existente, per gustum amarum, per urinam rubicundo-flavam, per serum ex vena missi sanguinis flavum, atque amarum, et interdum per colorem cutis flavum, sese prodit.

Colluvies impuritatum biliosarum in

intestinis sese prodit per gustum amarum, per linguam muco flavo obductam, defectum appetitus, urinam crassam et turbidam, atque excretionem alvinam præternaturalem. In utroque casu oriuntur symptomata nervosa, neque inflammationi veræ, neque putredini, neque debilitati adscribenda.

Hæc acrimonia biliosa, dispositione existente cholerica, facile nascitur post motus animi prægressos. At in primis miasmata, et contagia varia in bilem ejusque organa secretoria agere videntur, sicuti omne id, quod spasmum in abdominis visceribus producit, ad causas febrium biliosarum occasionales pertinet.

Certum est, has febres haud alia ratione, quam bile corrupta evacuata, tolli; dubium tamen esse videtur, utrum hæc bilis effectus potius, an causa febris sit. Uterque casus verisimilis est, quod vero in curatione nihil mutat. Adest forsitan causa tertia, quæ tamen haud alia ratione, quam etiamsi non per sublatam bilem, sed post eam evacuatam à natura superari potest.

Curatione existente apta, non semper hæ febres sunt periculosæ. Quod autem illæ non rite cognoscuntur, facile malignæ fieri possunt. Crisis præcipuè per vomitum, et dejectiones alvi contingit. Quemadmodum in aliis febribus crisi im-

minente materia appellatur cocta, ita hic dicitur ea *turgescere* hoc est; in ventriculo atque intestinis deposita mobilis evacuationique apta esse. Hæc *turgescentia* proinde aut fit versus superiora, aut versus inferiora.

Materiam versus superiora turgescere cognoscitur, si mucus super lingua incipit solvi, minusque firmiter adhærescere; anima fit olida, nausea, inclinatio in vomitum oritur; in scrobiculo cordis sensus præssionis; extremitates algent; cephalalgia, tinnitus aurium, vertigo atque anxietates oriuntur.

Turgescentia versus inferiora se prodit per gravitatem in lumbis et genubus, per distensionem abdominis, flatus, et dolores abdominis, moliminaque ad dejectiones alvinas.

Methodus medendi instituitur hic è naturæ præscripto. Enitimur materiam ex humoribus ad primas vias ducere, ac turgescentem reddere, et tum promovemus ejusdem evacuationem. Prius fit per remedia resolventia, antispasmodica, atque attenuantia. Sal mirabile, atque oxymel simplex, atque emetica in tam parvis dosibus, ut ea nullum excitent vomitum, sunt hunc in finem utilissima. *Mixtura solvens ex sale mirabili Glauberi, nitro depurato, oxymelle simplici, in aqua solutis adita vini emetici dosi modica huic usui apta erit.*

In spasmis pertinacibus, quibus bilis in sanguinem ducitur, dantur sensim sensimque opiata lenia, quæ semper cum remediis derivantibus conjungi debent. Quamprimum signa turgescentiæ comparent, exhibetur aut emeticum, aut ducitur alvus per pulpam tamarindorum, aut per cremorem tartari, prouti natura, et circunstantiæ requirunt. Potio laxans *ex pulpa tamarindorum*, *manna*.. vel *cremore tartari*, *et manna in aqua ferventi solutis*, utiles valde erunt.

Febres biliosæ in systemate naturali conficiunt genus, quod ex duabus constat speciebus, pro indole humorum cum ea conjunctorum. Sunt scilicet illæ qualitatis vel *inflammatoriæ*, vel *putridæ*.

FEBRIS BILIOSA INFLAMMATORIA.

Hæ febres plerumque tempore verno epidemice grassantur, quamvis eæ sæpe sporadicè etiam occurrant. Per signa diatheseos phlogisticæ, et colluviei biliosæ sese produnt, atque ex hac ratione pejores sunt hæ quam illæ, in quibus aut sola adest indoles sanguinis inflammatoria, aut sola corruptio bilis, sine insigni mutatione, atque cooperatione sanguinis.

Methodus igitur eas medendi ex utraque est composita.

Primum, quod suscipiendum est, est missio sanguinis, tam propter constitutionem inflammatoriam, quam etiam, ut hoc ipso materia ad turgescentiam aptior reddatur, atque obex ponatur, ne remedia resolventia atque evacuantia, aut inflammationibus aut congestionibus ansam præbeant. Mox adhibentur medicamina jam laudata resolventia, atque attenuantia, tum evacuantia, ac denique diaphoretica lenia.

FEBRIS BILIOSA PUTRIDA.

Hæc febris ab auctoribus maxime confunditur, et modo febris continens putrida, modo febris maligna, modo utraque, una eademque species febris vocatur. Sed distinguitur à priori per colluviem biliosam, atque á posteriori, quod symptomata nervosa plerumque ex irritatione acrimoniæ biliosæ nascantur, et cum evacuatione ejusdem tollantur. Tempore æstivo atque autumnali fere oritur, præsertim si exhalationes putridæ aere calido, humido, aut etiam, miasma vel contagium singulare in corpus agant.

Hic signa *bilis* et *putredinis* deprehenduntur, hincque febris est periculosior febri inflammatoria biliosa. Missio sanguinis raro hic aut numquam habet locum, nisi

magna adesset plethora, nec putredo adhuc nimium esset extimescenda, quod vero tantum prioribus diebus locum habere potest.

Ut resolventia atque evacuantia adhibentur hic acida vegetabilia, in primis pulpa tamarindorum aut cremor tartari. (*Potio laxans supra posita* pag. 469. *utilis.*) Acida mineralia initio supprimirent resolutionem, atque evacuationem. In ultima morbi periodo tamen omnino locum habent.

Vesicatoria tum demum applicari possunt, quod si propter nimiam evacuationem inflammatio intestinorum est extimescenda, aut etiam intestina nimium sunt laxa. In utroque casu ea utiliter abdomini imponuntur.

Evacuatione peracta, enitimur transpirationem per camphorata promovere.

In ultima morbi periodo, ubi nulla amplius institui potest evacuatio, agitur ut in febri continenti putrida.

DE FEBRIBUS PITUITOSIS.

Hæ febres discernuntur à prioribus, quod non tam *colluvies biliosa*, quam *pituitosa* in primis viis, et semper fere proclivitas humorum ad putredinem, aut

etiam debilitas systematis nervosi singularis observetur.

Inter auctores *Sarcone* priorem speciem in primis bene et proprie primum constituit. Ubi non tam resolutio humorum, quam potius debilitas nervorum adest, febris à quibusdam lenta nervosa nuncupatur. Ubi autem pituita tam manifesta est ut hic, hoc nomen est inane. In febri, quæ proprie nomen febris lentæ nervosæ meretur, constitutio pituitosa quidem etiam adesse potest, ea autem minime, uti hic, essentiam febris principem constituit.

Non enim tantum liquores gastrici, sed etiam sanguis ipse in febri pituitosa tantopere scatet pituita, ut vel vesicatoria ipsa gluten secernant, omniaque viscera post mortem pituita fuerint obducta reperta. Ea in aere frigido atque humido, diæta minus salubri, atque caritate annonæ oritur.

Lingua muco viscido est obducta. Cruor sanguinis è vena missi est resolutus atque cuticula tenaci mucosa obductus. Urina est tenuis, et pellucida, febris non magna, et pulsus debilis, atque intermittens.

Hæ febres multo sunt periculosiores, quam febres reliquæ putridæ, quia hic activitas naturæ deficit.

Missio sanguinis fere locum non habet.

Ad resolutionem pituitæ neque satis temporis, neque auxilii quidquam à natura habetur, statim proinde cum evacuatione incipiendum est, quæ optime fit per vomitum. Ubi hoc contraindicatur, rhabarbarina cum sale ammoniaco sunt adhibenda, quia priora non debilitant, sed è contrario augent tonum, et posterius non tantum est remedium resolvens, sed simul etiam antisepticum. Mixtura resolvens, addito si necesse sit sale ammoniaco, proderit. Vid. pag. 468.

Vesicatoria ad vires naturæ stimulandas sunt necessaria.

Quamprimum redundantia muci est sublata, enitendum est, ut transpiratio per alexipharmaca promoveatur. Potio alexipharmaca pag 464. posita, hic confert.

Præterea victus aliquantum nutriens et roborans ordinatur, juscula carnis cum acido citri, et vino præbentur (*a*).

(*a*) Num ad istas febres pituitosas referendæ febris quotidiana veterum, latica Avicenæ; mesenterica Baglivii, et Hoffmnani, lymphatica, rheumatica, et catarrhalis recentiorum? Ita videtur. *Catarrhalis* enim dicitur pituitosa febris dum coryza, raucedo, tussis.. vexant: *rheumatica* si dolores adsunt, *lymphatica* si hi, et illa desunt, *mesenterica*, si in hac parte fomes adsit, quem dolor præsertim capitis et extremorum refrigeratio ostendunt, *latica*, quoniam mitis, et obscura ferè, et *quotidiana* seu amphi-

DE FEBRIBUS IRREGULARIBUS.

Hæc febrium classis, ut nos eam hic accipimus, non omnes complectitur febres, quæ ab auctoribus febres erraticæ appellantur. Nos intelligimus sub hac tales, in quibus remissiones atque exacerbationes admodum sunt obscuræ, atque irregulares, nec ullum servant typum, eoque minus faciunt intermissiones.

merina ob quotidianas accessiones, et remissiones, licet inconspicuas admodum, seu quod die non noctu incipiant, et usque in finem in illa prosequantur. Vid. pag. 436.

Omnes istæ Febres temperiei pituitosæ, alimentis crudis, et humidis onustis communes sunt, tempore frigido, et humido post calidum et siccum grassantur. Tunc enim transpiratio nedum externa, sed etiam pulmonalis impeditur, quo fit ut in exteriori corporis involucro obstructiones catarrhales, et pituitosæ accumulantur; etiamque salivæ secretioni destinatæ glandulæ faucium, palati, tonsilarum; narium pituitaria membrana, lymphatici ductus pharyngis, laryngis, asperæ arteriæ ad ultimas usque pulmonum vesiculas exporrecti easdem pituitosas obstructiones patiuntur, unde nedum febris, v. gr. catarrhalis, cum gravedine, coryza, raucedine tussi varia; sed anginæ diversæ etiam, peripneumoniæ spuriæ . . facile produci possunt. Hinc maxima cura in his vicisitudinibus præcaven-

Quo ipso omnes jam febres intermittentes irregulares ex hac classe excludimus. Præterea hæ febres ab omnibus reliquis in eo distinguuntur, quod in his debilitas atque irritabilitas systematis nervosi singularis observetur, et quod phœnomena neque inter se, neque cum causis sese manifestantibus consentiant.

Ægri sunt aut longe timidi, et parvi animi, mutationibusque morbi ipsius minutissimis mortem metuunt aut credunt, se in statu periculosissimo male non habere. Dormire non possunt, tametsi neque doloribus, neque calore gaudent. Pulsus prouti circunstantiæ est aut nimis bonus, aut nimis malus. Siti lingua in sicca non gaudent, aut ore humido permul-

dis, earumque perniciosis effectibus curandis exequenda. Venæsectio anceps; purgantia valida maxime circa morbi initium fugienda. Aer frigidus et humidus vitandus. Sudorifera, et alexipharmaca calidiora inflammationes, catarrhos suffocativos, febres lentas, et hecticas . . producunt.

Febres istæ omnes pituitosæ, in pituitosis subjectis in nervosas, et malignas facile commutari queunt. De febre catarrhali maligna cum vel sine exanthematibus apparente ample et utiliter agunt Ellerus, et Ludwigius, qui à tironibus consulendi.

Doctrina proposita super malignitate, statu, et febribus nervosis huc aducenda.

tum bibunt. Remedia verisimiliter indicata inverso agunt modo. Signa criseos ante coctionem prodeunt, et sic porro.

Quodsi nomen febris malignæ retinendum (*a*) foret, hæ febres, propter indolem suam occultam, periculumque præcipue

(*a*) Febris malignæ nomen retinendum, quia revera *febres aliquæ essentialiter malignæ* sunt. Vid. *Malignitas febrilis* pag. 437. *Quæ de morbis prædicatur malignitas* (ait Gaubius) *quamquam haud raro ignorantiæ asylum, erroribusque medentium operculum præstat, cum tamen reapse detur omnino considerari debet.* Pathol. §. 876. et 877. qui omnino consulendi ad *veram* malignitatem dignoscendam, et ad vitandam turpitudinem quæ occasionem dedit Sidenhamo ad asserendum inventionem pulveris pirii multo minus *falsa* periculosam esse. Doctrinæ locis citatis propositæ pro tironibus addendum malignam causam humores particulariter inflammare, putrefacere, convulsiones producere, aliquando sanguinem, aliosque humores coagulare, quandoque disolvere. Ista diversitas facile soporibus, vel deliriis, aliisque symptomatibus similimis. animadvertitur, indicationesque curatoriæ ultro se offerunt. In genere notandum venæsectiones tantum in principio sub particularibus circunstantiis, et semper parca dosi posse convenire. Notandum etiam alexipharmaca, seu venenum extrudentia credita minime incendiaria, et violenta debere esse, sed mitia et congrua. Aquæ theriacalis et cordialis temperatæ ex Pharmacop. Matrit. radices chinæ, contrajerbæ, serpentariæ virginianæ. . . in decocto pro usu communi. .

malignæ appellari mererentur. Aptius, et significantius appellamus eas *febres nervosas.*

Causa princeps sita est aut in miasmate singulariter acri, contagioso, quod in primis in systema agit nervosum, aut in tanta debilitate, atque irritabilitate nervorum, ut etiam parvæ atque inobservabiles causæ talem febrem producere queant. Diathesis inflammatoria, putredo, sordes biliosæ et mucosæ quidem eodem tempore adesse possunt, sed eæ in se non continent rationem morbi sufficientem, quoniam sublatio harum causarum febrem non tollit, sæpe non mitigat, atque haud raro pejorem reddit.

In his febribus omnia à viribus dependent, quæ igitur in methodo medendi tanto, quanto fieri potest, sunt parcendæ. Quo magis symptomata solummodo è debilitate, et minime ex efficacitate febris oriuntur, eo magis morbus nomen febris *lentæ* meretur.

Pro diversitate causarum indicatarum distinguitur ea in *febrem nervosam acutam*, et *lentam.*

Bezoardicum animale, camphora, vinum .. præcipua sunt, et innocua alexipharmaca, debitis tamen cautelis exhibenda. Aeris renovatio optima, necessaria.

FEBRIS NERVOSA ACUTA.

Hæc febris plerumque aut cum proclivitate ad somnum, aut omnino cum insomnio incipit, atque in remissione observatur singularis animi dejectio, aut etiam intempestiva alacritas. Pulsus est parvus, duriusculus, atque inæqualis. Lingua est alba, sicca, aspera et tremula. Inclinatio adest ad vomitum, sine signis materiæ turgescentis. Vomitus bilis viridis aut atræ, conatus adest mingendi. Urina aut est nimis crassa, fusca et fœtida, aut nimium clara et tenuis. Oculi sunt rigidi aut nitentes aut insolute acuti. Facile oriuntur deliria et convulsiones. In primis hujus febris indoles ex jam supra constituta symptomatum contradictione cognoscitur.

Causa hujus febris semper fere est contagium, quamvis nonnumquam etiam sporadicæ occurrant.

Illæ sunt quam periculosissimæ, atque in methodo medendi maximam requirunt attentionem.

Statim in initio omnia illa sunt evitanda, quæ quoquo modo vires debilitare possunt. Missio sanguinis à principio in corporibus duntaxat summe plethoricis, atque huic evacuationi admodum adsuetis,

in progressu morbi nunquam, locum habet.

Purgantia prorsus sunt evitanda, sed è contrario statim in initio emeticum est propinandum, non solum ad cruditates forte præsentes sordesque biliosas exturbandas, sed etiam ad effectus contagii minuendos, ad transpirationemque præparandam, quam statim per alexipharmaca promovere enittendum est. *Potio alexipharmaca hic etiam commendanda.* Vid. pag. 464.

Ad irritationem internam imminuendam, viresque intendendas neque vesicatoria sunt hic negligenda.

Ubi evacuationes sunt nimiæ, et tamen spasmus atque insomnium adsunt, usus opii cautus locum habet.

Ubi spasmus omnes impedit evacuationes, et cutis est sicca, balnea calida, aut ubi hoc fieri non potest, fomentationes circa extremitates prosunt.

In insigni virium prostratione inserviunt vinum et cortex peruvianus. Diæta aliquantum nutriens, et regimen aliquantum calidum esse possunt.

FEBRIS NERVOSA LENTA.

Ea in constitutione hysterica, atque hypochondriaca, post multas animi passiones, aliasque causas systema nervosum

debilitantes, antegressas, e. g. Onaniam, oritur. Statim ab initio in remissionibus dejectio animi singularis, defectus virium, pulsus parvus, irregularis observantur.

Calor ad tactum externum est naturalis, ad sensum ægroti ardens. Subinde sentit ægrotus in capite calorem, pedibus alget. Atque ita paullatim plura comparent symptomata, quæ fere omnia sibi invicem contradicunt. Denique subito delirium placidum oritur, quod fere cum somno soporoso, atque hic cum morte finitur apoplectica.

A febri nervosa acuta distinguitur ea per divisionem acuratissimam in duo stadia, quorum prius ex levibus, sed sibi mutuo contradicentibus, perque remedia consueta non superandis symptomatibus constat, atque sæpe ad diem 11. quin 15. trahitur. Stadium secundum plerumque uno dierum criticorum cum delirio, aut convulsionibus, deliquiis animi, paralysibus incipit; atque in utroque stadio insomnium plerunque est symptoma essentiale.

Causa hujus febris sita est in systemate nervoso debilitato, causa adhuc superaccedens irritans variæ indolis esse potest; ut plurimum ea est tam occulta, ut in curatione nulla ratio ejusdem haberi possit, quamvis etiam nonnunquam materia variolosa, rheumatica, aliæque acrimoniæ huic febri ansam præbere queant.

Crisis hujus febris sæpe est inobservabilis ; nonnunquam fit ea per sudorem; nonnunquam per exanthema miliare album ; nonnunquam sequitur metastasis in parotidem et fauces. Quod si hæc metastasis fit in pulmones, sequitur catarrhus suffocativus, atque aut mors, aut febris hectica. Est ea semper è periculosissimis.

Omnia pendent à diagnosi accurata, tractationeque prioris stadii apta, in quo quidem secundum omnes indicationes agendum, insimul vero enitendum est, ut viribus quam maxime parcatur. Sal lixiviosum acido citri saturatum cum tantillo aquæ benedictæ Rulandi mixtum, est hic maxime idoneum, quia illud materiam reddit mobilem, ad evacuationesque præparat.

Stadium secundum eodem plane pacto tractatur, ut febris nervosa acuta, præterquam quod hic remedia roborantia majori in copia exhibeantur. (*Potio alexipharmaca validior ex essentiis angelicæ, valerianæ, aceto bezoardico, liquore cornu cervi succinato, et vino prodesse poterit*) Vesicatoria mutentur in fonticulos, victusque permittatur animalis.

Quamprimum metastasis contigerit, succurrendum est cum remediis resolventibus, atque haud raro missione sanguinis. Febris nunc malignitatem suam amisit, atque accedit magis ad indolem inflamma-

toriam. Et sic in progressu unius ejusdem febris duo longè oppositæ medendi methodi locum habent (*a*).

Hucusque Selle. Hinc ex Franc. Home Principiis Medic. sequentia transcribuntur.

FEBRIS HECTICA, VEL MARASMUS.

Febris quæ leniori gradu procedit, vires debilitat, tabemque infert, hectica dicitur.

Distinguitur in hecticam idiopaticam,

(*a*) Febris ista nervosa sub nomine *Typhi* hodie significatur. Sauvagesius Cl. II. *Febres.* Ord. I. *continuæ.* Gen. IV. *Typhus.* Speties: (*Typhus* Hippocratis Lib. II. de Int. affect.) carcerum: nervosus: (febris nervosa Huxhami): comatosus: hysterico-verminosus: castrensis: ægiptiaca: icterodes: exhaustorum, à manipuera (succo jatropæ manioto venenato).

Cullenius Cl. I. *Pyrexiæ.* Gen. V. *Typhus* mitior, et *Typhus* gravior. Speties illius: febris lenta nervosa: febris contagiosa: febris maligna hectica: febris pestilens sine charactere veneni. Hujus: febris pestilens maligna: typhus carcerum, nosocomiorum, castrensis: febris catarrhalis maligna petechizans: febris putrida biliosa: febres malignæ, epidemicæ.. cum petechiis.. Typhus icterodes *cum flavedine cutis.*

De Typhis hysterico-verminosis: exhaustorum: à manpuera Sauvagesii ipsi aserit Cullenius non liquere.

et symptomaticam. Hecticæ symptomaticæ originem trahunt ab infarctionibus scirrhosis, et ulceribus omnium viscerum, sed præcipuè pulmonis, et mesenterii, quia prior aeris externi injuriis, et totius sanguinis pertranseuntis momento patet: posterior compressioni alimentorum in primis viis, viscido chylo, et leniori sanguinis per intestina motui pœnas dat. Harum descriptio et curatio ad Morbos, á quibus pendent releganda est.

An ulla datur hectica febris, quæ primario, et immediate ab aliqua sanguinis acrimonia provenit? Multas mihi certe contigit vidisse, ubi nullum viscus præ aliis per totum morbi decursum, laborabat. Neque fidem huic opinioni derogant viscerum obstructiones, quæ semper in cadaveribus inveniuntur. Effectus enim, æque ac causæ sunt febrium hecticarum.

Huic opinioni quoque favet contemplatio causarum remotarum, quæ hecticas inducunt; quales sunt animi pathemata immoderata, mæror diuturnus, ira, curæ, et vigiliæ, nimiæ evacuationes sanguinis, lactis, seminis, salivæ, puris, sudoris vel fœcis alvinæ; medicamenta nimis acria, uti mercuriales præparationes, purgantia acria; debilitas primarum viarum, qua chylus crudus, vel fermentatione inquinatus ad sanguinem defertur; morbi prægressi, uti intermittentes, variolæ, hy-

drops, scorbutus, scrophula: evacuationes cohibitæ; frequens inebriatio.

An hæc acrimonia est salinæ, et alkalescentis naturæ? Ita videtur à prægressis causis remotis, et medela, ubi succi mucilaginosi, et acida prossunt.

Symptomata eadem fere sunt, ac in Phthisi. Adsunt calor præternaturalis, perennis, et præssiccus, appetitus prostratus, pulsus debilis, parvus, et frequens, sed sumpto cibo fortior, et plenior, sitis; nullus ægritudinis sensus; urina rubra, et pelle pinguedinosa cooperta; ruborque genarum post pastum. Oculi nunc cavantur; venter contrahitur, cutis durescit, somnus non reficit; diarrhœa advenit, corpus contabescit, et mors lento gradu advenit.

A fluidis acribus et febre depascente oriuntur hæc symptomata.

Facillime dignoscitur ab omnibus aliis febribus lento suo progressu.

Curationem admittit si tempestive occurritur: sed quando vires maxime prosternuntur, crines defluunt, diarrhœa colliquativa, sudores nocturni, pedum tumor, urina oleaginosa, vel facies hippocratica superveniunt, actum est de ægro.

Huic sanguinis acrimoniæ obviam itur. 1. demulcentibus, et inviscantibus medicamentis, uti emulsionibus ex amygdalis dulcibus, decoctis, ex vegetabilibus

mucilaginosis, hordeo, althea, tussilagine &c. jusculis pullinis, gelatinis, et ostreis, si stomachus ferat. 2. dieta lactea, lacte præcipue asinino, vel muliebri, seroque lactis præcipue caprini. 3. corroborantibus, et leniter adstringentibus, uti conserva rosarum rubrarum, tinctura rosarum, elixiri vitriolico, cortice peruviano, aquis ferrugineis, &c. 4. equitatione continuata, et peregrinatione. 5. primas vias à sordibus liberando vomitu leni, et Rheo. 6. Attentione semper habita ad causas remotas, à quibus ortum duxit, videlicet inebriationem, evacuationes suppressas, materiam retropulsam, aliasque.

FEBRIS PURPURATA, VEL MILIARIS, ET SCARLATINA.

Febris purpurata vel miliaris nomen tenet à pustulis rubris, vel albis, seminis milii speciem præ se ferentibus. Antiquis Medicis plane incognita fuit (*a*): ducentis

(*a*) Daniel Willelmus Trillerus de hac ipsa febre, quæ non ducentum, ut ille Homius, sed centum tantum ab hinc annis ut iste Trillerus Lipsiæ primo sese monstravit Exercitationem scripsit: *de febre miliari . . priscis Medicis greeis haud incognita.* Opusc. Med. Tom. II. p. 326. Christ. Godofr. Gruner in libro inscripto:

abhinc annis Leipsiæ primo sese monstravit.

Distinguitur 1. in rubram, et albam; in priore pustulæ rubræ in posteriore albæ sunt 2. in Idiopaticam, et symptomaticam, sæpe enim conjungitur cum variolis, morbillis, et diversis febribus.

Adoritur laxos habitus, temperamenta phlegmatica; infantes et senes sæpius quam adultos; fœminas sæpius quam viros, et inter illas nobiliores, delicatas, fluore albo affectas, et sæpissime puerperas, quia humores in harum vasis uterinis stagnant et corrumpuntur, et multum sudant.

Causæ remotæ sunt animi pathemata relaxantia, qualia moeror, et solicitudo, magnæ evacuationes: vigiliæ, meditatio, vita otiosa; aer vapidus; æstas pluviosa; dieta nimis aquosa ex vegetabilibus, et dulcibus: aqua impura: alvus adstricta, sudores nimis protracti.

An causa proxima est nimia copia, lentescentia, et acrimonia tenuium humorum vasa subcutanea oppilantium? Hanc opinionem confirmant causæ prædisponentes, et remotæ, medela, et cadaverum sectio.

Morborum antiquitates Sect. II. §. 1. pag. 115. idem demonstrat.

De ista febre Hamiltonus, Allionus, Fischerus, Molinarius . . scripserunt.

Hisce symptomatibus stipatur febris miliaris. Præcedit frigus, et horror. Sequitur calor non admodum intensus: virium defectio, spirituum depressio: pulsus frequens, et debilis, respiratio oppressa, et suspiriosa, insomnium, læve delirium, lingua alba; urina naturalis, vel pallida, alvus adstricta, vel laxa; tremor manuum; remissio, et exacerbatio febris; vigiliæ; spirituum commotio; æstus in volis manuum; in puerperis lochiorum, et lactis supressio. Insueta punctio sub cute sentitur.

Huic succedit cutis asperitas, et innumeræ pustulæ albæ, vel rubræ, milii semen referentes, quæ sensim implentur ichore fœtido. Tunc mitigantur symptomata, pulsus plenior, et mollior fit; animo redit vigor; cutis madescit; sudor fœtidus erumpit: urina devenit colorata; evacuationes suppressæ redeunt; et pustulæ, post decursum plerumque septem dierum, arescunt, et desquamantur cum molesto pruritu.

A tenuiorum humorum nimia copia, et acrimonia facillime deducenda sunt hæc symptomata.

Distinguitur à morbillis crebro, et celeri pustularum retrocessione, pruritu molesto, odore fœtido, et ortu ab humoribus intus corruptis, et non à contagione, vel epidemica aeris constitutione.

Purpura rubra mitior est alba. Respi-

ratio facilis, pustulæ leni diaphoresi sese ostendenstes, remittente tunc febre, vel pulsu molliori, et ampliori, et multo sero plena, signa bona: sed corpus impurum, respiratio laboriosa, magna spirituum dejectio, sanguis dissolutus, stillæ sanguinis è naribus, eruptio pustularum tertio vel quarto die et sine levamine, mala. Si pustulæ omnino retrocedunt cum exacerbatione symptomatum, anxietate, dolore, convulsionibus, apoplexia, vel signis inflammationis internæ, actum est de ægro. In puerperis diarrhœa timenda est, quia lochiorum fluxum impedit.

Morbus ejusque curatio dividuntur in statum febrilem, et statum eruptionis. In statu febrili indicatio est, febrem in debito moderamine retinere. Huic intentioni conducunt vexicantia unum post alterum aplicata per totum morbi decursum, potus ex aqua pulli, animus tranquillus, calor lecti, et situs horizontalis. Venæ sectio rarò nisi urgente aliquo symptomate, vel pulsu duriusculo, prodest; sæpe nocet.

In statu eruptionis conducunt ad materiam morbificam gradatim expellendam, fotus ad artus adhibiti, et lenissima diaphoretica, evitatis sudorificis, et calefacientibus, frigoreque externo.

Si in longum trahatur morbus, si pus tenue et saniosum, si pulsus debilis, si

morbus remissiones, et exacerbationes habet, Cortex peruvianus adminisrrandus est.

In morbi declinatione, si pustulæ exiguæ, neque materiam morbificam continere valeant, tunc per intestina laxantibus leniter educenda est materia superflua.

Ad retrocessum pustularum, cucurbitulæ cum scarificatione, et hirudines venis temporalibus, si pulsus durus, fotus, vesicatoria, potus calidiusculus, et subacidus, calor lecti; mens hilaris, et redeunte madore mitia diaphoretica.

In morbo complicato cum puerperio, vel aliis febribus, curationis ratio pendet ex prudenti utriusque consideratione; eo itur quo symptomata magis urgent.

Prophylaxis nititur aere puro, sicco, et calidiori; cute bene perspirabili: alvo aperta, victu subacido, attenuantibus, et exercitio.

Præcedenti persimilis est febris à colore *scarlatina* dicta; ubi maculæ amplæ rubræ supra cutem non elevatæ, hinc inde apparent cum calore, ariditate, sensibilitate, pruritu cutis, et febre acuta. Elapsis tribus vel quatuor vel quinque diebus, maculæ disparent, et cutis desquamatur. Curatur venæ sectione, laxantibus, et potionibus diluentibus.

ERYSIPELAS.

Erysipelas, vel *ignis sacer*, vel *rosa* vel *ignis Sancti Antonii* est inflammatio in summa cute, et pinguedine, late serpens, cum dolore, calore, et rubore.

Distinguitur. 1. erysipelas cum pustulis, et sine iis 2. In ulceratum, vel non ulceratum. 3. In idiopoticum, et symptomaticum. 4. secundum partes affectas.

Ad hunc morbum dispositi sunt plethorici, sanguinei, juvenes, feminæ gravidæ, scorbutici, cacochymici; à parentibus huic obnoxiis progeniti, et hoc malum semel passi. Ab ano trigessimo ad quadragesimum præcipue infestat.

Causæ remotæ sunt animi affectus violenti, ira in primis, et terror; subitum refrigerium corporis à calore solis antea calefacti: liquores fermentati; potiones, et balnea nimis calida, evacuationes naturales vel artificiales suppressæ, vel omissæ; aer humidus, et pluviosus; perspiratio quocumque modo impedita.

An causæ proximæ sunt acres, et causticæ particulæ, non à corrupta bile, uti vulgo putatur, sed ab humoribus, qui secerni debent, retentis, et corrumpentibus, provenientes? Hanc opinionem confirmant causæ prædisponentes, et remotæ, symptomataque.

Sedes hujus morbi primaria est cutis,

et subjacens pinguedo, uti docet cadaverum inspectio.

Invadit Erysipelas horrore; insequente febrili calore; siti, inquietudine, pulsu frequenti, sanguine plerumque crusta cooperto, virium prostratione; dorsi capitisque dolore: vomitu, delirio, anxietate: corporis jactatione; comate; vigiliis. Secundo, tertio, vel quarto die, cutis intumescit cum dolore, et rubore, et tumor superintegitur denso pustularum agmine, quæ in vesiculas, tenuem humorem continentes, elevantur, febre interim recedente. Serpit tumor, infestat sæpe extremitates, abdomen, mammas, et glandulas axillares, sed sæpissime faciem, ubi oculi clauduntur, nares, et fauces siccescunt, et sopor conjungitur. Si morbus terminatur resolutione, tumor sensim subsidit, ardor, et dolor evanescunt, color roseus in flavum mutatur; et cuticula in squamas fatiscens secedit. Si in suppurationem abeat, ulcera mali moris vix sanabilia producuntur.

Hæc symptomata facillime deduci possunt à tenui, et acerrimo humore.

Tumor Erysipelatis depressus late sese diffundens, et albicans post compressionem, satis distinguitur à phlegmone, ubi inflammatio profundior, et color post tactum non recedit. A peste discrepat, quamvis in multis persimili erysipelas, quia

neque contagio oritur, neque contagiosum est, neque tanto stipatur periculo.

In levioribus hujus morbi speciebus non magnum adest periculum; sed si gravior inflammatio corpus cacochimicum corripiat cum perpetuo comate, vel delirio, in angusto spes est. Erysipelas retrocedens, vel retropulsum, deliria, inflammationes internas, asthma, spasmos, et gangrenam inducit. Si tumor livescat, gangrena prope adest. Quo crassius, et albidius pus, eo minus; quo tenuius, et pallidius eo majus periculum.

Indicatio curativa postulat febris mitigationem, ut promoveatur separatio humorum morbosorum à sanis; exclusionem totalem materiæ morbificæ; et quo minus serpat, ejus expulsionem è corpore.

Febris mitigatur venæsectione pulsu æstimanda. Exclusio perficitur potionibus diluentibus, demulcentibus, et medicamentis diaphoreticis. Expulsio materiæ, quando caput occupat, vel longius in vicinas partes serpit, optime perficitur lenissimis laxantibus, et emplastris epispasticis in vicinio applicatis.

Convenit dieta infirmissimæ materiæ; evitatis, ni pulsus deficiat, medicamentis internis calefacientibus.

Farina fœnugræci vel tritici supra partem inspersa, et calor lecti tepidus est optima applicatio externa: nocent enim om-

nia repellentia, aquosa, et oleosa. Si adsint gangrenæ signa, fomentationes spirituosæ, cataplasmata ex medicamentis calorem excitantibus, et cortex peruvianus conducunt. Vinum in hoc morbi statu non alienum est.

Est erysipelatis certa species, quæ, quia corpus circiter umbilicum instar cinguli cingit, *zona*, vel *zoster* appellatur. Stipatur diversis tumoribus obsitis pustulis urentibus valde dolentibus, hinc inde sese monstrantibus. Curatur uti prior morbus.

Est et alia species à Sydenhamo descripta, quam ipse, durante constitutione variolosa, quoque vidi. Superveniebat febri, tertio vel quarto die eruptio pustularum (*a*) erysipelacearum, quæ humorem flavescentem continebant, febrem mitiga-

(*a*) Alia quandoque licet raro pustularum eruptio observatur, quæ febrim *pemphingos* bullosam, ampullosam constituunt. Hippocrates Lib. VI. Epid. Sect. I. de illa loquitur dum ait: *aliæ* (febres) *inflatæ horrendi aspectus*. Vid. Valles in hunc locum: Gaspar. à Reyes Campus eliseus.. Quæst. 68. ubi de variis febrium appelationibus haud obviis utiliter, ac erudite tractat.

In Actis Academiæ Regiæ Med. Pract. Barcinon. hujus febris observatio extat lectu digna. Tom. I. pag. 278.

bant, et post quatuor dies disparebant. Facillime venæsectione, et purgantibus cessit. *Hucusque Home. Hinc Editor.*

Vid. Not. ad Aph. 593.

HEMITRITÆOS SEU SEMITERTIANA.

Ita vocatur febris composita, quæ ex quotidiana continua, et tertiana intermittenti consociatur.

Tempestas frigida et humida: viri, senesque potius quam feminæ et pueri febri isti sunt expositi, illi viri præsertim qui hypocondriaci, calida, et debilia viscera naturalia habentes, crudis, crassis, acribus, multisque cibis replentur; ita ut bilem atque pituitam redundantes habeant in hanc febrium complicationem maxime proclives sunt.

Continua certe febris ista est, ita ut in apyrexiam non deveniat: singulis tamen diebus accesiones habet tertio quoque die sibi respondentes, in imparibus istis notabiliter fortiores.

Horrore, rigore totius corporis, frigore, pedum præsertim circa meridiem incipiunt istæ: insequitur calor acris; pulsus parum celer, sed inæqualis; dolor capitis, somnus profundus cum delirio leviusculo: lingua alba, humida, sitis mo-

dica : urina rubicunda cum sedimento subalbo et crasso : corpus iners , ponderosum, et quasi fustibus dedolatum. Ista omnia in accesione secundæ diei mitiora sunt , in accesione tertiæ validiora , et alternatim ita porro.

Symptomata quæ specialiter in ista febri observantur sunt frigus , rigor , aut saltem horror accesionem totam alternatim comitantia , ita ut *horrificæ* ab Hippocrate vere dicantur istæ febres.

Crescente morbo delirium cum comate augescit , facies immutatur , inflatur, lingua siccior , sitis tamen non valde magna , respiratio difficilior , virium impotentia major . . quæ omnia si mors est inevitabilis non minuuntur ; sed potius idemtidem increscunt , et comatosi , delirantes, suffocati circa decimum quartum , vel vigesimum diem pereunt.

Si viribus naturæ , et artis circa diem decimum quartum accessiones duratione, et intensitate minuuntur , somnus reficit, lingua humidior , vires augentur . . sperandum febrem istam urinis abundantibus, diarrhœa copiosa , vel transmutatione in intermittentem puram solitariam feliciter finiendam fore.

Causam hujus febris bilem atque pituitam incusaverunt antiqui Hippocrate præeunte. Has ipsas causas fatentur esse Vogelius , et Piquerius. Ille malignitatis

notas manifestas ubique ostendere, fomitemque suum ex ingenti colluvie pituitosa, atque biliosa trahere asseverat, (Acad. Prælect. tom. 1. pag. 69.) Iste ex pituita et bile certo modo alteratis atque corruptis ad frigus maximum horroremque in initiis, atque decursu accesionum producenda. (*Tratado de Calenturas.* p. 229.)

Communior est quam creditur ista febris complicata, obscura tamen, et periculi plenissima, ex Galeno (Lib. II. de Crisibus cap. 7.) asserente : *quando aliqua ex intermittentium genere cum continua complicatur difficillima, et vix explicabilis fit mixtio*, ideo à tironibus sagaciter observanda.

Hinc valde mirum est Homium, Ludwigium, Sellium, Stollium, Ellerum, Macbridum, Quarinum . . magna in arte nomina recentia! nec Boerhaavium ipsum horum omnium aliorumque his similium coriphœrum quidquam notabile de febre ista in medium atullisse.

Hippocrates, Galenus, Celsus . . multa de febre ista pertractarunt. Inter nostrates Hieronimus Ximenetius aliqua breviter sed dilucide in suis medicis Institutionibus (Lib. 1. cap. 10. p. 22 . . 25) notavit. Petrus Michael de Heredia (in Syntagmate seu Tractatu de Febribus Quæst. 20. p. 484.) longius super ea excussit. . Piquerius nostras utiliter, et ample discussit eam, ubi supra.

Cum febris ista, ut jam dictum complicata sit duplici respectu instituenda curatio. Si accesiones tertianariæ leves fuerint, ita ut continua febris validior observetur, ut febris continua sananda venæsectione repetita, refrigerantibus, acescentibus, nitrosis, leviter alexipharmacis, seu antimalignis cum hujus furfuris pessimi, atque dolosi particeps sit febris ista, qui virium prostratione insueta proditur.

Si ex adverso accesiones validiores, longiores, horridiores.. sint, ut tertiana tractanda emeticis, diluentibus, apperientibus, amaricantibus, febrifugis, inter quæ princeps, herculeus ille cortex peruvianus.

Si neutra exsuperet media via incedendum, et remedia prædicta amico, et utili fœdere prudentissime socianda.

Petrus Michael de Heredia impense laudat decoctum smilacis asperæ Cornelii Gemmæ in constitutionibus humidis, et malignis, quibus ista febris grassari solet. (ubi supra pag. 493.) Legatur Auctor iste noster doctissimus super ista febri; imo universa ejus opera sedulo legenda.

Febris ista etiam observatur quando in mesenterio, omento.. aliqua adest inflammatio, quæ in suppurationem tendit. Adrianus Spigelius de ista Hemitritæo præcipuè tractat in suo libello *de semitertiana* : cum in cadaveribus harum partium glandulas suppuratas invenerit. Hinc

diagnosis, atque curatio febris hujusce à dignotione inflammationis illius, istiusque in suppurationem terminationis, et curatione hisce duabus respondente petenda.

INTERMITTENTES PERNICIOSÆ.

Febres istæ regulariter procedentes alibi explicatæ (Aph. 746.) Nunc de iisdem in ruinam subdole, atque inopinato ducentibus tractandum.

Tres corporis humani Regiones adgreditur ferocia ista; imo totum ipsum corpus. Hoc in illis sudoribus colliquativis subito fere perfunditur; putredinosa mephiti, convulsionibus universalibus.. aliisque similibus pessumdatur. Illæ suis in functionibus respondentes tragœdias sustinent, patiuntur. *Naturalis* nempe anxietates abdominales, vomitus, cardialgias, choleras morbos, dysenterias.. *Vitalis* anxietates præcordiales, præcedentibus majores, pejoresque, palpitationes cordis, lypotimias, syncopes, asphyxias.. *Animalis* dolores capitis acerbos, aurium similes, ferocia deliria, comata, cataphoram, lethargum, apoplexiam ipsam.

Sub hac specie intermittentium perniciosarum comprehenduntur aliunde cephalgiæ, apoplexiæ, pleuritides, colicæ.. et

alia quævis accidentia, sive affectiones morbidæ, quæ aliquot tantum horis perdurantes, licet absque febre videantur, et etiam sint, repetitioni obnoxia censentur. Ista omnia tamquam paroxysmi tertianarii perniciosi reputari possunt sub certis circunstantiis, imo debent.

Doctrina ista vere utilis, imo absolute necessaria pro dignitate proposita fuit à Ludovico Mercato, qui primus incomparabili sedulitate descripsit illam, ita Francisco Torti Med. Doct. Mutinensi asseverante.

Daniel Sennertus uratislaviensis in epilogum satis luculenter contraxit eam nihil de se ipso addens (Tom. II. Lib. II. de Febribus, cap. XVIII. pag. 767.) Defecit illi sapientissimo Archiatro Hispano corticis peruviani incomparabile inventum, quo in curatione harum febrium felicior absdubio fuisset.

Nihilominus suam ob industriam, atque sagacitatem, maxima in suam artem, imo in humanæ sanitatis conservationem merita, laude suprema vere dignus est. Videndus hac super re prædictus Torti, qui doctrinam Mercati, atque Mortoni, additis scholiis proponit, atque declarat Libro satis grandi, quo alia utilissima etiam continentur. (Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas. Edit. 4. Venetiis An. 1743. lib. II.)

Causæ ista omnia teterrima producentes alterationes sunt humorum præsertim validissimæ, solutio nempe, putrefactio, colliquatio, coagulatio, inflammatio systrophica, atrabiliaria, carbunculosa.. Hæc omnia ab alimentis pessimis, corruptis.. exercitiis validissimis, iracundiis, moeroribus . . miasmatibus, epidemiis . . imo aptius et verius, licet obscurius, à veneno incognito, mirabili, furibundo . . subito intus vel extus ingruente prædicta inquam effective in corpore quantumvis aliunde sano producuntur. Hujus rei exempla omnibus obvia.

Ego ipse sanissimus, nullo modo sensibili prædispositus, aliquot ab hinc annis in ætate florenti constitutus febrem intermittentem syncopalem cum sedimento lateritio in ipsa accessione prima passus fui. Cortice peruviano statim munitus tertio die eadem ferme ipsa hora primæ accessionis ambo brachia torpida persensi, quæ ita per aliquot tantum horas duravere. Continuavi corticem, alteroque tertio die, horis iisdem, sudore placido perfusus fui sponte, quo morbus iste principio teterrimus abiit, excesit, erupit, evasit. Deo Opt. Max. gratiæ eternum à me humiliter offerendæ.

Canonicus Valentinus hic olim temporariè residens, pancraticus, apoplexia sanissimus subito corripitur.

Remedia eficacissima quoniam urgentia in usum advocata ut enemata valida, venæsectiones repetitæ, cucurbitæ, epispastica, retroaures hirudines... à veterno isto aliquantisper excitaverunt. Tunc emetico-catharticum validum præscripsi, cujus operatione fuit integre restitutus. Apoplexiam istam fuisse accessionem intermittentem larvatam non agnovi fateor, licet recuperatione prompta quantumvis valide procurata aliquid me debuisse suspicari ultro confiteor. Regimen exactum imperavi. Tertia tamen die hora respondenti febris immanis corripuit eum cum anxietate incommoda, siti valida, ardore ineluctabili, sine sopore ullo.

Hæc omnia duodecim seu quatuordecim transactis horis evanuerunt. Cognito jam morbo isto intermittenti cortex peruvianus copia debita asumptus tertiam accessionem, aliosque ulteriores accessus feliciter præpedivit, sanitatemque integram nactus fuit Æger iste, nunc adhuc vitam produci dignam conservans.

Dificultas igitur satis ardua utplurimum ocurrit ad perniciem istam jam in insultu primo suspicandam atque prævidendam. Ad istud magna in Medico peritia, exercitium improbum, atque meditabunda attentio necessario requiruntur. Modus incipiendi cum frigore notabili, rigore insolito.. progressio pravis sympto-

matibus stipata . . terminus citior quam sperari poterat, et sic satis prompta in salubrem statum recuperatio . . . perniciem istam quamtumvis latentem suspicari faciunt.

In casu isto inspicienda necessario urina est, quæ si lateritia fuerit, ut regulariter accidit, demonstrationem faciet paroxymi tertianarii perniciosi, quamvis tantum unici, sive primi.

His rebus sic stantibus kina kina affatim, nullaque expectata mora in omni temperamento, in statu omni, sive prægnanti, sive menstruante, sive puerpera, sive lactante administranda in paroxysmo ipso, vel à remissione ipsius, dosi duplicata vel triplicata, duarum nempe vel trium dracmarum ad duas ad minus usque uncias inter unam, et aliam accesionem, ulterioris secundi, vel tertii paroxysmi præservationis ergo: si enim status iste ita anceps, et periculosus, vel non advertatur, vel negligatur turpiter certa æque ac insuperabilis mors accidet, *magna* adstantium stupefactione, *majori* conscientiæ Medici stimulo, et Artis suæ, suique ipsius immani, æque ac luctuoso dedecore, atque *maximo* miserrimi ægri damno, ita turpiter vitam suam amittentis, et cum æternitate heu! ineluctabiliter commutantis.

Sed Medicus in his febribus perniciosis ad corticem peruvianum unice con-

fugiet? In eo acquiescet? Minime gentium. Symptomati etiam urgentissimo prospiciendum esse suadet sana, tutaque Medicina. Hinc si deliria, convulsiones, dolores acerbi capitis, aurium, cardialgia, cholera morbus, tormina dysenterica... paregorica cortici adjungantur. Anxietas, debilitas, syncops, sudor colliquativus.. cardiaca, vina, alexipharmaca, acida, elixiria, subadstringentia..exigunt, socientur ei.

Coma, lethargus, apoplexia.. symptomata sunt, quæ alia etiam remedia præter corticem expostulant; ita enim affecti corticem ore non, vel vix admittunt, et cortex ille, qui, alia via exhibetur, et exhiberi debet per clysteres, per pedum balnea, per apposita ventri, carpis, inguinibus.. vix valet, insufficiens prorsus est. Juvandi igitur aliunde etiam ægri isti præ aliis aliter quomodocunque affectis kinam ore affatim admittentibus: remedis aliis à veterno etiam excitandi v. gr. cucurbitis, sinapismis, venæsectionibus, sanguisugis retro aures... expergiscendi, præsertim juvenes benè pasti, exercitati, tempestate verna... aliter enim parva corticis peruviani dosi ob impotentiam admissa tantum, si aliter non succurrantur ægri in orci fauces deturbabuntur, in silicernia ignave, inerte, imo criminaliter derelicti conjicientur.

Placet in confirmationem hujus certis-

simæ, et utilissimæ doctrinæ de sociandis cortici peruviano aliis remediis symptomati urgentiori mitigando, sanandoque respondentibus Lodoici Pereyra testimonium §. 558. sui (*Tratado completo de calenturas*) positum adducere quod sic *latine redditum se habet.* In tertiana perniciosa *doloribus, convulsionibus, deliriis comitata tinctura aquosa corticis* (an præstat ipse cortex?) *administranda acidis, opio, nitroque sociata: in soporibus sales alcalini volatiles socientur ei, et emplastra ex cantharidibus applicentur: quando hemorrhagiæ fluxusque colliquativi adsunt corticis ipsius pulvis terris lemniis, alumine, et vitriolo: quando syncopi dandus iste ipse cum Rheo, luto obliniendus æger, flavello exterius ventilandus, vento exponendus.*

Quid plura?

Pro coronide hujus de febribus Tractatus dicendum febres diurnas, et nocturnas, quarum divisio alibi notata (pag. 436) ad pituitosas esse referendas juxta Herediam, seu ad biliosas nothas juxta Gomecium. Rationes majoris periculi in nocturnis præ diariis vid. apud eosdem. An verum est esse in rerum natura principium quoddam incognitum versus noctem se exerens, ut Senaco ex variis patuit experimentis? Tract. De recondita &c. pag. 182.) Vidisse asserit iste vir machinam ita compara-

tam ut non quadam artificis industria, sed quodam naturæ motu, cui excipiendo apta erat vim arcanam decedente die reciperet; æque enim in cavo minerarum profundissimo, et summis montibus excitari solere vim istam. Trillerus eruditissimas Exercitationes duas. I. *de vespertina morborum exacerbatione.* II. *de vespertina morborum curatione divino CHRISTI miraculo peracta*, lectu dignissimas (Opusc. Medic. Tom. III. pag. 177. et 232.) evulgavit.

Dicendum etiam præter febres hic memoratas observari alias ad prædictas tamen facile referendas, v. gr. febris *alba*, quæ in virginibus obstructis, non menstruantibus apparet. Febris menstrua; vulneraria; inflammatoria uterina Nietzki; revertens Hipp. I. Epid. Sect. III. Acad. de Barc. pag. 432.

Febris quæ etiam exigit attentionem est *febris hæmorroidalis* ab Haeno primum observata, et à Maximiliano Stoll (Part. V. Rationis medendi pag. 359.) Historiis confirmata. Ex rheumaticarum, et artriticarum familia esse asseritur. Ad podagram sanandam conferre istam contendit Stollius. Quando de isto dirissimo morbo sermo fiet (Aph. 1254.) de febre ista tanquam remedio agetur.

HIC EXPLICIT

Specimen febrium ex Boerhaavio, Stollio, Sellio, Homio.. concinatum. Res ista febrilis ita est impervia, lubrica, et fere incomprehensibilis ut celeberrimus, et laude incomparabili dignissimus Sidenhamus postquam maximam vitæ suæ partem in hisce dignoscendis insumpsisset, et quando medendi methodum ceu gladium delficum se invenisse gloriari posse à se ipso credebatur, *statim didici* ait, *me ideo tantum aperuisse oculos ut pulvere haud quaquam verò Olympico iidem complerentur.* (Epistola dedicatoria Joanni Mapletoft Med. Doct.)

Hinc necesse est ut præter ista horum virorum celebrium opera, exteri, et nostrates alii Auctores ulterius consulantur. Inter exteros caput extollat Illustris iste idem Thomas Sidenhamus, qui omnino consulendus. Mortonus, Torti, Senac, Huxham, Wverlhofius, Ellerus, Grantcius. Sauvagesius, et Cullenius Nosologorum antistites etiam consulendi.

Inter nostrates præter viros tres eximios in Præfatione memoratos adeundi Antonius Gomecius Pereyra Tractatu de Febribus (An. 1555.) Ludovicus Mercatus (1570.) Lazarus Soto (1594.) Petrus Garcia Carrero (1605.) Matthias Llera Cæsaraugustanus (1674.) Petrus Michael de Heredia Complutensis (1688.).. Ingentia certe Nomina, atque Volumina; sed in-

gentis etiam utilitatis, atque doctrinæ practicæ optimæ, et hispanæ!

Postremus iste Heredia an omnibus istis æquiparandus? An præponendus? Iste eximius vir hispaniæ nostræ decus, et ornamentum inter exteros notus, celebratus, et majori usu inter eosdem desideratus. Fouquetus in commentatione observationum febrilium Lindii pag. 209. Lefeburus Zimmermannum *de Dysenteria* in idioma gallicum convertens Herediam nostrum impense laudant, majoremque hujus Viri hispani sapientissimi noticiam inter Gallos suos conterraneos desiderant. Lefeburus iste de Heredia Sidenhamo cœtaneo loquens, praxim ejus ut sanam frequenter laudans, ait: *il est etonnant que ce sçavant medecin, qui examine si sensement les erreus de Galien, Vallesius, Mercatus, Sennertus, &c. en leur rendant justice, et qui a presque dit tout ce qu' on a cru decouvert dans la pratique depuis Sidenham, ne soit pas plus connu.* (Traite de la Dyssenterie par Mr. Zimmermann traduit de l' Allemand. par Mr. Le Febure. pag. 349.)

Inter nostrates unicum exemplum adferam studii, et existimationis isti magno viro hispano debiti atque exhibiti à venerando, longævo, famigeratissimo ... Medicinæ Professore quem honoris, atque reverentiæ causa nominabo. Hic fuit D. D. D. PHILIPUS MICHAEL SOLDE-

VILLA ET ROMEO, Ergavicensis Pater meus amantissimus, colendissimus. Per totos quinquaginta annos, quibus Medicinam feliciter exercuit in Oppido hispanicè dicto FOZ CALANDA (Patria mea dulcissima, charissima, spectatissima) incipiens, tandemque amœnitate, atque salubritate loci, amore, obsequio, atque reverentia hujus populi totius, allectus, inter alios Auctores, quibus impallescebat, Herediam nocturna, atque diurna versabat manu, cujus studium improbum tantam absdubio felicitatem, celebritatem tantam ipsi conciliabat. Ego omnia ista videbam, reverebarque, hujusque exempli, et educationis paternæ finitæ quando memor uberrimas effundo lachrimas. Tandem octogenario major è vivis excesit, et in Ecclesia illius ejusdem Populi sepultus heu! jacet à me piè inter cœlicolas suspiciendus.

Hoc igitur testimonio tanti Viri præsertim fretus hunc Auctorem magni facio, ac aliis cum AA. hispanis indeffessus versor.

FINIS.

PROGNOSTICORUM

HIPPOCRATIS COI LIBER

E GRÆCO IN LATINUM SERMONEM

TRANSLATUS A CHRISTOPHORO VEGA D. M. COMPLUTENSI.

PRÆFATIO.

1. MEdicum (mihi videtur) optimum esse prævidentiæ operam dare.

2. Prænoscens enim, atque prædicens apud ægros præsentia, præterita, et futura, et quæcumque prætermittunt ægrotantes exponens credetur magis cognoscere quæ ad ægrotantes attinent quare audebunt homines seipsos Medico committere.

3. Curationem autem optime molietur prævidens futura ex præsentibus passionibus: omnes namque languidos sanare impossibile est, hoc enim melius esset quam eventura prænoscere.

4. Quum autem homines moriantur ex vi morbi, alii antequam Medicum vocent; alii vero adhuc accito, statim defficiant, hi quidem diem unum viventes

illi vero paulo plus temporis: antequam Medicus arte repugnet adversus unumquemque morbum; oportet quidem cognoscere talium passionum naturas, quantum superent corporum facultatem, pariter etiam, et si *quid divinum* in morbis inest, ejus etiam addiscere providentiam. Sic enim merito admirabilis, ac bonus Medicus erit. Etenim quos servare possibile fuerit, hos poterit rectius custodire, ex longiori tempore præmeditatus circa singula. Et morituros, ac salvandos præcognoscens, atque prænuntians vacabit crimine.

SECTIO I.

NOTÆ EX FACIE, ET OCULIS.

5. Considerare autem oportet hoc modo per morbos acutos: primum quidem ægri vultum, si sanorum similis sit, maxime vero sui ipsius: sic enim optimus erit. Summe autem contrarius simili, pessimus est.

6. Erit autem talis nasus gracilis in extremis. Oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidæ, et contractæ, et lobi earum eversi, et cutis circa frontem dura, circumtensa, et arida existens, et color to-

tius faciei chlorus, vel niger, et lividus, aut plumbeus.

7. Si igitur in principio morbi talis fuerit facies, et nullo modo possibile fuerit aliis signis conjectari; interrogare oportet, vigilaveritnè homo, aut venter vehementer solutus fuerit, aut fames ipsum oppresserit, et si quid aliquid horum confessus fuerit, minus malum esse existimabit: judicantur autem hæc per diem, et noctem, si ob has manifestas causas facies talis fuerit. Si tamen nihil horum esse dixerit, neque in prædicto tempore constiterit, nosse oportet hoc signum letale esse.

8. Si tamen morbo antiquiore triduano existente, talis fuerit facies, interrogare oportet de his, de quibus antea præcepi, et alia signa considerare quæ in tota facie, et in corpore sunt.

9. Et ea quæ in oculis sunt, si lucem effugiant, vel nollentes illacryment, vel pervertantur, vel alter altero minor fuerit, vel albas partes rubidas habuerint, vel lividas, aut nigras venulas in ipsis habuerint, aut sordes appareant circa pupillas, vel instabiles, vel eminentes, vel admodum cavi facti, vel pupillæ squalidæ, ac sine splendore, vel totius faciei color immutatus fuerit, hæc omnia mala, atque exitiosa esse existimandum est.

10. Considerare autem oportet suspec-

tiones oculorum per somnum. Si namque aliquid ex albo subapparuerit non commissis palpebris, non ob ventris fluxum, aut medicamenti potionem, vel non sic dormire assueto malum signum est, et letale valde.

11. Si tamen retorta fiat, vel livida, vel pallida palpebra, vel labrum, vel nasus cum aliquo ex aliis signis: nosse oportet morti proximum esse. Letale etiam est, si labia subsoluta, et suspensa, et frigida, et albicantia fuerint.

NOTÆ EX DECUBITU, STRIDORE DENTIUM, ULCERE, GESTICULATIONE MANUUM.

12. Cubantem autem oportet inveniri ægrum à Medico super latus dextrum, aut sinistrum manibus, cervice, ac cruribus parum inflexis, et universum corpus mollitèr jacens. Sic enim sanorum plurimi decumbunt: optimi vero sunt decubitus sanorum similes.

13. Supinum vero cubare manibus, cervice, et cruribus extentis minus bonum est.

14. Si vero proclivis sit, ac delabatur à lecto in pedes gravius est.

15. Si vero inveniatur nudos habens pedes (ubi non fuerint admodum calidi) et manus, cervicem, ac crura inæqualiter dispersa, ac nuda, malum est, inquietudinem enim significat.

16. Letale autem est hiantem dormire semper.

17. Pariter et crura supini cubantis vehementer reducta, distractaque.

18. Super ventrem vero cubare eum qui non sic assuevit dormire, dum sanus esset, delirium significat, vel dolorem partium, quæ sunt circa ventrem.

19. Velle autem ægrum residere vigente morbo malum est in omni acuto morbo; pessimum vero in peripneumonicis.

20. *Stridore dentibus* in febribus, in quibuscumque id non est consuetum à pueritia, maniam, aut mortem significat, verum prædicere oportet ab utrisque futurum periculum. Si tamen delirans id efficiat, valde letale jam est.

21. *Ulcus* autem sive præfuerit, sive in morbo fiat, ediscere convenit: si namque moriturus homo est, ante mortem lividum, et siccum erit, aut pallidum, et siccum.

22. De manuum vero latione hæc nosse oportet: quibuscumque in acutis febribus, vel pulmoniis, vel phrenitidibus, vel capitis doloribus ante faciem feruntur, vel

venantur frusta, aut colligunt festucas, aut stamina de vestibus evellunt, vel stipulas de parietate carpunt, omnes malas esse, atque letales.

NOTÆ A SPIRATIONE, SUDORE, PRÆCORDIIS, TUMORIBUS, SUPPURATIONE.

23. *Spiritus* vero frequens dolorem significat, aut inflammationem in partibus, quæ sunt supra septum transversum: si vero respiretur magnus, et ex longo intervallo, delirium nunciat; frigidus vero expiratus ex ore, et naso, valde letalis jam est.

24. Bonam autem respirationem existimare oportet, valdè magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis, quicumque cum febre sunt, et in quadraginta diebus judicantur.

35. *Sudores* optimi quidem sunt in omnibus acutis morbis, quicumque in diebus decretoriis fiunt, et integre febrem sedant. Boni vero quicumque ex toto corpore procedentes fecere ut homo facilius morbum ferret: si vero nihil horum fecerint, inutiles sunt. Pessimi vero sunt frigidi, et circa caput tantum, et vultum, et

cervicem facti : hi enim cum acuta febre mortem prænuntiant, cum leviore vero morbi longitudinem.

26. *Hypochondrium* optimum est, sine dolore, molle, atque æquale, dextra ac sinistra parte existens : inflammatum vero vel dolorem præbens, vel intentum, vel inæqualiter affectum, in dextris per comparationem ad sinistras partes, hæc omnia vitare oportet.

27. Si vero pulsus insit in hypochondrio ; perturbationem significat, aut delirium, sed oculos talium inspicere oportet. Si enim pupillæ frequenter moventur, hos *manenai* hoc est, valde insanire sperandum est.

28. *Œdema* vero in hypochondrio durum ac dolens pessimum est, si fuerit circa totum hypochondrium : si vero in altera parte fuerit, in sinistra minus periculosum est.

29. Significant autem hujusmodi Œdemata in principio periculum mortis brevi futuræ.

30. Si autem febris perseverans vigesimum diem transgrediatur, et œdema non subsistat, in suppurationem vertitur.

31. Fit autem his sanguinis eruptio ex naribus in primo circuitu, et valde juvat. Verumtamen interrogare oportet, si dolet caput, vel hebetantur oculi : si namque quippiam tale fuerit, eo tendet.

32. Sanguinis eruptionem magis expectare oportet in junioribus trigesimum quintum annum agentibus.

33. Œdemata vero mollia, et sine dolore, et quæ digito compræssa cedunt, diuturniores faciunt judicationes, ac illis minus gravia sunt.

34. Si vero pertransierit dies sexaginta, febre detinente, et œdemate non subsistente, suppurandum esse significat, et hoc, et quod fuerit in alio ventre similiter.

35. Quæcumque igitur dolentia dura, ac magna sunt, periculum mortis brevi futuræ significant: quæcumque vero mollia, sine dolore, ac digito præssa cedunt, diuturniora illis sunt.

36. Œdemata, quæ in ventre sunt, minus faciunt abscessus, quam quæ in hypochondriis: minime vero suppurantur, quæ infra umbilicum sunt.

37. Sanguinis vero eruptionem maxime de supremis partibus expectare oportet.

38. In omnibus œdematibus, quæ prorogantur circa has partes, suppurationes considerare oportet.

39. *Suppurationes* quæ inde proveniunt sic oportet considerare: quæcumque enim foras vergunt, optimæ sunt, et parvæ, et quam maxime foras inclinantes, et in acutum curvatæ, quæ vero magnæ sunt,

et latæ, et minime in acutum fastigiatæ, pessimæ.

40. Quæcumque vero intro rumpuntur, optima sunt, quæ nihil cum exteriore regione communicant, sed sunt contracta, et sine dolore, et tota exterior regio unicolor apparet.

41. Pus autem optimum album esse debet, æquale, ac leve, et quam minime fœtidum: huic vero maxime contrarium pessimum est.

SECTIO II.

NOTÆ EX HYDROPIBUS, SOMNO, ALVI EXCREMENTIS.

1. *Hydropes* autem omnes, quæ ex acutis morbis fiunt, mali sunt, non enim à febre liberant, et valde dolorosi sunt, ac letales. Incipiunt autem plurimi quidem ex partibus inanibus, et lumbis, quidam autem à jecore.

2. Quibus igitur ex partibus inanibus, et lumbis hydropum initia fiunt, pedes intumescunt, et alvi fluor diuturnus fit, nec solvens dolorem, qui ex inani parte efficitur, ac lumbis, neque molliens ventrem.

3. Quibuscumque vero à jecore hydropes fiunt, tussis, cupiditasque ipsis inest, et nihil excreant effatu dignum, et pedes intumescunt, et venter non dejicit nisi dura et ægrè, et circa ventrem fiunt œdemata, quædam in dextra, quædam in sinistra parte existentia, ac cessantia.

4. Si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, ventre, costisque calentibus, malum est.

5. Optimum vero est totum corpus calidum esse, ac molle æqualiter.

6. Eum qui dolet, ut facile convertatur, sitque resurgendo levis, oportet.

7. Si ergo grave videatur reliquum corpus, et item manus, ac pedes periculosius est.

8. Si vero præter gravitatem, ungues quoque ac digiti lividi sint, expectanda mors statim est.

9. Si digiti, ac pedes omnino nigrescunt, minus perniciosi sunt, quam si liveant: sed alia signa consideranda sunt, si enim facile ferre morbum videatur, et aliquod aliud signum salubre subindicet, morbum verti ad abscessum sperandum est, ita ut æger convaliturus sit, et corporis partes denigratæ casuræ.

10. Testes, ac pudendum contracta, fortes significant dolores, et periculum letale.

11. De *somno* vero quemadmodum

secundum naturam nobis est in consuetudine, interdiu vigilare, noctu dormire convenit. Si tamen hoc transgressum fuerit, deterius est: minime vero nocebit, si dormiatur, prima luce ad tertiam diei partem. Somni tamen extra id tempus pejores sunt.

12. Pessimum vero est neque interdiu, necque noctu dormire, vel enim ex dolore, et laboribus vigilabit, vel delirium inde significabitur.

13. Optima vero *dejectio* mollis est, et constans, et quæ eo tempore secernitur, quo per bonam valetudinem: quantitas vero secundum rationem ingestorum. Sic enim exeunte imus venter bene utique valebit.

14. Si autem fuerit dejectio liquida, expedit ne subducatur cum stridore, aut crebro, et sensim; laborans enim homo ex frequenti surrectione, vigilabit utique. Si vero accumulatim, et sæpe dejecerit, periculum est ne animo delinquat.

15. Sed oportet pro quantitate ingestorum dejicere bis, aut ter in die, noctu semel; plurimum autem subeat primo mane, quemadmodum homini consuetum est.

16. Incrassari autem oportet dejectionem, morbo eunte in judicationem.

17. Subruffa autem sit, neque admodum graveolens.

18. Expedit autem *lumbricos* teretes

cum dejectione exire, morbo ad judicationem eunte.

19. Decet autem in omni morbo ventrem flacidum, ac bonæ molis esse.

20. Valde tamen aquosum, vel album, vel chlorum, vel vehementer rubrum, vel spumosum dejicere: omnia hæc mala sunt.

21. Mala autem dejectio est, si fuerit parva, et glutinosa, et alba, et subchlora, ac lævis.

22. His autem magis letales erunt, nigræ, vel pingues, vel lividæ, vel æruginosæ, vel fœtidæ.

23. Variegatæ tamen dejectiones, his diuturniores sunt, sed nihilominus letales: sunt autem tales ramentosæ, et biliosæ, et cruentæ, et porraceæ, et nigræ, nonnumquam quidem simul, nonnumquam vero vicissim procedentes.

24. *Flatum* vero sine sonitu, ac crepitu exire optimum est: melius autem est cum sonitu exire, quam revolvi, quamvis sic procedens significet hominem aliqua parte dolere, aut delirare, nisi volens sic flatum emiserit.

25. Dolores autem, atque tumores ex hypochondriis, si recentes fuerint, ac sine phlegmone, solvit murmurium factum in hypocondrio, et maxime si exierit cum stercore, urina, et flatu. Si vero non exierit, proficiet ubi ad inferas partes descendat.

NOTÆ EX URINIS : VOMITU : SPUTO.

26. *Urina* vero optima est, quando sedimentum fuerit album, et læve, et æquale per totum tempus donec morbus judicetur : securitatem enim significat, ac morbum futurum brevem : si vero intermittat ; ita ut aliquando pura mingatur, aliquando vero subsideat album ac læve, morbus diuturnior, ac minus securus est.

27. Si vero urina fuerit subrubra, et sedimentum subrubrum, ac læve, diuturnior quidem hæc quam prior est, valde tamen salutaris.

28. Subsidentiæ vero in urinis speciem farinæ crassioris referentes malæ sunt, his autem pejores sunt squamosæ, tenues vero, et albæ, valde malæ, his vero pejores sunt furfuraceæ.

29. Nebulæ vero quæ urinis invehuntur, albæ quidem bonæ, nigræ vero malæ.

30. Quandiu urina fuerit ruffa, et tenuis, crudum significat esse morbum.

31. Si autem diuturnus fuerit morbus, et urina talis fuerit, periculum est ne homo sufficere non possit, donec urina concoquatur.

32. Ex urinis vero magis exitiosæ sunt fœtidæ, et aquosæ, et nigræ, et crassæ.

33. Viris autem et mulieribus urinæ nigræ pessimæ sunt, pueris vero aquosæ.

34. Quibuscumque tenuem ac crudam longo tempore mingentibus urinam, si cætera, ut in convalituris, indicia fuerint, iis abscessum ad partes septo transverso inferiores spectare oportet.

35. Et pinguedines supernatantes, similes telis aranearum damnandæ sunt, significant enim colliquationem.

36. Considerare autem oportet urinas in quibus nebulæ sunt, an sursum, an deorsum existant, et colores quales habent, et eas quæ deorsum feruntur cum coloribus qui dicti sunt, bonas esse ac laudabiles; quæ vero sursum cum coloribus, qui dicti sunt, malas, ac damnandas esse.

37. Nec te decipiat, si vesica ægrotans aliquam talem redidderit urinam: non enim totius corporis morbum ostendit, sed ipsius solius.

38. *Vomitus* autem utilissimus est, quam maxime pituita, ac bile commixtus, non admodum crassus, nec multus, synceriores namque deteriores sunt.

39. Si tamen fuerit id, quod vomitur, porraceum, vel lividum, vel nigrum, quicumque ex his coloribus fuerit, malum esse existimare oportet.

40. Si tamen omnes colores idem homo vomuerit, valde letale jam est.

41. Celerrimam autem, mortem os-

tendit lividus vomitus, si fœtidum oleat.

42. Omnes vero subputridi, ac fœtidi humores, mali sunt in omnibus, quæ vomuntur.

43. *Sputum* autem in omnibus doloribus, qui sunt circa pulmonem, et costas, ut cito, ac facile rejiciatur oportet.

44. Permixtumque adpareat flavum admodum, sputo.

45. Si enim post initium doloris spuatur flavum, aut ruffum, aut plurimam tussim inferens, et non admodum commistum, deterius est.

46. Flavum enim cum syncerum sit, periculosum est; et album glutinosum, et rotundum, perniciosum.

47. Malum vero, et quod valde chlorum est, et spumosum.

48. Si vero adeo sincerum fuerit, ut nigrum appareat, gravius illis hoc est. Malum autem, si nihil aut expurget, aut admittat pulmo, sed plenus in gutture ferveat.

49. Raucedines, et sternutamenta in omnibus morbis, qui sunt circa pulmonem, præcedere, aut supervenire malum. Verum in aliis morbis exitiosissimis sternutamenta utilia sunt.

50. Si vero sputum flavum sanguini non multo commixtum, in iis qui pulmonia laborant inter initia spuatur, valde utile est, septimo vero, aut tardius, minus securum est.

51. Omnia sputa mala sunt, quæcumque dolorem non sedaverint. Nigra vero pessima, ut scriptum est. Quæ vero cum rejiciuntur dolorem sedant, omnibus sunt meliora.

NOTÆ EX SUPPURATIONE.

52. Quicumque autem dolores harum partium non sedantur, aut sputorum purgationibus, aut ventre exonerato; aut sanguinis missione, ac victus ratione, et purgatione per medicamentum, scias quod suppurantur.

53. Ex suppurationibus quæcumque pus effundunt, adhuc bilioso existente sputo, valde letales sunt, sive vicissim, sive simul bilis, ac pus rejiciantur.

54. Maxime vero si septima die morbi incipiat separari suppuratio ab hujusmodi sputo.

55. Sperandum vero est moriturum decimoquarto die eum, qui talia spuit, nisi aliquod signum bonum ei supervenerit.

56. Sunt autem bona hæc; facile ferre morbum, bene respirare, vacare dolore, et sputum facile excreare, corpus æqualiter calidum, ac molle apparere, non sitire: atque urinas, dejectiones, somnos, et sudores, singula intelligere bona superve-

nire : sic enim omnibus supervenientibus, non utique peribit homo.

57. Quod si quædam ex his superveniant, quædam vero non, morietur utique homo, non pertransiens quatuordecimum diem.

58. Per contraria tamen horum : difficile ferre morbum, spiratio magna, et frequens, dolorem non cessare, vix spuere, valde sitire, corpus à febre inæqualiter affici, ventremque ac costas vehementer incalescere, fronte, manibus, ac pedibus frigidis, urinæ vero, et dejectiones, et somnos, et sudores, mala singula intelligere, ut descripta sunt.

59. Sic certe si sputo quippiam horum accesserit, morietur homo, antequam ad decimumquartum diem perveniat, aut nonum, aut undecimum.

60. Sic igitur conjectare oportet hoc tanquam valde letale sputum et non perducens usque ad decimumquartum diem. Eum vero qui de bonis, ac malis signis supervenientibus ratiocinatur, ex his decet prædictiones præmittere : sic enim maxime vera dicet.

61. Aliæ vero puris eruptiones fiunt, plurimæ quidem vigesimo die, quædam vero trigesimo, quædam quadragesimum, quædam autem ad sexagesimum diem perveniunt.

62. Considerare autem oportet prin-

cipium suppurationis fore raciocinantes, à prima die qua homo frebricitavit. Si quando primum rigor ipsum prehendit, et si dixerit, in parte quæ dolore vexabatur pro dolore, pondere ipsum gravari. Hæc enim in principiis fiunt suppurationum. Ex his igitur temporibus rupturam suppurationum fore sperandum est, prædictis temporibus.

63. Si vero empyema in altera tantum parte existat, hos convertere ac discere oportet, doleat ne quippiam in altero latere, et an alterum altero calidius sit. Atque cubantem super sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod desuper suspendi. Si enim ita est, in quodcumque latus pondus insit, in illo suppuratio existit.

64. Hujusmodi signis omnes suppuratos dignoscere convenit. Primum quidem, si febris non dimisserit, sed interdiu tenuiter afficiat, noctu vero plus, et plurimi superveniunt sudores, atque tussiendi cupiditas eis inest, et nihil excreant effatu dignum: oculi fiunt cavi; malæ vero rubent, ungues manuum incurvantur, digiti incalescunt, et potissimum summi, in pedibus fiunt œdemata, cibos non appetunt, et phlyctenæ per corpus erumpunt.

65. Quæcumque igitur ex suppurationibus prorrogantur, talia signa habent, et eis credere maxime oportet. Quæcum-

que vero recentes sunt, per hæc innotescent, si quid apparuerit eorum, quæ in principio fiunt, simul autem etsi dificilius spiraverit homo.

66. Quæ vero ex eis celerius, aut tardius rumpuntur, his signis cognoscere oportet. Si dolor ab initio fiat, et difficultas respirandi, et tussis, et excreatio perseveret, rupturam sperare oportet vigesimo die, et adhuc ante. Si vero dolor mitior fuerit, et reliqua omnia secundum rationem, in his posterius ruptura speranda est. Præcedere autem necesse est ante puris eruptionem, dolorem, difficultatem respirandi, et excreationem.

67. Liberantur autem ex his, maxime quidem, quos febris dimisserit eodem die post eruptionem, et qui cibos citius appetunt, et siti vacant, et venter pauca, ac constantia demittit, et pus album, læve, uniusque coloris fuerit, ac sine pituita, et sine dolore, aut tussi vehementi. Sic enim optimè ac citissime liberantur. Sin minus hi, qui ad hos maxime accedunt.

68. Morientur autem quos febris minime dimiserit, vel cum dimisisse putetur, iterum incalescere videantur, et sitim habuerint, et cibos non appetant, venter humidus fuerit, et pus chlorum, et lividum spuant, vel pituitosum, vel spumosum, si omnia hæc fiant, moriuntur. Quibus vero ex his quædam supervenerint,

quædam vero non : quidam ipsorum moriuntur, quidam longo tempore salvantur; verum ex omnibus indiciis in ipsis inventis, conjectari oportet de aliis omnibus.

NOTÆ EX ABSCESIBUS, EX VESICA.

69. Quibuscumque ex pulmonia *abscessus* circa aures fiunt, et suppurantur, vel ad inferas sedes, et fistulantur, ii liberantur.

70. Considerare autem oportet talia in hunc modum. Si febris detinet, et dolor non cessaverit, et sputum non excernatur secundum rationem, neque biliosæ fuerint alvi dejectiones, neque dissolutæ, atque synceræ, nec urina valde multa, et crassa, ac plurimum continens sedimentum : paratur autem salubris ab omnibus aliis salutiferis signis ; in his oportet hujusmodi abscessus futuros sperare.

71. Fiunt autem hi quidem in partibus inferioribus, quibus circa hypochondria *Phlegmon*, id est, inflammatio quæpiam innascitur : illi vero in superioribus, quibus hypochondrium flaccidum, ac sine dolore perseverat ; si vero quando difficulter respiraverit, sine alia manifesta occasione, cessabit.

72. Omnes autem abscessus, qui fiunt in cruribus, in pulmoniis vehementibus,

ac periculosis, utiles sunt : optimi vero, qui fiunt sputo jam in pus mutato. Si namque tumor ac dolor fiant, sputo facto purulento ex flavo, et foras procedente, securissimè liberabitur homo, et abscessus citissime cessabit sine dolore. Si tamen sputum non bene processerit, nec urina cum bono sedimine apparuerit, periclitatur articulus claudicare, aut multum negotium præbere.

73. Si vero abscessus *aphanizontai* id est repente occultantur, atque recurrunt, sputo non procedente, ac febre non dimittente, malum est ; periclitatur enim homo delirari, atque mori.

74. Ex empyicis, qui ex pulmonis morbis tales sunt *geraiteroi* id est, seniores potius moriuntur : ex aliis vero suppurationibus juniores potius intereunt.

75 Dolores vero cum febre facti circa lumbos, et inferas sedes, si septum transversum attigerint, inferas sedes relinquentes, valde letale. Aliis igitur signis mentem adhibere convenit. Quoniam si aliquod aliud signum malum apparuerit, desperatus homo est. Si autem assurgente morbo versus septum transversum alia signa supervenerint non mala, ipsum empyicum futurum valde speratur.

76. Quicumque vero ex empyicis uruntur, quibus pus purum, album, et sine pravo odore fuerit servantur : quibus vero

subcruentum, et cœnosum, moriuntur.

77. Vesicæ duræ ac dolorosæ: malæ omnino sunt, et exitiosæ. Exitiosissimæ vero, quæcumque cum febre continua sunt. Dolores namque ab ipsis evenientes interimere valent, et ventres in talibus non dejiciunt, nisi dura, et ægrè.

78. Solvit vero morbum urina quæ purulenta mingitur, album ac læve habens sedimentum.

79. Si vero urina nullatenus *endidoie* id est, concedat, neque vesica mollescat, et febris continua vexaverit, in primis morbi circuitibus speratur dolentem moriturum.

80. Modus autem iste potissimum tentat pueros à septimo in quartumdecimum annum.

SECTIO III.

FEBRIS, DOLOR CAPITIS, AURIUM.

1. *Febres* vero judicantur, in eisdem diebus numero, ex quibus supersunt homines, et ex quibus moriuntur.

2. Simplicissimæ namque febres, ac signis firmatæ securissimis, quarto die, aut citius cessant: pessimæ vero, ac cum signis gravissimis factæ, quarto die, aut citius interimunt.

3. Primus itaque insultus ipsarum in hunc modum finitur: secundus autem ad septimum perducitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartumdecimum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum: hi igitur ex acutissimis morbis facta per quatuor additione, ad vigesimum finiuntur.

4. Fieri vero non potest, ut aliquid horum integris diebus vere annumeretur, non enim annus, aut menses integris diebus annumerari solent.

5. Post hæc autem eodem modo, et secundum eandem adjectionem, primus circuitus quatuor, et triginta dierum, secundus quadraginta dierum, tertius sexaginta dierum est.

6. Inter initia tamen horum difficilius est prænoscere ea, quæ multo temporis spatio judicari debent: simillima enim eorum initia sunt. Sed à primo die animum adhibere opus est, ac per singulos quaternarios additos considerare; nec latebit quo vertetur morbus.

7. Est autem, et quartanæ constitutio, ex tali concinnitate.

8. Qui vero minimo temporis spatio judicari debent, facillimi cognitu sunt: maxime enim ab initio differunt, qui enim convalituri sunt, facile spirant, et sine dolore agunt, noctu dormiunt, ac reliqua securissima habent; morituri ta-

men difficile spirant delirantes, vigilantes, ac reliqua signa pessima habentes.

9. His igitur ita evenientibus conjectari oportet per tempus, ac per singulas additiones, morbis euntibus in judicationem.

10. Secundum eandem rationem, et fœminis judicationes fiunt ex partu.

11. *Capitis* autem *dolores* vehementes, atque continui cum febre, si quidem aliquod ex signis letalibus accesserit, valde exitiosum est. Si tamen absque talibus signis dolor viginti dies transcendat, et febris detineat, suspicari oportet sanguinis è naribus eruptionem, vel aliquem alium abscessum ad inferas sedes. Donec autem dolor recens fuerit, consimiliter sanguinis è naribus eruptionem, vel suppurationem spectare oportet, præsertim si dolor circa tempora, et frontem fuerit.

12. Magis autem spectare oportet sanguinis eruptionem in junioribus trigesimumquintum annum agentibus, in senioribus vero suppurationem.

13. *Auris* vero *dolor* acutus cum febre continua, ac vehementi, malum Periculum enim est delirii, atque abolitionis. Quoniam igitur fallax hic locus est, cito mentem adhibere convenit, et omnibus aliis signis à prima die.

14. Pereunt autem ex hoc morbo juniores quidem septimo die, et adhuc ci-

tius; seniores vero multo tardius, febres namque et deliria minus eis superveniunt, et hanc ob causam aures suppurari præveniunt. Verum in his ætatibus recidivæ morbi supervenientes plurimos interimunt. Juniores tamen ante auris suppurationem moriuntur. Si autem pus album ex aure defluat, spes habetur de salute juvenis, si aliquod aliud bonum signum ei superveniat.

15. Fauces exulcerari cum febre, difficile: verumtamen si aliquod aliud signum supervenerit, eorum, quæ malis adjudicata sunt, prædicendum hominem in periculo esse.

ANGINA.

16. *Anginæ* autem gravissimæ sunt ac celerrime interimunt, quæcumque nihil conspicuum faciunt in faucibus, neque in cervice: plurimum vero dolorem inferunt, atque orthopnœam. Hæ enim eodem die strangulant, et secundo, et tertio, et quarto.

17. Quæcumque vero dolorem alioqui alteri similiter inferunt, attoluntur autem, ac in faucibus rubores efficiunt, valde quidem letales, cæterum præcedentibus diuturniores, si magnus fiat rubor.

18. Quibus vero fauces, et cervix si-

mul rubent, hæ sunt diuturniores : et maxime ex ipsis liberantur, quibus cervix, et pectus ruborem traxerint, nisi sacer ignis intro recurrat.

19. Si vero neque in diebus decretoriis sacer ignis evanescat, neque tuberculum ad externam convertatur regionem, neque pus excreet, et facile, ac sine dolore agere videatur, mortem significat, vel conversionem ruboris.

20. Securius vero est, tumorem, atque ruborem quam maxime foras vergere. Si tamen in Pulmonem vergat, insolentiam faciet, et ex ipsis magna ex parte fient Empyici.

21. Gargareones secare, aut scarificare periculosum est, quandiu rubri fuerint, et magni. Inflammationes etenim eis superveniunt, atque sanguinis eruptiones. Sed decet per id tempus hujuscemodi tentare, aliis machinamentis extenuare. Quando vero jam separatum fuerit totum id, quod uvam apellant, et facta fuerit summa pars gargareonis major, atque orbiculata, superior vero tenuior, tunc temporis tutum est admovere manum. Sed melius est evacuato ventre manus operatione uti, si tempus concesserit, et non suffocetur homo.

22. Quibus febres desinunt, neque cum signis solutionis, neque in diebus decretoriis recidivam in eis spectare oportet.

23. Quæcumque febris prorrógatur, salubriter affecto homine, nec ob inflammationem, nec ob aliam quamvis causam manifestam, dolore detinente huic spectandus est abscessus cum tumore, ac dolore, ad aliquem articulorum, maxime eorum, qui sunt in parte inferiori.

24. Hujusmodi abscessus magis ac in minore tempore fiunt junioribus natu trigesimum annum agentibus.

25. Considerare autem oportet statim abscessus signa, si viginti diebus transactis febris detineat.

26. Senioribus vero minus accidunt, ubi febris fuerit diuturnior.

27. Oportet autem hujusmodi abscessum sperare, ubi continua fuerit febris: in quartanam vero deducetur, si intermittat, et erratico modo aprehendat, et sic agens autumno appropinquet.

28. Quemadmodum vero junioribus trigesimum annum non attingentibus, abscessus fiunt: sic quartanæ magis iis, qui triginta annorum sunt, et senioribus.

29. Scire autem oportet abscessus magis fieri hyeme, tardius cessare, et minus recurrere.

NOTÆ EX VOMITIONE SPONTANEA, ET CONVULSIONE.

30. Quicumque autem in febre non letali dixerit caput dolere, aut etiam tenebrosum aliquod ante oculos apparere, et oris ventriculi morsus huic accesserit, biliosus vomitus aderit. Si autem et rigor acceserit, et partes inferiores hypochondrii frigidas habuerit, citius adhuc vomitus aderit; quod si aliquid biberit, aut ederit, per id tempus valde celeriter vomet.

31. Ex his vero, quibus dolor fieri cæperit, prima die, quarta premuntur maxime, et quinta: ad septimam vero liberantur. Plurimi autem ipsorum tertia dolere incipiunt, quinta vero maxime vexantur, liberantur vero nona, aut undecima. Si tamen quinta dolere cœperint, et reliqua secundum rationem priorem ipsis eveniunt, decimaquarta morbus judicabitur.

32. Fiunt autem hæc mulieribus quidem et viris, in tertianis maxime: junioribus autem fiunt quidem et in ipsis, magis vero in febribus perassiduis, et in legitimis tertianis.

33. Quibus autem per hujusmodi fe-

brem capite dolentibus, pro tenebrositate ante oculos appparente, hebetudo fiat, vel splendores præsententur : pro morsu vero oris ventriculi, in hypochondrio, vel in dextra, vel in sinistra parte contendatur quippiam sine dolore, aut phegmone : pro vomitu, sanguinem è naribus erupturum sperandum est : inde autem in juvenibus magis sanguinis eruptionem spectare oportet. In his vero, qui triginta annorum sunt, et senioribus, minus, sed in his vomitus sperandi sunt.

34. Pueris vero convulsiones fiunt, si febris acuta fuerit, et venter non excernat, et vigilent, ac perterreantur, et lugeant, et colorem mutent, et chlorus, vel lividus, vel rubicundus emergat. Fiunt autem hæc promptissime quidem pueris quam primum editis, usque ad septimum annum. Adultiores tamen pueri, et viri non amplius per febres convelluntur, nisi aliquod signum accesserit vehementissimum, ac pessimum, qualia in phreniticis fiunt.

35. Morituros autem, ac liberandos ex pueris, atque aliis conjicere per omnia signa, quemadmodum in singulis singula scripta sunt.

36. Hæc autem dico de morbis acutis, et quicumque fiunt ex ipsis.

37. Oportet autem eum qui recte præcognoscere debet salvandos, ac morituros, in quibus etiam morbus plurium, aut pau-

ciorum dierum futurus est, cum signa dicerit, ipsorum vires raciocinatus, invicem discernere, quemadmodum de aliis scriptum est, ac de urinis, et sputis, quando simul pus, ac bilem excreaverit.

38. Decet autem morborum semper populariter grassantium, impetum considerare, nec latere temporis constitutionem.

39. Recte igitur nosse oportet, de tecmeriis, id est de conjecturis certis, atque aliis signis; nec latere, quod omni anno, et omni tempore, et mala malum, et bona bonum significant.

40. Quandoquidem et in Lybia, et in Delo, et in Scythia, quæ scripta sunt apparent veridica signa.

41. Bene igitur nosse oportet, quod in ipsis regionibus non est difficile multiplicia ipsorum consequi, si quis ediscens ipsa, recte judicare, ac ratiocinari sciat.

42. Nullius morbi nomen desiderandum est; quod hic non fuerit scriptum: omnia enim, quæ in temporibus prædictis judicantur, eisdem signis cognosces.

FINIS PROGNOST. HIPP.

JUDICIUM

DANIEL. WILHELM. TRILLERI

MEDICINÆ DOCTORIS

SAPIENTISSIMI

SUPER STUDIO HIPPOCRATICO,

ATQUE ORATIONE ISTA BOERHAAVII COMMENDANTE ILLUD.

Ferme ultra sæculi dimidium jam quotidie sedulo agitavi *Studium istud Hippocraticum*; nec unquam manu deponam Hippocratem, nisi cum vita ipsa . . Idem vero faciant, ardenter voveo, qui me in posterum sequentur . . Reflorescat per eos studium illud Hippocraticum tam necessarium, tam salutare, et utile, quod hucusque penitus fere defloruit, exaruit, imo pæne prorsus emortuum jacet.

Hinc serio sane nunc optandum esset, ut summus ille Boerhaavius iterum suam Orationem monitoriam publice repeteret, verbis electis nitidam, ac venustam, acutis sententiis floridam, et ipsis denique

rebus gravem, ac ponderosam, de *Studio in primis Hippocratico commendando*: qualem scilicet jam olim A. 1701. mirantibus auditoribus solemniter habuit. Cujus inde argumentis luculentis sane, et efficacibus *Studium istud Hippocraticum*, quod tum nonnihil refrixerat, denuo lætius, latiusque revixit, ac reviruit. Unde postea laudatissimo isto quidem exemplo incitati sensim splendide prodierunt Medici summi vere Hippocratici van-Swietenius: Gaubius: Gorterus Haenus...

Deplorat denique suis terris Hippocratem desertum, ac tacentem, quoniam nempe ille Medicinæ Princeps á paucis nunc consulitur, á paucioribus intelligitur, et à paucisissimis denique in ipsum usum practicum advocatur. Quum tamen sine ipsius ope, plerumque in spissis tenebris omnes Medici palpant, reptant, cespitant, imo labuntur.. Ita graviter, ornatè, vereque asserente longævo isto Sene artis nostræ meritissimo Antistite. Hæc Trill.

Volum. III. Opusculorum suorum Medicorum ac Medico-Philologicorum. Præf. p. XX. A. 1772.

HERMANNI BOERHAAVE

ORATIO.

DE COMMENDANDO

STUDIO HIPPOCRATICO.

Exigit hujus Loci auctoritas, atque ipsa hæc, quam ago, persona, ut de rebus Medicis verba faciam. Illarum vero quum magna sit copia ad dicendum, eam eligendam putavi, cujus enarratio Medicinæ Cultoribus utilis in primis esset, atque tempestiva. His quippe omnis hicce apparatus, His omnis hæc dicata est festivitas. Quid autem res ipsa monet? Quid tempus postulat? Nisi de eo agendum, quo, licet in arte medica palmarium sit, haud aliud tamen negligitur turpius, vel magis perfunctorie tractatur. Ea scilicet hoc sæculo in schola Medicorum oscitatio dominatur, an superbia, ut spreta Hippocratis monumenta nullo in usu, vix ullius habeantur pretii! Hæc tamen scrutanda, hæc nocturna versanda atque diurna manu prius, quam bonæ frugis quidpiam à Medico in ægros redundare queat, persuade-

re conabor. Quæ dum in animum induco, late patentem orationi campum nactus exspatiarer pro rei copia ; sed reprimit impetum , verbaque mea in brevis horæ curriculum cogit, Vestræ, P. C Præsentiæ Majestas , Vestri temporis Patriæ sacrati justa æstimatio. Illis minime abuti , sed ea , qua par est , cum veneratione frui animus dictat , dum contemplamur Vestra in capessunda fœliciter Rep. Merita , atque Virtutes , quæ claro sanctissimæ veritatis præconio æterna , gratæ Posteritati laudis materiem , virtutum exempla , dabunt. Attica ergo lege , nulla exordii pompa gravis , pauca in medium proferam , quibus juveniles animos excitem , ut inflammato studio rapiantur ad purissimos salutis fontes , quorum salubri latice sua conscripsit Pater ille atque Princeps Medicorum. Hoc agenti attentionem parat , benevolentiamque conciliat rei opportunæ dignitas : timorem vero tollit, additque animum propria Vobis et spectata in audiendo semper lenitas.

Ut itaque propositum absolvam , ante pauca de Officio Medici explananda habeo , quam de ipso Hippocrate dicam. Medicum esse atque haberi eum , qui corporis humani sanitatem tueri , atque infestos ei morbos propulsare novit , omnibus in ore est. Divina quisquis hac arte pollet , primum sibi in consessu Apolli-

neo locum vindicare, eumque digne exornare poterit. Neque vero aliis habet opus, quo ægrorum votis, suoque animo satisfaciat. Pauca quidem hæc atque pulchra, quæ medicinam consummant, etiam ignaris apparent, sed rerum peritis ardua comperta sunt. Enimvero, sanitatis natura et morborum in obscuro latet; illorum causæ sunt imperscrutabiles, remedia haud satis habentur explorata. Hæc tamen perspecta tenenda illi, qui ad artis adspirat perfectionem, res ipsa clamat, consentiunt omnes. Sed magnum semper inter Auctores, Scriptoresque rerum medicarum, certamen fuit, vi ne rationis, an experientiæ usu MEDICINA magis procederet? Neque defuerunt unquam præclaro ingenio Viri, qui utrumque horum per se indigens, alterum alterius auxilio perficere, cum laude laboraverunt. Ægri enim, ante nata Medicinæ primordia, morborum cruciatibus impulsi ad certos dolores incerta tentaverunt remedia, quorum ubi nonnulla fortuna magis, quam arte, salutaria comperissent, eorum annotatione prima jecerunt artis fundamenta. Postea vero ægrotos in forum et compiata exponentes unumquemque prætereuntium similia forte passum lege lata compulere, ut laboranti esset solatio, ut manifestaret remedium, cujus auxilio ipse ejusdem mali pericula effugerat. Cernitis A. alterum Me-

dicinæ statum, quem sapientiæ humanæ antiquissimi auctores Babylonii, et Chaldæi inchoaverunt: à quibus, ut artium reliquæ; derivatus in Ægyptum, pro subtilitate atque industria Gentis, sensim magis magisque fuit promotus. Quid enim? morborum species, et auxilia votivis insculpta tabulis ad delubra Deorum suspendendo, atque unicuique malorum singulos præficiundo Medicos, indigestam experimentorum molem bene et composite digesserunt in formam artis, usui accommodatam. Postremo, progresso cum tempore usu, sola remedia non sufficere experti mortales, judicium rationis implorabant, cujus sibi luce in primis opus esse, ad dignoscenda, et curanda mala, in plurimis et solius ratiocinii lumine distinguendis circumstantiis, dudum observaverant. Tumque statim, ut in talibus fieri notum est, subtilitati ingenii magis, quam experiundi tædio, dediti, ea, quæ sapienter, et ex rei necessitate, à Majoribus conjuncta acceperant, separaverunt. Tum, ne consulta quidem experientia, excogitatam speculatione rationis disciplinam nobis obtulerunt. Verum, licet ad eloquentiam composita, et Philosophantibus accepta brevi adolesceret, ægris tamen perniciosa comperta fuit, et fatalis. Neque mirum id videbitur ei, qui in rem ipsam introspicere propius non dedigna-

tur. Est nempe tam sanitas, quam morborum quilibet, definitus omnino effectus, oriundus ab determinato et singulari concursu omnium illorum, quæ juncta, in illo effectu producendo, causæ officio funguntur. Hanc ergo ut lege rationis investigatam causam evidentia demonstres mathematica, oportebit prius exactissime cognitas habere singulas ejus proprietates et vires seorsim spectatas, atque deinde ex iis, ad se mutuo comparationis ope relatis novas, quæ hinc deteguntur, invenire. Quum vero mentis nostræ intellectum non illustrent illæ proprietates, nisi per effecta sua, quæ sensibus se cognoscenda præbent; palam est, omnia illa, quæ causæ, accidentium, vel effectorum ratione in sano vel morboso statu adsunt, indaganda et describenda esse, antequam de prospera vel adversa valetudine, atque utriusque mediis, statui quidquam possit. Agitur hic enim de rebus ipsis, prout ab suis causis in rerum natura constituuntur: quæ semper singularissimæ, et à peculiaribus circumstantiis undique dependentes sunt, in quas proinde vis demonstrationis abstractæ, universalis, et indefinitæ non eam lucem infundit, quæ rebus gerendis requiritur. Si autem tanta ægritudinum varietas, si in unaquaque illarum tam multa observanda, ut ratiocinii tantummodo colligan-

tur fundamenta ; quis erit, qui vitæ fluxam fragilitatem non deploret? stupiditatem attentionis quis non doleat? in primis, quum tot impedimenta nulla arte evitanda, occupatum in his animum quavis hora avocent, atque in aversa abripiant. Tanta hæc, tamque difficilia sunt, ut nulli mortalium ætas, oportunitas, corporis, vel animi vires sufficiant, ut ab se uno hæc absolvenda speret. Quorsum igitur hæc disputo? Ut intelligatis quam necessarium sit, ut ex aliorum laboribus eligamus, nobis quod ex usu sit; ut videatis, consulendos esse à nobis mortuos, si vivos imperitiæ primo discentium, si eos primorum experimentorum periculis, eripere studemus. Ita se res habet, vel de integro semper est ineunda ratio, adeoque unius ubique industria stabit vel cadet Medicorum scientia, quod quam absurdum sit, patet, vel inevitabilis incumbit necessitas legendi scripta eorum, qui ante nos de hac arte commentati sunt.

De hoc quum liquido constet; quod superest, inter illos præter omnes nostra attentione dignissimum esse Coorum Principem, haud equidem difficulter demonstrabo. Quodcunque in adversaria medica referri meretur, ut scribendæ historiæ et dirigendo ratiocinio inserviat, tam evidens sit oportet, ut de eo sanæ mentis dubitet nemo, vel cum ratione disputet.

Neque minus necesse est eadem illud narrari simplicitate, qua sensibus ab ipsa natura revelatur; Huic omnis nocet factorum immutatio, obest additamentum aut detrimentum rei vel minimæ. Talia quæ sunt, clara, vera, atque æterna erunt, et relata ad causas indagandas eam habebunt rationem, quam in Geometricis *Data* habent ad *Quæsita*. Quisnam vero aptus erit, in factorum historia, solam naturam ducem sequi? Quis non divagabitur? Quis dubitandi occasionem evitabit? Solus ille, mea quidem sententia, qui omni partium studio liber, nulli opinioni serviens, omni denique præjudiciorum amore vacuus, ea discit, ea recipit, ea narrat, quæ videt. Hic autem provocare juvat ad unumquemque Vestrum, cui Veterum placita, vel Recentiorum super hac re scripta excussisse, volupe fuit. Recolatur memoria, atque inter tot Scriptorum millia, unus modo nominetur, qui et sua tractet, et ad liberæ veritatis sanctitatem castigatus sit. Solus ille nostræ scientiæ Conditor, mira hic puritate nitet, solus liber est. Nusquam precario quatuor elementorum figmento, vel editis inde supposita nativitate quatuor primariis qualitatibus, morborum fata obscurat, vel nativos sanitatis inquinat colores. Nunquam inanis de prima temperie simplicium vitæ staminum disceptatio ejus animo offecit, quo minus in veros

rerum eventus penetraret. Frustra in prudentissimo Viro acria illa de calido innato, de radicali humido certamina quæsiveris. Non ullibi tot subtiles, atque adauctis evanidas distinctionibus, morborum atque causarum differentias apud magnum Medicinæ Parentem invenire est. At joco quidem ille, refutatione non dignus seria, qui ludrica opera abutens, Chemicis deceptum fabellis Præclarum Senem, orbi imponit, quasi scilicet suavia illa de acido, et sale ex cineribus resuscitato somnia, tantum optimæ menti veternum incussissent, ut in describendis natura et remediis malorum haud deliravisset aliud. Non ita est. Meruit hanc laudem, et meruit fere solus, quod non visa nullibi effinxerit, quod videnda nunquam neglexerit, quod opera naturæ narraverit, non autem detorserit, vel mutaverit, quo labili aliter Hypothesi honos permaneret et perennitas. Qui, quum talem se gesserit omni vita, dignissimus certe fuit, qui duraturam per tot secula observatorum delineationem posteris consecraret: atque vel hoc nomine omnem Bonorum diligentiam, omnia studia ad se trahere meretur. Illi tamen jure adjungas paucos quidem, sed ejusdem castitatis observatores religiosos, ex ejus doctrina sapientes Aretæum ex Cappadocia, atque Rufum Ephesium, vel alios, sed paucos admodum ante Galeni

tempora, Græcos. Componantur vero Coorum oraculis cæterorum, qui de medicina scripserunt, inventa. Vah quot commenta opinionum! Quibus decepti, pars rerum apparentias eo narrant ordine, quem suasit, cui serviunt, Philosophorum secta; alii rerum faciem ementitis coloribus deturpant, reliqui vero parum solliciti de factis, indagini causæ physicæ omne applicant ingenium.

Alterum, quod in historia medica requirit ratio, est dictionis simplicitas res ipsas brevi et perspicuo sermone explanans. Quo sales? quo joci? quo fabulæ? ubi res agitur maxime seria, atque præ aliis gravissima? Absit studio conquisita vocum obsoletarum obscuritas! absint Rhetorum flores, et verborum lenocinia! absit vana et in hoc negotio intempestiva Historiæ antiquæ ostentatio! Neque subacti Vir judicii pomposam variarum de quæsita veritate sententiarum enumerationem desiderat, neque subtilem et præmaturam causæ ultimæ inquisitionem. Literatorum epulis suavissima hæc condimenta stomachum movent illi, qui huic uni sedulo operam dat, ut certa et clara signa atque remedia utriusque valetudinis addiscat, qui id sibi in primis credit negotii datum, ægris ut placeat, non eloquentia, sed sanatione. Nos, quibus nihil pensi est scire quid mellita lingua, quid acre ingenium de

Medicina dictet, Hippocratica folia, Sibyllinis veriora, revolvamus; in quibus gravia naturæ oracula sonant. Illis intento, non obtunditur judicii acies verborum obscuritate, ambagibus resolvendis, conciliandis adversis bonum non conteretur otium, sed sensu turgens Laconum brevitas, Attica perspicuitate facilis, gravissima rerum pondera legentibus revelabit. Si ab uno discesseris Hippocrate, quis illi par? Si usquam, hic vero locum habet vetus illud, RARI BONI. Qui enim animi instruendi ergo ad reliquos adit Auctores, vel recocta reficietur crambe, aut meram offendet barbariem, aut postremo affectatam, sed inopportunam ostentationem Linguarum, Antiquitatum, Hieroglyphicorum et Fabularum. Adeo pauci splendorem referunt artium præclarissimæ debitum. Dum enim inter Arabas, atque barbaros Galeni interpretes spurcitiem sermonis detestamini, apud eruditos, qui in Hippocratica commentantur, plura invenietis, quibus disertum Oratorem, quam quibus utilem ægris perficiatis Medicum.

Sed ego hæc omitto, restant enim alia, et majori pondere argumenta, quorum vi, omnibus aliis præferendus demonstratur Hippocrates. Verum ad quid me convertam? Quid dicam prius? Larga est et dubia rerum memorabilium copia. Quid itaque memorabo? An vividam illam, at-

que nullo fractam labore attentionem animi, qua ad omnia circumspexit? An admirabilem, neque unquam torpentem diligentiam, qua quidquid ad rem facit, indagavit? An incomparabilem et plusquam Humanam, qua suo parta labore Orbi communicavit, benevolentiam atque fidem? Quodcunque horum speculatur animus, agnoscit ubique supra invidiam clarum, ubique supra humanam sortem felicem, ubique verum, Apollinis æmulum, Coorum Æsculapium! Quæ sint, quæ fuerint, quæ ventura examussim omnia in qualibet ægritudine referre, soli datum fuit oculatissimo illi NATURÆ contemplatori. Si quis advertit animum ad miram illam, qua Prudentia distinguit natos per Medicum, Ministros, Medicamenta, atque ægrum, in morbis errores, ab iis malis, quæ ipsa morbi indoles produxit, Lynceum sibi, Phosphorum aliis fuisse pronunciabit. Ego equidem, quod res cogit, ita sentio Aud. omnes, quorum memoria exstat, omnium sæculorum viros Medicos, tot in morbis phœnomena, ne junctis quidem operis descripsisse, quot nobis relinquenda curavit solus ille arcanorum vitæ scrutator. Quis anniversarias cœli tempestates, ut solemnium morborum causas, evulgavit? Hippocrates. Quis peculiares aeris vicissitudines, æstus, frigora, imbres, squallores, ventorum furores, ho-

rumve silentia, hos illosve morbos generare, aperuit? Hippocrates. Quis ex regionum situ, natura soli, aquarum copia, motu, vel stagnis, quis ex telluris exhalationibus, ex montium positura, causas popularis necis detexit, quis integras hac sapientia gentes servavit? Hippocrates. O salutarem generi humano, neque unquam satis laudandum Virum! Nam quid Ego de industria illius dicam? Qua vitam, victum, potum, labores, atque mores Gentium examinans in ortum vernaculi ipsius mali penetravit. Quid memorem relatas ab ipso eas rerum minutias, quarum adspectum refugerent ignari, quas tamen illius monitis prudentes satis graves experiuntur? Vos, quibus in adyta veritatis penetrare amor est, intrate firmo pectore in penetralia Salutis, quorum atria tabulis Hippocraticis superbiunt, quibus ille Naturæ oracula de Aere, Locis atque Aquis inscripsit.

Verum si major menti vestræ cupido, neque vestibuli ornamento contenti ipsum musæum ingredi lubet; ite audaces, ut contemplemini Venerandum Senem describendis epidemicis occupatissimum: neque mora erit, quin audituri sitis gravem Sapientis vocem, qua dictat suis, non observanda tantum sexus, ætatis, atque indolis discrimina, non modo notanda exercitia, mores, victum ægrorum, neque aë-

ris sufficere descriptionem, quoties designandi sunt illi, qui hac illave populari peste præter cæteros egregie infestati fuerunt. Sed videbitis præterea eum depingentem oculorum, capillorum atque cutis nativos colores, cernetis exarantem an lingua volubilis an balbutiens, an vox gracilis, an vero gravis fuerit, atque infinita quidem talia, non hic memoranda. Ideo omnia vos docet; ut singulare cognoscatis temperamentum eorum, qui grassanti malo magis obnoxii erant, quam reliqui, qui illis notis destituebantur. Eo hæc vobis inculcat, ut ducem habeatis, cujus ad exemplum vosmet in observandis ægris geratis. Eo hæc adfero, ut constet, signa dignoscendi morbos neminem exactius, propria illis mala neminem accuratius, artem de illorum fatis vaticinandi neminem verius tradidisse: Sive illorum primordia, incrementa, exitus, sive et miras illas, atque raro descriptas permutationes addiscere juvat, solus ille honesto satisfaciet desiderio. Et dubitamus adhuc in nostrum commodum uti tantorum laborum fructibus? Aut ex eo colligere facta sine periculo, quæ novo aliter discrimine discenda erunt?

Sed deficeret dies, si cuncta attingerem. Et Vos Aud. qui perspicientiam Viri in detegendis morbis admiramini, ut de felicitate, qua eosdem profligaverit, pau-

ca dicam, exspectatis. Ita enim in artis exercitatione se gessit, ut suo docuerit exemplo, post nitidam morborum delineationem, haud aliud Medico incumbere, quam ut probe compertam, atque successuum prosperitate confirmatam eosdem tollendi viam inveniat. In his investigandis fuerit ne altiori usus sapientia, an in communicandis candore animi, haud facile dixerim. Priori certe se, altera virtute nos, ab erroris periculo liberavit. Hanc gratos agnoscere, mirari illam, imitari utramque decet. Nulla Viro in applicando remedio temeritas. Nulla illi in observando effectu festinatio. Nulla in sinistris eventibus occultatio. Nulla in extollendis prosperis jactantia. Obtemperans morbo, ei imperat: suis illum artibus vincit. Dumque deficientis vitæ vires erigit, vel furentis in sua damna impetus temperat, pauca, sed certa, vilia, sed apta, remedia invenit. Non in comparanda horum varietate, quod vanum, sed in cognoscenda vera et tempestiva illorum necessitate, quod in hac re summum, sollicitus, quibus opus esset, et quali eorum exhibitione, cogitavit. Non ad abditas, sed evidentes, respiciendo causas, certa et explorata dubiis præferebat. Quis vestrum non suspiciat? Quis Medicorum non imitetur? Quis ægrorum non optet suis malis Medicum, fulgentissimum illud Græ-

ciæ dicam, an Orbis Lumen? Ille morborum itinera atque velocitates speculatus, atros horum albosve dies observans, materiæ morbosæ motibus vel moderans vel obsecundans, ejus cruditates digerens, matura per vias ab ipso morbo indicatas comitans, eorum secessus dirigens, expellenda promovens, imitator denique et auxiliator potius, quam temerario ausu perturbator, omnibus salutis, nulli necis artifex celebrandus est. Nocentia, quæ sors, juvantia, quæ ars vel casus, obtulit, rimatus, remedia reperit. Tempus, modumque quo hostem visceribus excutit sibi permissa natura, contemplatus, utendi medicamentis regulas stabilivit. Ea postquam annosa, et quotidie exculta munivit experientia, postquam mille eventuum felicitate comprobata dedit, tum demum satis idonee instructum se existimavit, qui Herbarum, fossilium atque animalium virtutes traderet. Neque nudas enarravisse illas contentus, cautelas addidit et monita, quibus artis imperitus ab ejus exercitio arceret. Si vera audire juvat, si vera eloqui sine invidia licet, hæc vera est, hæc sola ægrotis succurrendi via. Non est, non invenietur alia, nisi qua in perniciem humani generis, non in salutem, itur. Unica hæc admirabilis, utilis, imo prope divina est, quam calcavit, quam nobis et opere et verbis præmonstravit artis Auctor.

Vos, O præclari Juvenes, Sacrata Phœbo Pectora, quibus re quam oratione convinci gratius, ipsam accedite scaturiginem in vitæ solatia salientem ; cujus salutari lympha difluunt, quæ de Morbis, de Affectionibus, de Internis, atque de prædicendi Arte vobis volumina dedicavit. Heu! quantum descivit sequutis dein sæculis à prisca gloria Medicina! Quam turpiter ab efficacissimo artis Magitro, USU, ad figmenta ludentis ingenii defecit! Damnosa quid non imminuit inertia! dum ab laboriosa observatione, ad Philosophorum placita, ab dictatis naturæ, ad garrulitatem, ab Hippocratis effatis, ad lubidinem fingendi devolutam dolemus! Quis æquo ferat animo jactari palam et ubique sanationes malorum, quæ, si jactata medela pellere tentes, irritata et aucta, non sublata, neque sopita indignamur? Cuinam ea lenitas, ut non commoveatur tot circulatorum Panacæis? Apage anili vix dignas lucubratione Personatorum Chemicorum fabellas! Apage vana promissa, in artis Hermeticæ dedecus nata! Apage Cyclopas, qui Phœbi sacra Vulcano dicant, Qui artium utilissimæ Chemiæ usum in cyclicorum technas convertunt! Quantæ tamen auctoritatis hæ nugæ pluribus habentur, neque naris tamen obesæ viris! Quasi satis non fuisset simplicium numero, compositorum confusione, methodo-

rum mole obrui, nisi in malorum complementum impudentis ignorantiæ portenta accessissent! Sin vero ad alios te converteris, minus formidolosa quidem, solida tamen in hac re vix reperire dabitur. Qui enim rerum usu occupati, raro scripsere; cæteri inventa rationis disputatione, vel tradita ab aliis descripserunt remedia et medendi formam. Restat ergo, nam plura urgere vetor, in omnes optimus Hippocrates.

Sed alia aliis mens est. Durum his, atque alienum à veritate videtur, quod persuasum volumus; quos, quia neque rationis specie carent, audire fas est. Nonne, rogant, observationis usu constat Medicina? Ajo. Nunquid ergo temporis filia, ab eodem incrementa capit? Annùo. Ergo sub primæ artis Conditore infans imbellis humi serpsit? Neque id negaverim. Itaque sub primo inventore Hippocrate rudis, tot dein sæculorum cultu polita, hoc tempore masculo vigore splendet. Id vero affirmantem multa nescire necesse est. Errat qui suis modo sapuisse Virum credit, et rem ignorat. Testor Historiarum monumenta, quæ docent ab Apolline, primo inter Grajos Medico, oriundum Hippocratem, primævæ in Græcia Medicinæ arcana hæreditario jure possedisse. Phœbi proles Æsculapius tradita ab eo secreta perfecit, suisque inventis auc-

ta posteris reliquit. Ab hoc dein descenderunt, quæ admiratur antiquitas, Medicinæ lumina! Celebrat enim Chrisamidem, Cleomuttadem, Theodorum, Sostratem, Nebrum, Gnosidicum, Hippocratem majorem, atque nostri Genitorem Heraclidem, omnes Medicos, omnes Arte claros. Adeo ut in Hippocratem de traduce in traducem propagata sint artis mysteria; quem recta serie ab stirpe nonum decimum in sua familia fuisse Medicum accepimus. His ubi curas, diligentiam, longævam ætatem, peregrinationes artis ergo per Babylonios, Ægyptios, Seras, et Indos susceptas, addideris, liberatus hoc errore, rudem Medicinæ admotum non arbitraberis. At ille, quamvis tam amplis suæ gentis instructus esset præceptis, non acquievit; intelligenda aliorum dogmata putans, quæ jam tum evulgata erant, expendit. Erat ea tempestate fama notissimum in Cnido Fanum cujus parietes undique obvelati tabulis, in quibus continebantur Historiæ pulcherrimarum in facienda Medicina observationum. Hoc ille Juvenis admodum invisit, sibique exarata descripsit, factus Cnidiorum arcanorum Symmysta. Neque adeo infantem tum Medicinam fuisse credet, cui, vel eo tempore in sectas eam divisam, scriptis evulgatam, atque adfinium disciplinarum auxilio promotam fuisse ex historia notum est.

Plura adferre super hac re supersedeo. Inspiciat, cui lubet, libros de prisca medicina, de victu salubri, de cibo acutorum, et de iis, quibus manus medetur, omnes Hippocratis conscriptos stylo. Unum addam, ex innumeris, quibus acceptam à Parentibus vel Extraneis Medicinam ipse provexit. Atque tale quidem id fuit, ut ipsi uni proprium, ipsi singulare fuisse, rerum omnis memoria testetur. Thessalum majorem natu filium in Thessaliam, Draconem, qui alter ab illo annis erat, in Hellespontum, Polybium generum suum in aliam Græciæ regionem, tum ingentem Discipulorum numerum dimisit per reliquam Hellada, omnes imbutos artis regulis, omnes instructos remediis, ut per totam Græciam ægris mederentur. Hi expositos in trivia sanare, morborum eventus, remediorum effectus annotare, ad Hippocratem cuncta referre. En vobis adversariorum Thesaurum! En modum adquirendæ sapientiæ medicæ verum! Hæc felicia artis fata! Hæc fortunata tempora! Quum unus, atque idem Sapientissimus tot Artificum peritorum opera uteretur! Quum omnium Coryphæus tot labores, tot experimenta aliorum suis perficiens in corpus redigeret ordinatum! Eant jam, qui ignorantia adflati vel invidia tanto Viro obtrectant. Comparetur illi quem volunt; quam dispar erit ratio. Alii,

quid unius, hic, quid plurium industria valeat, exhibet. Alii suis modo vident oculis, hic multorum usus est acie. Cæteri per singulos ægros, hic per eorum agmina experimenta fecit. Pauci, quid intra arcta unius Urbis pomœria morbi sit, tradiderunt, ille, quæ in tot vicos, urbes, regiones, et regna lues grassaretur, observabat. Hanc Ego Causam, quo minus alios huic pares statuamus, in primis magnam puto. Profecto Sapientia artis major longe in illo fuit, qui tantis ad Medicinam auxiliis usus est, quam in reliquis, qui, quamvis cætera æquales, his destituti fuerunt. Atque inde natam arbitror, eorum, quæ scripsit, æternitatem. Hinc ortam puto, illorum qua viginti trium sæculorum examen sustinuerunt, integritatem. Evolvatur illorum ordo, mutata Hippocraticæ veritatis facies nullibi apparebit. Excutite Grajos, cognoscite Romanos, versate Arabas, repetitam atque confirmatam ubique invenietis doctrinam Hippocratis. Ex his enim, quorum ad nos memoria pervenit, Diocles Carystius, Aretæus Cappadox, Rufus Ephesius, Soranus, Galenus, Ægineta, Trallianus, Aetius, Oribasius, et alii, quidquid habent eximii, Illi debent. Romani, quos inter Celsus excellit, et Plinius, Hippocratem Numinis loco habent, ad ejus effata, ut ad oracula, confugiunt. Arabum optimi

purum putum describunt Galenum, qui ubi verus ibi totus Hippocraticus est. Inter recentiores de Medicinæ usu scriptores, paucos, si ulli sunt, Veterum perfectionem attigisse dolendum, quum reliquas artis medicæ partes cum gloria eos exornasse, atque priscorum inventa longe superasse exsultemus. Unum eximium habeo Thomam Sydenham, Angliæ lumen, Artis Phœbum; Cujus ego nomen sine honorifica præfatione memorare erubescerem: quem quoties contemplamur, occurrit animo vera Hippocratici Viri species, de cujus erga Remp. Medicam meritis nunquam ita magnifice dicam, quin ejus id sit superatura dignitas.

Sed reverso, unde me deduxerat Optimi Viri contemplatio, objicitur: An ergo solius Hippocratis intellectum Medico sufficere, aliorum labores illi nec decoros, nec utiles, neque necessarios existimem? Minime. Ingentis Viri defectus, quos habuit, quos agnovit, sciens, minimis tamen urgeri demonstrans, optimum prædico. Inter ignarissimos autem habear, si Vesalii, Asellii, Harvæii, Pecqueti, Uberii, Whartoni, Drelincurtii, atque Bartholinorum, quibus corporis humani fabricam explicarunt, inventa ignorem; ingratissimus audiam, nisi venerabundus illorum dignitati assurgam. Uni Malpighio liquorum semitas, Spirituum rivos, Uni

Malpighio Dædaleam viscerum structuram, Uni Malpighio quidquid ad totam corporis compagem spectat, patuisse, quis ignorat? Summos in re Herbaria profectus et novi utcunque et laudo: Castigatam sæculi industria Chemiam amo, atque colo. Mechanicorum, Aquilegum, atque Physicorum radiis illustratam eam scientiæ partem, quæ naturales corporis actiones explicat, atque hoc nomine Boylæi, Borelli, Bellini, Malpighii, Pitcarnii atque aliorum utilissimos esse conatus; omnis clamabit posteritas.

Quapropter, ut quæ sentiam libere, sed compendio dicam, non inepte equidem, opinor, is, qui Geometrica atque Arithmetica primo instillanda, suadebit animis eorum, qui Phœbo devoti sunt. Hujus consilio ipsa ratio, ipse suffragabitur Hippocrates, imo ejus ipse filio suo, in datis ad eum litteris auctor est, addito illo argumentorum pondere, quo vel invitissimo assensum exprimat. His imbuto, præclara hujus ævi inventa addiscenda per omnes Medicinæ partes. Postremo autem, ubi, quod primarium est, artis exercitio se accingere student, ubi morborum fata, ubi sanandi Regulas addiscere cupiunt, tum vero ante omnes alios consulenda Hippocratica, arbitror. Unum restat hominum genus huic adversum sententiæ, quibus placet ex Universalibus rerum prin-

cipiis, materia, motu, atque figura corpusculorum, à priori, ut vocant, demonstrare sanitatis, morborum, et medicamentorum naturas. Postulatorum illi copia, datorum inopia, haud quaquam deterriti, indeterminatam effingunt Hypothesin, ex cujus assertione si via analytica et plausibilis ratiocinii spetie unum alterumve satis generale deduxerint, rebus id applicant, atque inde sanandi regulas ex suo ingenio excogitare non verentur. Verum, quanta spe decidant, tum demum constat, ubi hæc subtilitatis figmenta rebus gerundis adhibere, cum summo ægrorum damno experiuntur. Atque utinam hi quibus Mathematicorum viam laudare solemne est, re illos, non verbis modo, sequerentur. Diligentius data, prudentius demonstrationes, tardius conclusionem, formarent. In solvendo problemate non ad unam forte obviam, sed ad omnes, quæ propositionem determiant, conditiones attenderent. Figuras adeoque incognitas, velocitates incompertas, meatuum obscuritates, Elementorum generalia, pro claris atque distinctis demonstrationum fundamentis non admisissent. Quid enim jubent Geometrarum leges, in demonstrationibus rerum naturalium, quæ semper singulares, definitæ, atque ab aliis omnibus per minima diversæ sunt, colligenda esse quæcunque ullo nomine ad eas spectare observantur, sive has præce-

dant, comitentur, vel sequantur: illa dein collecta monent cognoscenda esse singula quam clarissime, denique ad hæc omnia singulatim probe cognita attendendum quam accuratissime, atque ita demum concludendum, prout hæc omnia simul exigunt, severitate summa. Ita res ratiocinia, non hæc illas, determinarent. Ita conclusiones non vagæ essent cuilibet aptandæ quæsito, atque abstractæ, sed definitæ, exactæ, atque rem hanc singularem, prout est, describentes. Tantum ergo abest, detrahi observationum dignitati per Mathematicos, ut contra nulli clarius earum pretium demonstrent. Sequantur, itaque, id enim unice speramus, optimos veritatis Cultores Geometras! Quam arctos fines suis habebunt fictionibus! Quæ horum severitas præcipiti illorum ratiocinio moderabitur! Quam dura ipsis incumbet necessitas imitandi Hippocratem, antequam ratiocinia valere in hac arte possint. Atque his hæc sufficiant! Rationis enim quisquis dicto audiens, haud difficulter ab errore resipiscit. Alios autem non moramur, qui, nescio quibus insulsis salibus, aut tectis invisibilium machinulis superbi, vix sibi visum vilipendunt Naturæ Genium. Illis equidem, si quidquam fuisset pensi, non tam inepta de summo Viro judicia evulgavissent.

Ad Vos, quorum pectora Salutis hu-

manæ amor inflammat: Ad vos, egregia juvenum manus, mea se tandem convertit Oratio. Utile in primis est, atque decorum consilium, quo illi ætatem devovetis sapientiæ, cujus usus miseris mortalibus cœlestis habetur. Omnem laudis meretur memoriam spectata satis sollicitudo, atque industria, qua perfecte prius discere, quam exercere, studetis eam artem, cujus abusus humanæ genti pestiferus atque exitialis est. Audivistis ea, quibus instructos esse decet Medicinæ candidatos; Audivistis, ubinam illorum vobis liberalis detur copia. Quis enim Vestrum ignorat, quos suis Hippocratica Pandora Thesauros distribuat? Horum et cupidi et potiri estis capaces. Est enim in medio posita palma, volens facilisque sequitur, Vos in primis, quibus innatæ dotes arte cultiores omnia fælicia, omnia pulchra promittunt. Divitiæ, decus, gloria vos expectant, quique hæc longe exsuperat, animus pulcherrime actorum conscientia lætus. Si ergo ad Sapientiæ, cujus hæc præmia sunt, Principatum adspiratis, Illum sectemini, qui eam condidit: facile iis artibus hanc scientiam augere est, quibus initio parta fuit. Non est, quod ignorantiæ pericula, dubitationis scrupulos, temeritatis errores horreat, qui consulit effata Maximi Medici: luculenta est, pura, omnique errorum fœce purgata doctrina,

quæ tot ætatum, hominum, artium atque experimentorum opera caliginem discussit, qua involvebatur tecta veritas. Qui medicæ laudis gloria ducitur, haud felicius eam consequetur, quam si audiverit Hippocratem: Hippocratem, qui peritiæ fama peruptis Hellados claustris, in Persicæ regiam atque hinc per totum transvolavit orbem: Hippocratem, qui æterna artis gloria decoratus temporis edacitatem incolumis sustinuit: Hippocratem, qui omnes Humanos, quid humanos memoro? Qui divinos honores vivus accepit, mortuus sibi confirmavit. Eumne sequi dedecori cuiquam fiet? Eum? Quem et Thessali, et Coi, et Argivi, et Macedones, et Athenienses, quem et Phocenses, et Dorienses ob servatam arte Patriam cælesti honore decoraverunt? Quam laudabile, quam gloriosum est eum imitari, ad quem colendum omnes Bonos habemus auctores! Quam turpe, eum contemnere, quem Illyrii, quem Pæones, quem Barbari Reges publicis legationibus, ut genium tutelarem imploravere! At, si quem honesta magis rerum quibus vita commode fertur, quam gloriæ cupido tenet, talem se gerat, ut Illi reddatur similis, cui Persarum Rex, auri quantum vellet, obtulit, cui tot Gentes tanta munera, virtutis præmia, miserunt. Quot nobis Historia Viros memorat, quos sola Hippocratica Doctrina Regibus caros, opibus

affluentes, fama celebres effecit? Vos vero, qui altiora spiratis, qui virtutem sibi solam habetis premium, qui sapientiam ambitis, cujus exercitatio ægris salutaris, Patriæ utilis, Parentibus gloriosa, Vobis honesta fit; in hujus Viri laboribus vos exercete. An de peritia ejus dubitetis? quam scripta Viri, quam sæcula, quam omnes Boni uno ore prædicant. An vero de fide? Sed hanc res ipsa, hanc omnes celebrant Historiæ. An de pretio scriptorum? Verum artium inventrix atque earundem æstimatrix optima Urbs Minervæ, eorum Auctori ob evulgata eadem sacros honores decrevit. At enim, quis dixerit genuinos ad nos codices pervenisse? Stylus, res, omnes Veteres ordine eum sequuti, atque inter illos Princeps cum Erotiano Galenus. Quid ergo? Quum tuta et expedita, quum decora atque utilia omnia cernatis, hunc amplexemini, qui horum Vobis Auctor. Si placet, en paratum me adhortatorem, en socium; qualem vultis, habetote! Vobis operam meam, Vobis, si quid in me laudabilis posuit natura, si quid effecit exercitatio, id omne dico! Vestris prodesse studiis, ea demum votorum mihi summa! His dum invigilo erit hic mihi labor, hæc mei instituti ratio: Ut scilicet in describenda primo loco corporis humani fabrica nostri sæculi locupletissima inventa promovendæ Medicinæ applicen-

tur. Illustratum speculatione nostræ compagis animum exhilarabit deinde contemplatio tot, tamque diversæ indolis liquorum, qui per Mæandros dedaleæ machinæ circumacti, variis locis varii oberrantes, Vitæ, motusque nobis officia præstant. In hac vero materie exascianda, Helmontii, Boylæi, Tachenii, atque Travagini opera utentes laudem Chemiæ Justam agnoscetis. Hac in parte fulgebunt luculenta illa de transfusis atque injectis in vivorum venas liquoribus, experimenta. Hæc ubi experientia atque ratio illustraverit, dabo operam ut fide Historica enarrentur ea, quæ ægro vel sano actiones eveniunt spontaneæ vel arbitrariæ: Ubi opus erit consulere Veterum atque Recentiorum observationes, quibus præfulget Hippocrates. Ex his dein summo collectis studio, tanquam ex datis problemata nascentur, in quibus solvendis Mechanicorum, Aquilegum atque Chemicorum imploranda auxilia, et Geometrarum methodus, ea tamen lege, ut facta semper factis potius explicentur, quam figmentorum licentia. Recreatam hac speculatione et firmatam mentem res ipsa methodo medendi adjunget; in hac vero stabilienda Hippocrates, Sydenhamus atque pauci præter hos veri Medici consultores nobis et auctores erunt. Denique horum præcepto firmis, observandi arte, dignoscendi judicio, providendi

sagacitate, atque agendi prudentia instructis, quid aliud incumbet, quam remedia horumque indicare fontes? Veterum hic simplicitate non contempta, quæ Chemicorum labor bona dedit, adjungam, horum præparationes ipso vos opere docebo. His finibus coercebo mea; hæc decursui meo meta erit. In his quicunque meum consilium, vel adjumentum sibi aliquid efficere posse judicat, suo me jure utatur. Altiora quidem illa quæ Medicum consummant, Clarissima hujus Academiæ Lumina, Artis Salutaris Professores, vobis demonstrabunt. Cæterum ego Illos ætate, sapientia, et loco Priores, consilii, factorumque meorum Auctores venerabor. Ut ita una mente, uno animo ornandæ Salutis Ædi invigilemus! Utinam his pro voto inchoandis, atque omnis vitæ curriculo perficiundis vires dederit aptas Salutis Auctor et Consummator DEUS! Tum demum confiderem aliquam me posse gratiam referre vobis, Viri Illustrissimi, Minervæ Batavæ Curatores, Patriæ Patres. Neque enim me fallit, quantum cum maximo Vestro favore negotium sustineam. Vestræ Munificentiæ, Amplissimi Viri, me supra reliquos mortales devinctissimum semper profitebor. Tantis beneficiis, Vestrisque de me conceptis votis, ut pro ea, qua sum tenuitate, utcunque respondeam, summis animi et

corporis viribus acerrime annitar. Hanc à Vobis inire gratiam, quæ vigilando, agendo, bene conando conciliatur, summa ope affectabo.

DIXI.

INDEX CAPITUM

PROLEGOMENA.

Morbi fibræ solidæ simplicis . . PÁG. 7.
Morbi fibræ debilis, et laxæ . . . . 7.
Morbi fibræ rigidæ, et elasticæ . . 18.
Morbi vasorum minimorum, et majorum . . . . . 25.
Morbi viscerum debilium, et laxorum. . . . . 26.
Morbi viscerum fortium, et rigidorum. . . . . 29.
De simplicissimis Humorum vitiis, et spontaneis . . . . . 39.
Morbi spontanei ex accido humore. ibid.
Morbi à glutinoso spontaneo . . . . 47.
Morbi ex Alcalino spontaneo . . . 67.
De Morbis oriundis ab excessu motus circulatorii solo . . . . . 79.
De Morbis ex defectu circulationis et Plethora . . . . . 84.
Morbi compositi simplicissimi, Obstructio, et Vulnus. Obstructio. 86.
De Vulnere in genere . . . . . 97.
Hæmorrhagia . . . . . 140.
Dolor . . . . . 141.
Convulsio . . . . . 144.
Vulnera Capitis . . . . . 148.

Vulnera Thoracis . . . . . 166.
Vulnera Abdominis. . . . . 169.
Contusa . . . . . 173.
Ossa Fracta . . . . . 182.
Luxata . . . . . 187.
Inflammatio . . . . . 189.
Abscessus. . . . . 206.
Fistulæ . . . . . 214.
Gangrena . . . . . 218.
Sphacelus . . . . . 238.
De Combustione . . . . . 245.
Scirrhus . . . . . 250.
Cancer. . . . . 258.
De morbis Ossium . . . . . 267.
De Morbis Internis, et de Febribus in genere . . . . . 280.
Frigus febrile . . . . . 319.
Tremor febrilis . . . . . 323.
Anxietas febrilis . . . . . 325.
Sitis febrilis . . . . . 333.
Nausea febrilis . . . . . 337.
Ructus et flatus . . . . . 342.
Vomitus febrilis . . . . . 347.
Debilitas febrilis . . . . . 350.
Calor febrilis . . . . . 353.
Delirium febrile . . . . . 359.
Coma febrile . . . . . 363.
Pervigilium febrile . . . . . 365.
Convulsio febrilis . . . . . 366.
Sudor febrilis . . . . . 367.
Diarrhoea febrilis . . . . . 370.
Exanthemata febrilia . . . . . 374.

Febris Continua . . . . . 378.
Febris Continua Putrida . . . . . 382.
Febris Ardens . . . . . 388.
Febris Intermittens . . . . . 399.
APPENDIX ad Tractat. de Febribus. 433.
Malignitas Febrilis . . . . . 437.
Status Nervosus . . . . . 441.
Febris Stationaria . . . . . 444.
Febres Annuæ . . . . . 445.
Febres sporadicæ, et singulares . . 448.
Febris Lactea . . . . . 449.
Febris Puerperalis . . . . . 452.
De Febribus Continentibus . . . . 454.
Febris Inflammatoria simplex . . . 455.
Febris Putrida . . . . . 461.
De Febribus Remittentibus . . . . . 465.
De Febribus Biliosis . . . . . 466.
Febris Biliosa Inflammatoria . . . . 469.
Febris Biliosa Putrida . . . . . 470.
De Febribus Pituitosis . . . . . 471.
De Febribus Irregularibus . . . . . 474.
Febris Nervosa acuta . . . . . 478.
Febris Nervosa Lenta . . . . . 479.
Febris Hectica, vel Marasmus . . . 482.
Febris Purpurata, vel Miliaris, et Scarlatina . . . . . 485.
Erysipelas . . . . . 490.
Hemitritæos seu Semi-tertiana . . . 494.
Intermittentes perniciosæ . . . . . 498.
PROGNOSTICON Hippocratis Liber . . 509.
ORATIO DE COMMENDANDO STUDIO HIPPOCRATICO. 539.

ERRATA.

PÁG.	LIN.		CORRIGE.
XII.	16.	præfactoris	Præfationis.
2.	19.	obtupescet	obstupescet.
15.	10.	semisæ	semis.
19.	1.	faciat	facit.
31.	18.	fæcillime	facillimè.
80.	23.	vere	ferè.
100.	32.	observabit	observavit.
106.	19.	teterebra	terebra.
111.	11.	comprimen	comprimendo.
118.	32.	vulnerat	vulnera.
130.	5.	fat	fiat.
138.	17.	flunt	fluunt.
253.	26.	atenuat	attenuare.
253.	31.	valenti	valent.
262.	20.	historicæ	historica.
285.	28.	adhunc	adhuc.
293.	32.	ilia	illa.
324.	19.	Sentilis	Senilis.
339.	18.	autis acutum..	acutis autum..
360.	21.	aut optis	autoptis.
383.	22.	vididæ	frigidæ.
396.	11.	diffata	diffiata.
464.	27.	restituuntur	restituunt.
496.	22.	Coruphærum	Coryphæum.
498.	28.	cepha algia	cephalalgia.
508.	1.	Ergavicensis	Erganicensis.
513.	18.	Stridore	Stridere.
514.	3.	parietate	parietè.
543.	27.	compiata	compita.